


6
8 B
28

LVDOVICI CELLOTII PARISIENSIS

E SOCIETATE IESV,

PANEGYRICI ET ORATIONES.

SECVNDA EDITIO,
ab Authore recognita.



PARISIIS,
Apud CAROLVM ROÜILLARD, via Iacobæa, ſub ſigno Floris Lilij,

M. DC. XLI.

REGI



CHRISTIANISSIMO
LVDOVICO XIII.
HENRICI M. FIL.
D. Ludouici N. Ecclesiæ
primogenito.



RBIS GLORIÆ. MVNDI ORNAMENTO. PACIS CLYPEO. BELLI FVLMINI. BENEHARNICO. BRITANNICO. RVPELLANICO MAX. POLIORCETÆ MAX. VICTORI CLEMENTISSIMO. RESTITVTORI RELIGIONIS. EXTINCTORI HERETICÆ REBELLIONIS. SERVATORI CIVIVM. PATRI PATRIÆ.



PIO. IVSTO.

FELICI. SEMPER INVIC. SEMPER AVG.

QVOD MAXIMORVM AB OMNI ÆVO PRINCIPVM SANCTITATEM FORTITVDINEM CLEMENTIAM FELICITATEM GLORIAM ÆMVLATVS. SEMPER IN CONSILIIS PRVDENS. IN OPERE STRENVVS. IN PACE PROVIDVS. IN BELLO FORTIS. IN VICTORIA CLEMENS. IN SECVNDIS MODERATVS. IN ADVERSIS CONSTANS. IN ÆSTIMANDIS SVBDITORVM MERITIS IVSTVS. NVMINIS SIBI CONIVNCTI DIVINITATE FORTITER FELICITERQVE VSVS.

PIETATE DVCE.

COMITE IVSTITIA.

REBELLES DOMVERIT. BLASPHEMOS COERCVERIT. DVELLA SVSTVLERIT. HOSTES SVPERAVERIT. IRREQVIETI SIDERIS MORE PROVINCIAS LVSTRANDO. RELIGIONIS SVÆ BONA DIVINARVMQ; VIRTVTVM EXEMPLA CIRCVMFERENDO DE VITIIS OMNIBVS TRIVMPHARIT,

PANEGYRICOS

ET ORATIONES IN EIVS
Henricæo tum recens tum
olim dictos,

OFFEREBAT

LVDOVICVS CELLOTIVS,
Parisiensis è Societate Iesu.

D. N. M. Q. EIVS.



Facultas R. P. Prouincialis Societ. IESV.

IOANNES FILLLAEVS Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Franciæ, poteſtate ad id mihi facta ab admodum R. P. Præpoſito Generali Mutio Vitelleſco, facultatem concedo, vt *P. Ludouici Cellotij* Societatis noſtræ Sacerdotis *Panegyrici, & Orátiones*, eruditorum ex eadem Societate noſtra virorum iudicio probata, typis excudantur.

IOANNES FILLAEVS.



PANEGYRICVS LVDOVICO XIII. IVSTO PIOQVE PRINCIPI DICTVS.



Ad vij. Kal. Decemb. Anno 1628.



SI QVAM subitò recens victoria lætitiam in omnium animis excitauit, tam facilè rei magnitudinem declarari pateretur: non minus hoc loco expectationi vestræ satisfacere me posse confiderem (Viri Clarissimi) quàm in priuatis sermonibus, prout certi cuique afferebātur nuntij, triumphauimus. Verùm cùm res illa talis ac tanta fuerit, vt eam optando potiùs, quàm sperando attingere fas esset: mirum nemini videri debet, si in tam felici exitu, gaudij sensum imperet, eloquendi adimat facultatem. Sic enim arbitror, esse modò inconsideratum, illud exiguo temporis spatio, nullo nostrorum periculo, infinito hostium damno perfectum, & planè absolutum, persequi velle dicēdo; quod paucis ante annis vel reapse aggredi, vel solâ cogitatione tentare, temerarium videbatur.

Quanquam reflecto ipse me, & orationem meam reuoco. Nam si maximi Regis virtute felicitatéque confectum est, quod ante fieri non posse putabamus: quid est cur desperem commemorando recenseri posse quod factum est? Nisi fortè impeditissimi belli narratio difficilior est, quá gestio: aut cariùs constant Oratori verba, quàm Imperatori victoria. Nec verò parùm ad hanc rem momenti adfert omnium ordinum alacritas, & singularis in Regem Optimum amor, qui veras laudes exprimente naturâ, fucum artis & industriam non requirit. Imo verò sic Rupellam captam Principi gratulamur omnes, quasi singuli ceperimus: & in Regis vnius prædicatione nostram quoque gloriam contineri putamus. Ipsa autem rerum, quæ me ab hoc consilio magnoperè deterrebat amplitudo, nescio quem cupiditati meæ stimulum admouet: persuadétque in tàm vberi segete, si magna in oratione posuero, posse maiora in eorum qui viderunt recordatione relinqui. Itaque quò me publicæ gratulationis aura, & vestri consesſûs frequentia nouitasq; inuitat, in altum admirabilis huius obsidionis pelagus nauigium impellam: eò certè confidentiùs, quò perdomitum mare, & refrænata furiosissimi elementi natura, maior pars est victoriæ. Sed ne quid à veritate, vsúque communi alienum narrare videar, propositum mihi est ita oratoris personam tenere, quam tempus & moderatorum voluntas imposuit, vt Theologi fidem, auctoritatem, sanctitatem non deponam. Vt enim Deum nemo laudauit sanctiùs, quàm qui castè simplicitérque nominauit: & Serum populus merces olim pretiosissimas solis oculis æsti-

In hâc laudatione plus historicæ fidei, quàm eloquentiæ adhibēdū.

mabat: ita diuinas tuas, LVDOVICE Regum Maxime, virtutes dicendo æquauit, qui facta tua sine fuco & mendaciis more maiorum commemorando recensuit. Quamobrem non complectar oratione incredibilem rebellionis in ipsâ exitij sui procliuitate impudentiam: non insultabo victorum conditioni, quam ipsi calamitatem appellant: non amplificabo incomparabilis Principis dicta factáque omnia: sed historicâ integritate quædam hoc bello gesta proferam: vos si videbitur, Audit. tacitâ cogitatione laudabitis. Quod si fortasse occurrit aliquid, quod à naturâ causam habere non videatur, permittetis, opinor, à me illud origini suæ, hoc est, bonorum omnium fonti, regnorum moderatori, domino exercituum restitui.

Atque vt inde initium dicendi faciam, vnde totum belli periculum, & magnitudo ducitur, considerate, per Deum immortalem, hostium ipsorum genus & potentiam: quorum alter ius quoddam emortuum, suis in Galliam irruptionibus prætendit: alter occupatam Regum nostrorum iniuriâ libertatem per vim & scelus propugnauit: vterque hæresi velut teterrimæ furiæ se permisit agitandum, & ad Regni Christianissimi perniciem impellendum. Ac Britannus quidem tantum olim in Galliâ crudelissimi belli excitauit incendium, vt illud trecentis & quinquaginta annis non Prouincialium plusquàm barbaris incursionibus vexatorum lacrymæ, non Ducum nobilissimorum sanguis tot præliis effusus, non icta reuouatáque centies & vicies fœdera extinguere potuerint. Hîc Angli sæpè victi, sæpiùs ingentibus præliis victores, Franci Regis

Hostium hoc bello superatorũ potentia.

Anglus regnũ Galliæ crudeliter olim vastauit.

ditionem ferro flammâque delere: Francus è diuerso iis, quas in Galliâ possidebat Anglus prouinciis, extremam afferre vastitatem: neque admodum referre vter vinceret, cùm eadem Gallia vtriusque esset præda victoris. Quid hîc ego præsidium Ebroicense per summam perfidiam ab Angelo Principe trucidatum conquerar? Quid Gessoriacum Portum Francis annuâ obsidione ereptum, vidente Philippo Rege, commemorem? Quid Cadomensem irruptionem, Mimatensem deprædationem, Rotomagensem deditionem, stragem Santonensem: quid oppidorum Lutetiæ adiacentium cõflagrationem persequar: cùm priuata sint ea damna & Cadmæâ licet victoriâ, magnâ ex parte pensata? Clades verò publicas quis possit sine lacrymis recordari, cum aliquos Regum nostrorum (suâ, an Francorum militum è quibus exercitus suos conflabat, virtute? nihil attinet dicere) numero impar, loco non superior, regiâ potestate inferior vicerit, fugarit, ceperit. Quæ autem calamitas illi maiorum nostrorũ contumeliæ potest æquari, cum Principem Anglum in Procerum Francorum conspectu, in Regis ipsius aulâ, in solis huius luce, Franciæ Regem, expuncto legitimo hærede, viderunt declarari? O tempora! ô regnum! quod ab hoste importunissimo vexatum, laceratum, discerptum, in eius demum potestatem sine cæde ac sanguine, improborum ciuium factione transferebatur Vestram hîc fidem, maiores nostri, vestram, anteacta secula, probitatem appello: credi-ne potest, an historia nobis imposuit, Henricum Quintum Angliæ Regem ductâ in matrimonium Caroli Regis nostri filiâ, viuo & spiran-

te Franciæ Delphino dotale regnum accepisse? Anglum aliquem Regni Gallici hæredem designatum, posteaquam Guillelmus, à quo isti genus suum propagant, Roberti Nortmanni spurius Francorum viribus & virtute in Regum Anglorum solio est collocatus? posteaquam Ludouicus noster Philippi Augusti filius, Londini à Regni proceribus Rex Anglorum est consalutatus? Posteaquam Ioãnes à Philippo Augusto supplex petiit vt se aduersùs fratrem Richardũ tueretur, & in Regni Britannici vsurpatione retineret: Sed hæc verè gesta esse credantur, vt appareat quàm Regno exitiosus hostis ille fuerit, qui Regis specie alienam hæreditatem dissipabat

Has tamen tùm diuturnitate temporis, tùm Caroli Septimi, & Consequentium Regum virtute obductas feliciter cicatrices, refricauit alter hostis: cuius quò memoria recentior est, proiectior audacia, impietas crudelior, eò plura in deploratissimo regno impressit latrocinij sui vestigia, non ad exigui horrorem temporis, sed ad execrationem posteritatis sempiternam. Quis enim bellum illud appellet quo euersæ vrbes, desolatæ prouinciæ, templa spoliata & incensa, truncatæ per ludibrium Sanctorum imagines, & quod est in Catholicâ Religione augustissimum, modò hominum pedibus attritum, modò equis canibusque appositum? Fuit tùm temporis stupiditas pietatem profiteri; aut esse aut videri Sacerdotem, perduellio: Regum auctoritatem vindicare, insania putabatur. Infelix Gallia in filiorum suorum sanguine turpificata volutabatur, illa vna tot tragœdiarum theatrum, quibus aulæum Religio, furor & rebellio vehiculum mi-

Ciuile in Galliâ hæreticorum bellum atrox olim, & luctuosum.

niſtrabat. Atque ille furoris & amentiæ torrens regno vndecunque vaſtato, vbi bonis omnibus ſpem mirificæ tranquillitatis è cœlo vidit affulgere, tumultuoſos fluctus deonerat, & in Rupellam traiicit, mari opportunam, ſubſtructionibus ſuprà omnes Europæ vrbes munitam, armis, opibus, ciuibus audaciſſimis redundantem. Ea verò ſuis agitata furiis, externorum inſtincta vecordiâ, noſtris locupletata ſpoliis, ſecura tumultibus, armata diſcordiis, arripit auidè atque ardenter factionis hæreticæ principatum, libertatem vſurpat, & ſui tandem domina tantùm in ſe iuris Regibus concedit, quantùm machinandæ aduerſus ipſos proditionis ratio exigere videatur.

Rupella noſtris Regibus olim fideliſſima, rebellionẽ hauſit cum hæreſi.

Eam Vrbem comperio ab antiquo in Anglorum Regum poteſtate fuiſſe, cum ij Santonas, & totam Aquitaniam poſſiderent: quo tempore Philippus ille verè Auguſtus, Anglorum hoſtis & victor, eam irrito conatu oppugnauit. Eius deinde filius Ludouicus fatale nomen, & florentiſſimum exercitum ad Rupem illam admouet, ad quam Franci nominis potentia & gloria naufragium factura videbatur. Sed cum oppidani qua crebris eruptionibus, qua omnia alia militari virtute regios impetus propulſarent, & ancipitem obſidionis exitum vtrorumque fortitudo redderet, intempeſtiua fraudis Anglicanæ occaſio litem dirimit, & Rupellam Franco Regi adiudicat. Anglus enim vrbis conſeruandæ ſtudio nobilibus æquè ac militibus ſtipendia mittere ſe dicebat: iam diuitem ſe, & beatulum quiſque iactabat: abirent Franci, nihil in loricas argento tectas Anglicano ſagittas poſſe aut lanceas. Ape-

Anglorum pernicioſa fraus Rupellam Francis primùm tradidit.

riuntur arcæ magna ſpectantium auiditate, & in lucrum imminentibus omnibus, ingens illud auri pondus atque argenti, in ſaxa & lapides degeneraſſe præpoſtero Anglicanæ induſtriæ miraculo deprehenduntur. Hic nimirum indignari Rupellani, & ludum illum contumelioſis carò vendere, ſéque in Francorum poteſtatem tradere. Atque eam rebus ipſi ſuis tam ſunt commodam fauentemque experti, vt cum Ioannes noſter in Anglia libertatem ſuam non auro tantum, ſed etiam multarum vrbium deditione redemiſſet; Rupellani annum totum importunis flagitationibus Regis aures, Aulicos, Conſiliarios fatigarint, ne ſe in tranſmarinam dominationem relabi paterentur: vt Rex ipſe propoſita publicę neceſſitatis ratione vix ab eis impetrare potuerit, vt ad Anglum tranſirent. Verùm quia nihil ab inuitis extorquendum eſt, quod diuturnum eſſe velis, ſtatim Ioannis filio Carolo Sapiente opera magni illius Bertrandi Gueſclinij Anglos ab Aquitania ſubmouente, Rupellani vrbis ſuæ arcem decepto Anglorum præſidio funditus euertût, & ea conditione Franco ſe reſtituunt, nulla vt vnquam aut fœderis, aut matrimonij lege, aut cauſę cuiuſuis obtentu ab eius Imperio & Coronæ ditione reuellantur. Vereor vt inuiti laudes à me ſuas audiant, quas velut aliqua præuaricatione commemoro, ne ſui iuris numquam fuiſſe, aut immeritò ad Anglos defeciſſe videantur. Opinor etiam hiſtoriæ lucem, publicam antiquitatis memoriam, præclara maiorum ſuorum facinora obſcurabunt homines ad audendum proiecti, vt iuſtiſſimi Principis victoriæ litem intendant, qui rem ſuam, quando ex iure manu con-

ſertum vocare non potuit. ferro repetiuit. Illa tamen, quam dixi, fides magna eorum gloria turbulentiſſimis temporibus velut eximium ſidus eluxit, cùm Carolus Septimus tyrannidis Anglicanæ ioco Rex Biturigum appellatus, Rupella, in quam peramanter admiſſus eſt, Pictauos adiit, regiam afflicti, vaſtati, perditi Regni coronam malè hærentem capiti impoſiturus. Erant tum in Anglorum poteſtate nobiliſſimæ Regni prouinciæ, ipſa ciuitatum vertex Lutetia Henricum Sextum Franciæ & Angliæ Regem acclamatum audierat: videbat patienter (quid enim ius & lacrymæ contra vim & Principum ipſorum factionem potuiſset?) videbat, inquam, publicas Cancellariæ literas cum Henrici Angli effigie in liliato throno ſedentis, & duplex ſceptrum manu geſtantis: tolerabant vrbes munitiſſimæ ad portas arceſque ſuas Anglorum præſidia: Rupella autem cum paucis, præſtanti in Regem fide ſpectabat, non quid iniquitas temporum pateretur, ſed quid lex æquitatis, & officij ſui ratio poſtularet. Atque vtinam ea virtus noſtro etiã ſeculo ad poſteros deriuata perſeueraſſet! haberes pulcherrima Ciuitas perpetuam in Religione pacem, in Rege præſidium, emporium in portu, in mœnibus ornamentum. Verùm ex quo te peſtilens Caluini ſidus afflauit, ex quo Batauis & Britannis nauiculatoribus non minus erroris, quàm mercaturæ ſocietate, coniuncta es: ex quo illa libertatis dulcitudo, & factioſi principatus perſonata maieſtas ſenſus tuos deliniuit, è ciuitate Gallorum, tanquam circea virgula, derepentè veſaniæ ſedes, arx ſeditionis, propugnaculum perfidiæ, ſcelerum, flagitiorum-

que sentina extitisti: Tu hæreticę factioni signum ad rebellionem, ad tumultus, ad cædes, incendia, rapinas sustulisti; Tu in vmbilico iustissimo principatus, statum popularem; in Regni Christianissimi visceribus, impietatem; in moderatissimis Dei Regumque decretis, libertatem fundasti: Tu omni diuino humanoque iure violato, peruicaciam in consilio, furorem in satellitio, perfidiam in executione tanquam legitimos dominos amplexata es, nullis subiecta legibus, nisi quas ipsa fecisses.

Habetis, Audit. acerbissimos Galliæ hostes separatim propositos, quos simul iungere refugit animus & formidat: ne, qui singulis impares sæpè visi sumus, repentina inter vtrosque armorum viriumque conspiratione opprimendi videamur. Dicam tamen fortiter & animosè, & periculi nostri memoriam renouabo: eorum more qui magna ac turbulenta tempestate iactati, metum suum horroremque in portu audientibus amicis iucundè retractant. Neque verò putandum est ita esse neruos Gallicæ virtutis elisos, vt illis duos Imperatores inuictissimos, quos isti nefariè prodiderunt, opponere non potuerimus, Deum, & Ludouicum, vtrumque imperij Gallici conseruatorem: quorum ille sic belli nostri curam suscepit, vt huic satis esse posset mereri victoriam: hic vigilantiam, laborem, industriam talem ad tantum opus constantissimè adhibuit, vt ab illo nihil optandum videretur; vterque coniunctis in communes hostes animis & potentia, audaciam, impietatem, rebellionem gloriosissimè profligauit. Quod si ea signa quæ hominibus à Deo portenduntur diligenter attendere vo-

Hostis vterq; coniunctis viribus Galliam aggreditur.

Reges Ludouici nũquam aut ab Anglis, aut ab hæreticis superati.

luissent, certam eius calamitatis coniecturam in ipso Regis diuino nomine perlegissent: quod vt regno salutare, sic Anglis & hæreticis exitiosum semper fuisse multorum bellorum exitus declararunt. Audacter enim pronuntio, neque præteritorum temporum memoriam reformido, è tot Regibus, quibus eximium Ludouici nomen obtigit, neminem vnum ab Anglis iusto prælio superatum esse. Potuit Anglus è diuerso meminisse, eum à quo ingenti strage profligatus est, eodem ipso die quo ad Bouinas Otho Imperator à Philippo, quique posteà Rex Angliæ declaratus est, fuisse Ludouicum. Hæretici autem Clodouæum Ariani Attilæ, Ludouicos Octauum & Nonum Albigensium victores debuerant recordari. Nam quod ipsi oculis capere potuerunt non replico, superiore sæculo iniquissimis Ecclesiæ temporibus cum Caluini ministrorum furor & amentia Galliam inflammaret, alia Principibus nostris placuisse nomina; ne sacrum istud calamitates publicæ funestarent Quod si ab hostium neutro violata vnquam est diuina illa nomenclatio, tam ne fuerunt à ratione derelicti vt eum lacesserent, qui vnus maximè illam si labaret, sustinere, si iaceret, excitare potuisset? Neque verò tam parum erat generosa responsio vt non colligi, neque tam vetus vt effluere ex hominum animis deberet, quam Ludouicus noster Rupellanos eximiè compescuerat aliquando petentes salua ciuitati suæ iura conseruari, quæ Henricus Tertius non violasset, Quartus etiam auxisset: nimirum, statim subintulit, ea tum fuit temporum calamitas vt vos Henricus Tertius metueret, Quartus amaret: ego autem vos nec

Pia & generosa Regis ad Rupellanos responsio.

timere poſſum, nec amare debeo. Regia profectò vox, & omnibus virorum fortiſſimorum dictis comparanda, quæ iniquis precibus iuſtitiam, potentiæ fidentiam, rebellioni fortitudinem, varietati fortunæ diuinæ mentis conſcientiam oppoſuit. Quid ab eo Rege ſperabunt gratiæ ſcelerati cui neque vitia blanditiis ſuadere poſſunt vt amentur, neque impetrare terroribus vt hæreſis timeatur? in omnes ſe facies Rupella vertat, obſequium offerat, fingat obedientiam: quem verè dominum non agnoſcet, eius amorem non experietur. Muris ergo ſe fortiſſimis communiet, concitabit exteros, ſuos armabit, vt ipſo tumultuum apparatu terribilis in Regis timore ſecura dominetur; ſed eum bello prouocabit qui timorem nunquam vidit niſi in vultu tergoque Rebellium. Verùm quando is fuit hominum ſtupor vt nullam exitij ſui præſentionem admitterent: id qua tandem ratione ſit factum, vobis hoc loco breuiter exponendum eſt, Audit. Et quoniam hæc oratio rerum infinitate obruitur, neque quicquam augere dicendo poteſt, quin etiam præclara multa reticeat neceſſe eſt: vos acres & attentos poſtulat, vt ad quos & regiarum virtutum, & cœleſtium prodigiorum fontes digitum intendet, quos nimium feſtinanter prætervolabit, quos raptim delibabit, ita mecum prætereatis, vt tamen intuentes & reſpectantes relinquatis.

Iam ante leuioribus tentata obſidionibus Rupella pactis quibuſdam conuentis pacem à Rege optimo non ſemel impetrauerat: Rex ipſe per aliquas imperij ſui prouincias circumuectus admirabili prouidentia præpotentis ſyderis more

rebellionis vapores, qui ex animis concalfactis excitari poterant, feliciter dissipauerat: externi Principes inita nobiscum fœdera, seu rerum suarum imbecillitate, seu nostra tranquillitate permoti religiosò colebant: traducta ad pacis artes ingenia earum suauitatem summa cum voluptate degustabant: cùm ecce derepentè ingens ab Aquilone malum panditur, & instructissima classe bellum in ipsa quiescentis Galliæ viscera deportatur. Gemuit sub immanibus nauigiis Oceanus, & ingentes velorum sinus venti laborantes impulerunt; vt hinc scires inuita rerum natura nauigare piratas. Hîc omnibus rei expectatione suspensis tetra illa nubes Reacensis insulæ littus opacat, & in nobilitatis Pictonicæ caput horribili fragore detonat. E centum & viginti longis nauibus exscensum faciunt duo lecta hominum millia: accurrunt nostri, licet numero & armis impares, interque mille & quingenta tormenta bellica, quibus continuè verberabantur, magna hostium, ipsorumque ducum strage edita, vexillis duobus captis, non tam victi, quàm fatigati recedunt. Promouet deinde hostis, & Sanmartiniam arcem nondum munitam, commeatu destitutam, nobilitatis flore qui primo aditu succisus fuerat imminutam, quinque erectis aggeribus obsidet: atque vt nihil mediocre minari se ostendat, bellicum canit maioribus tibiis, & plus octingentis vno die grandiorum tormentorum ictibus adesse se denunciat. Nostri autem non magis hæc tonitrua, quàm veteres Galli cœli ruinam veriti, locum ædificare, saxa terramque comportare, lunulas excitare, propugnacula hosti obijcere, nullo inter eos ordinis, nullo

Anglus Rupellanis præsidio futurus in Reacensem insulam inuadit.

conditionis diſcrimine, niſi quod gloria ſuperior erat, qui ſe ad operum infima demittebat, & felicius cæteris laborare, nobilitas putabatur. Nihil eiuſmodi animo Anglus præceperat : quippe qui in aula Luparenſi purpuratos & matronas familiariter nouerat, Duces noſtros in caſtris, milites in armis, nobiles in acie nunquam viderat. Sed quoniam fama terroreque conſtant bella, & in vtramque partem futuri prærogatiua eſt ſucceſſus initij ; ſtatuit ad arcem illam pertinaciter adhæreſcere, donec fracti debilitatique obſeſſi ſua ſponte in victoris poteſtatem venirent. Iam multum eſt quod ſedet qui præteruolando rapere ſperabat, quod ſubſiſtit in carceribus, qui metas tangere videbatur, quod ſpem victoriæ non in ſua virtute, ſed in militum, & quidem Gallorum, imbecillitate collocat. Et ea quidem mora magnum ad ſalutem noſtram momentum attuliſſet, ſi quis apparatus expediri facili negotio potuiſſet : verùm Gallia lethali Regis intenta morbo, nauium penuria, militum paucitas, pauefacti animi, vetus rerum bellicarum incuria ſpem obſidentis augebat, & deſperationem obſeſſorum. Et quoniam ſumma cum diligentia & ſolicitudine mittebantur ad omnes portus cum Regiis mandatis nuntij, qui naues, qui lembos, qui lintres vndecunque adueherent : id vbi olfecit Anglus, ſapienter ſanè noſtris aditum omnem ad Inſulam intercludit. Nam qua ſola parte aſpirare poteramus, eam grandibus illis nauigiis prætexit, quæ inuicem oblongis trabibus connectit : vt ſolis ſub aqua piſcibus, in aëre volucribus iter ad Inſulam relictum eſſe videatur. Iam verò quaſi ad imparatos opprimendos non ſufficeret fortis &

valens aduersarius, tentatur ab eodem hoste Principum externorum fides, solicitantur socij & amici: quod si nulli Regni proceres hac corruptela deprauati sunt, lætitiis certè omnibus palam incedebat Rupella, & vbique in bonorum timore & gemitu hæretici triumphabant. Ego certè non aliam huius Regni faciem tum fuisse arbitror, cum Ioannes Rex Anglus Othonem Imperatorem, Guillelmum Brabantiæ, Henricum Lotharingiæ Ducem, & innumeros alios aduersus Philippum Augustum commouebat: qui omnes virium suarum fiducia Galliam inter se diuidebant, & Philippo Regi, ne post mortem quidem sepulchrum relinquebant.

Gallia in sūmo discrimine constituta. In hac rerum nostrarum perturbatione, sociis iam suspectis, ne dicam mouentibus, dubiis animi fœderatis, hæreticis apud Narbonenses iustum exercitum conflantibus, cæteris tota Gallia rerum nouarum spe incredibiliter accensis, Rupella egregiè instructa & munita, florentissimo exercitu arcem ex luto & gleba conflatam oppugnante, intercluso mari, obsessos vndique prementibus hoste, fame, morbo, omni auxilij spe intercepta, quis putet humanis viribus non dicam Insulæ, & obsessis, sed toti Galliæ, de cuius summa decretorio ictu agitur, posse subueniri? Si quis tot inter pericula remotiorum prouinciam sibi postulet, recipiatque facturum se, ne externi velint, ne hæretici possint quicquam moliri, næ is profecto magnam à nobis gratiam inibit. Promittat alius aliquis exultantem sua multitudine Anglum, atque ipsi præfidentem Rupellam, tanquam in gyrum rationis ducere, sic quidem vt hæc secura libertate, ille arce Insula-

que in deditionem recepta, contenti, à reliqua Gallia abstineant: illum certè Soterem nostrum appellabimus. Quidni enim? cum Ludouicus XI. Regum nostrorum prudentissimus, auro bella sæpè redemerit, quibus vincere satis inutile fuisset, vinci penitus luctuosum. Existat verò alius tam securæ felicitatis vt polliceatur ereptu-rum se hosti tempus & operam, neque pedem nostris in Insula periturum quem ille suum appellare possit: eum omnino vt aliquem Deum, aut è cœlo delapsum hominem intuebimur. Quod si confidentissimus aliquis contemptas amicorum infidelitates, prostratos rebellium exercitus, Anglum ingenti clade profligatum, Rupellam captam vaticinetur: furere profectò atque inter sapientes insanire iudicabitur. Et tamen sic res habet, Audit. hunc exitum adeò lætum ac felicem implicatissimi tragœdiarum aditus inuene-runt. Qua gratia? quo consilio? qua conuersione? hoc iam non dico; viderint homines bello præfecti suæ ne industriæ, vigilantiæ, curæ, labori, quæ certè summa in illis fuerunt omnia, promittere potuerint victoriam vlla ex parte cum ista conferendam.

Iam enim aduenerant vnde vnde extricatæ cum cibariis nauiculæ: sed quis Britannici latrocinij scopulos superaret? Obsidebatur Rupella, sed insula hostium libidini erat obnoxi: stabant in littore decem armatorum millia, sed imminens sociorum naufragium oculis vsurpare cogebantur. Rex ipse, magni instar exercitus, vix è morbo recreatus, hærebat in ripa diuisus à suis, prohibitus ab Insula, iratus Oceano, qui cum sua consilia frangeret, ardorem inflammabat. Quam

Insulæ laboranti Regis prouidentia & militũ virtute succurritur.

sæpè tentauit diuisam mari terram sua suorumque fortitudine velut admouere, & quicquid intercedit spatij audacia militum contrahere, fluctibus congredi, fortunæ conuicium facere, si aduersus virtutem pergeret pro perfidia militare? Quæ tum illum ægritudines exederunt? quæ curæ, quæ vigiliæ, qui labores exanimarunt? cum suorum amantissimus Princeps ad singulos nuntios pallesceret, ad tormentorum tonitrua, quibus insula assiduè concutiebatur, toto corpore contremisceret, & in obsessorum periculis suum peti caput, suum latus hauriri putaret? Inter hæc Toyracius insulæ Gubernator, vir omni prædicatione ad posteritatis memoriam transmittendus, qualibet fortuna maior, virtute admirabili, fide singulari, quem ea prouincia dignum fecit Ludouici gratia, elegit prudentia, Regem periculi sui admonendum decernit: sed nullas aues edocuerat literas pennis alligatas in castra volatu deferre, quod aliquibus in bellis scimus vsurpatum. Tres igitur homines rem aleæ plenam suscipiunt, & nando, piscium instar, ad oppositum littus euadere pollicentur. Sed eorum vnus hauritur vorticibus: alter ad hostium naues dum fatigatus quiescit, occiditur: tertium scaphæ hostiles diu insecutæ deserunt, ratæ marinum piscem: sed is eo magis se virum præstat quod arrosis incursu piscium ipsis genitalibus & extremis digitis, tres tandem leucas feliciter emetitur. Exponit ergo quæ sibi mandata fuerant, paratus eandem viam nulla præmii spe, solo Regis Imperio sine mora iterum conficere.

Obsessorũ in insula. Narrabat autem obsessos opera interdiu moliri, hostium impressiones arcere, noctem in excubiis

cubiiș agere, iniurias cœli perferre, laceros, fessos, ieiunos, pane & aqua à primo obsidionis die contentos milites victitare, si panem appellate fas est commolitum cum paleis furfurem quo canes venatici nutriuntur: & hoc ipsum qualecunque foret genus commeatus ad duos dies extendi non posse: defecisse necessaria omnia: mortem superesse aut deditionem, in altero gloriam, in altero necessitatem inesse: vtrumque regni rationibus obesse quamplurimum. Quid expectas Rex Maxime? quas obsessorum incolumitat, & tuæ victoriæ moras interponis? Hispanos? tardum negotium: tuas naues è Batauia? sed eas proditor ignis exussit: instructam classem? at virtute melius quàm numero vincitur. Eant fortiter, & iuuante cœlo, Rege imperante, naues obices, maria peruadant: Francorum est ire per inuia, & conspirantibus in ipsos periculis bellorum prouocare fortunam. Itaque soluunt è portubus constratæ nauiculæ, & hostium non nauigia, sed maritima castella lintriculi perrumpere moliuntur. Itur in medios obices, & quà maximè oppilatus est aditus, stricto ferro rudentes cæteræque nauium compages abscinduntur. Id penè celerius nostrorum virtute confectum est, quàm mea oratione narratum, attonitis hostibus, & aut audaciam in aggrediundo, aut in perficiundo negotio facilitatem mirantibus. *singularis patientia & fortitudo.*

Atque illi ex hoc fortitudinis specimine futuri successum prudenter æstimantes, cum nondum quicquam nihil agendi arte promouissent, excusso veterno, excitatis animis, machinis omnibus, viribusque arcem luteam oppugnare mo-

liuntur. Fit impreſſio ſanè violenta, admouentur ſcalæ, foſſæ occupantur, innumeri paucos, recentes fatigatos, valentes infirmos adoriuntur: ſed illi belluarum more inconſideratum impetum: noſtri ſupra vires animum, cum animo dexteritatem, ab vtroque felicitatem afferunt. Reperti ſunt qui ſemineces audito claſſico diſcedentem animam reuocarent, de lectulo ſe proriperent, è murorum pinnis aut bombardam æneam exploderent, aut inhærentem ſcalis hoſtem vibrata in caput haſta deiicerent: ipſi deinde in alteram partem exanimes conciderent, læti & alacres, quod hoc facto poſtremum vitæ actum clauſiſſent. Nemo hîc quærit quàm ſtrenuè cæteri pugnarent, vbi etiam mortui vincebant. Hoc loco te à me laudari oportet, Lacon fortiſſime: tu enim verè dicebas non muris, ſed ciuibus; non portis, ſed armis; non turribus, ſed animis ciuitates eſſe munitas. Enimuerò cum ei Regi qui Angliam, qui Scotiam, qui Hiberniam ſumma cum poteſtate poſſidet, qui fœderatis, & propinquis Principibus floret, qui quantas potuit ex omni dominatu ſuo copias collegit, quibus incautos, & otioſos obrueret, caducum vnum ceſpitem, glebas è terra extantes, tumultuarium opus, præciſum & impolitum laborem obiecimus, num exemplo multis ante ſæculis inaudito dicti tui veritatem Gallia comprobauit? Fac illud qualecunque propugnaculum natura manuq; fuiſſe munitiſſimum: quid? ſaxis & lapidibus, non inuictis propugnantium animis ipſam fati neceſſitatem ceſſiſſe putabimus? quid? Toyracius claro quidem, ſed non Regum, aut Principum genere natus, totam

Regis Anglicani potentiam cum nobilibus aliquot Volonibus, à muris, quàm à Franco robore constantiaque paratior sustinuit, debilitauit, infregit? Vos hìc appello nationes exteræ, quæ Francis leuitatem animi & in perferendis incommodis corporum mollitudinem obiicitis: quid fecissetis tali re ac tempore, cùm victus omnis, & spes ipsa præsentium lenimentum deficeret, corpora laboribus, vigiliis, hostium congressionibus exhausta essent, inclementi cœli tempestate, grassante morbo, vastata insula, hostibus ad delitias instructis, eorum Duce humano certè, & magnifico viro magnis pollicitationibus miseros homines ad deditionē, id est, ad vitam & salutem inuitante, cum satis gloriæ, satis erga Regem fidei, vel æmulis testibus, factum esset, quod ad eam necessitatem res deducta foret, quid, inquam, in illo spei omnis naufragio fecissetis? an egestatis vltimæ fluctibus obrui, quàm arrepta tabula ad littus appellere maluissetis? Videte quid contra nos gloriemini: nam ex duabus obsidionibus quas nuper vidimus, neque Bredæ obsessi, neque Verrucam obsidentes in pares angustias redacti fuerant, cum illi hostem intra vrbem acceperunt, isti obsidionem soluerunt.

Sed vt eo reuertar vnde deflexit oratio, fractus nostrorum patientia, & armis superatus Anglus, hoc vltimo conflictu sexcentis suorum, nostrorum autem vix quindecim desideratis, de omni spe sua & expectatione deiectus, fugere decernit ex insula. Verùm cùm eius victoriæ & quid omnino rerum illic ageretur ignorantia Regis animum mira solicitudine vexaret, is ex-


Magna strage profligatus Anglus fugit ex insula.

trema omnia tentanda ratus Polemarchum Schombergium, virum singulari prudentia, consilio, fortitudine, cùm valida auxiliariorum manu, quos Rex ipse, vt singulos bellè nouit, elegerat, mittit in insulam. Addicit se auctoramento voluntario purpurata nobilitas, tanto numero, vt iam Rex se solum relinqui penè quereretur, ea porrò alacritate vt in omnium oculis & vultu belli periculum, & certæ mortis gloria legeretur. Sed hæc profectio nauale hostium non fefellit, qui mox se nauigaturis opponunt: tum ventus ex aduerso vehemens, iratum mare, hyems frigida, imbres perpetui, nobilitas maritimæ iactationis insolens, tuos, Rex prouidentissime, conatus intercipit. Obfirmatus tamen in incœpto Schombergius de vita quàm de obedientia periclitari mauult: audita etiam ab eo vox, Romanæ illi non absimilis, Illuc, Commilitones, ire necesse est, vnde redire non est necesse. Sciebat ille fortasse habere se in comitatu Imperatoris felicitatem, & præmissam ab eius pietate victoriam in littore præstolari Remigat igitur fortuna Galliæ, &, fauente, an indignante rerum natura? lembi nostri ab Britannicis nauibus aberrant, & ad insulam qua maximè importuosa erat, qua nemo vnquam mortalium exscenderat, ad insulam tamen salui omnes nocte appellunt. Vix confirmatis viribus, non tamen satis armis instructi, quorum partem nauigiis, quæ fluctuum adhuc ludibria iactabantur, imposuerant, in hostem ordinatè recedentem impetum faciunt, & disturbato equite, impedito pedite, non iam pugnam, sed cædem inchoant. Ex animi tui sententia,

Schombergi, potes ne dicere quod olim Cæsar, venisse te, vidisse, vicisse? Eiectum te potius ab inquietis fluctibus, quam peruenisse in insulam fateris: visos à te hostes, vix lucescente die, cœlo turbido, ipsis latebras in fuga captantibus; nescio an possis affirmare: hoc vnum Galliæ Angliæque constat, cæsam à te extremam aciem, quæ sola restabat in insula, deletum internecione equitatum, superfuisse pedites paucos quos fugientes fluctus absorbere neglexerunt, quadraginta & amplius signa capta, eam cladem & Rupellæ, & inauratis Anglorum nauibus comploratam.

Patieris opinor, si benè pietatem tuam noui, in prudentiæ virtutisque tuæ commemorationem diuinam interponi potestatem: cùm nihil tibi gloriosius esse possit quàm vt te à Deo & Ludouico, summis hoc bello Imperatoribus, electum tantæ victoriæ non auctorem, sed administrum recognoscas. Vos verò, Audit. quoniam quod dicturus sum pro certo vendicare non audeo, tamen hoc loco reticere non debui, rem ipsam suis momentis penditote. Quendam Gallum hominé qui tum in Hibernia morabatur cum reliquiæ fracti & dissipati exercitus sunt in Angliam reportatæ, audiui dicentem, Hibernos ipsos, in quorum præcipuè caput postrema hæc procella desæuiit, referre solitos, vidisse se candidum Equitem, armis illustribus, augusta forma, & humana sanctiore, qui nostros ordines raperet, cuius ipsi armorum splendorem, & virium impetum sustinere non potuerint. Id si verum non est, equidem non video cur mentiri & affingere vo-

Non sine cælestibus prodigiis parta victoria.



luerint. Sin autem ea illis obuersata verè species est, cùm præsertim eorum nemo qui illi prælio interfuerunt, humanis viribus victoriam assignet; & à Regis pietate, causæque æquitate nihil abhorreat; quænam illustriora quærimus miracula, quàm quæ Deus heroïcis Machabæorum, Constantinorum, Theodosiorum temporibus reseruauit? Sic igitur is qui spe & cogitatione totam Aquitaniam, & Normaniam deuorauerat, ad arcem luteam gentis gloriam allisit: & qui ad occupandas nobilissimas Galliæ Prouincias velis remisque aduolarat, septem suorum millia in insula Reacensi reliquit, vt quam viui capere non potuerant, corpore tenerent vel sepulti. Euenire autem singulari diuini numinis prouidentia, decuit, vt quæ classis bellum sine iustitia inferebat, pateretur sine tempestate naufragium.

Anglo sic fugato, Rupella extructis aggeribus obsidetur.

Anglus ergo in orbis angulum ventis non sibi, quàm nobis secundioribus renauigat: ille ab antiquo terror & carnifex Gallorum, & alio quolibet, preterquam nostro sęculo metuendus, suam in insulam dedecoris & ignominiæ plurimum reportat: Gallia autem hoste aduentitio liberata in Rupellam mali causam totum belli pondus incumbit. Quod si in oppugnatione Reacensi diuina Francorum virtus Anglis opposita enituit, quanto admirabilius in Rupellana debet elucescere, quæ hinc & inde Gallos vidit, hos consilio, illos tolerantia, vtrosque constantia inuictos? Fateor equidem ciuile bellum Reipublicæ vulnus esse, neque honorificam videri posse victoriam; quæ ex imperij contemptu nascitur; verùm suas

inuicem vires experiri debuerunt Galli, vt edifcerent quid in vtramque partem possint: quò conspirantibus in posterum animis orbi vniuerso demonstrent, nihil Francis in agendo & patiendo extremum esse, nisi mortem & gloriam. Securum est enim ad vsum secundorum per aduersa conscendere: neque vlli magis timendi sunt aliis, quàm qui aliquando timuerunt. Itaque si dicam hoc in negotio renouata vtrinque obsidionum facinora, quæ vlla præteritorum sæculorum memoria infinitis bellis acciderunt, verendum non est ne me vetus historia vanitatis accuset. Sic enim mihi persuadeo nihil esse ab obsidentibus vigilantiæ, impensæ, consilij, artis, industriæ: nihil ab obsessis solertiæ patientiæ, virtutis, & constantiæ prætermissum. Nam honestis illis nominibus in ipsa seditiosorum factione vti me sinetis, Audit. quoniam, si rebellionem excipimus, Galli erant, & illa ipsa tam pertinax, tam diuturna, tam secreta famis & laborum omnium tolerantia in Gallis animis corporibusque prodigiorum numerum amplificat.

Regijs castris admirabili opere terra mariq; circuncingitur.

Hìc ego non commemoro extructa cum fossis & aggeribus propugnacula quibus obsessi coërcerentur in terra: hoc enim iam ab aliis occupatum est nuper in obsidione Bredana ab Hispano Duce, anteà apud Iccium portum ab Eduardo Anglo, qui vrbi vrbem opposuit vicos, plateas, fora, priuata, publica tecta continentem: nec aliter olim Cæsar Alexiam in edito monte positam expugnauit. Venio ad portum quem sibi liberum fore nullus obsessorum vnquam dubitauit. In eo mari admirabilem video aggerem è flucti-

bus extantem, grandibus constratum saxis, ad omnes circumlatrantium vndarum insultus immobilem, frænum Oceani, æstus retinaculum, Anglicanorum conatuum scopulum, Rupellæ domitorem. Contempsit hostis tanti laboris initia, quia inutilis videbatur: & meminerat Alexandrum in mari pacatissimo simile nescio quid tentantem fluctibus, & obsessis ludibrium dedisse: iniectas etiam Neptuno compedes ab insanoRege, non imperitus vndecunq; Ministellus, qui est hominum eiuscemodi lepos, vrbanissimè deridebat cùm inter cauillationes & ludos inexpectato illo vallo circundatus, sensit denique se portu suo inclusum esse, sibiq; illud ipsum mare quod tangebat, ereptum. Proh Deus immortalis! quid hîc primum mirer, quid extremum? inuentorem, an inuentum? artificem, an auctorem? potuisse hoc aliquem excogitare, an perficere? iubere, an parere? Nullo tempestatum metu, spreta procellarum violentia, contempto formidolosi æstus incremento, inter ventorum turbines, inter decumanorum fluctuum impressiones ædificatum pelagus, vortices saxea substructione diuisos, compressum lapideis vinculis omnia soluentis elementi furorem, mare militum pedibus ambulatum? Quis ille est mortalis Deus qui participata cum supremo numine potestate iure dicere audeat: Circumdedi mare terminis meis, & posui vectem, & ostia, & dixi; vsque huc venies, & non procedes amplius & hîc confringes tumentes fluctus tu os? Quis est ille rerum Dominus qui iugum fluctibus imponat, & leges dictet Oceano? Quanquam volenti frænum iniicere minus

fuit operoſum: nam ipſa Rupellanorũ indignatione, & Anglorum confeſſione ſcimus nunquam antea ſolidi anni ſpatio mare fuiſſe tranquillius, ipſoſque fluctuum acceſſus depreſſiores: vt aggerem illum ſuum excitanti Ludouico, non ſolum militares operæ non artificum induſtria, ſed etiam venti tempeſtateſque ſeruierint. An ſentiebat Oceanus eo ſe Principis inuicti gloriæ largiorem fluere, quo parcius alueum ſuum tingeret? An metuebant venti laudum Regiarum acroamatis, quæ orbe toto perſonabant, inuriofius obſtrepere? Dicam hoc loco, anticipato rerum ordine, paucis poſt obſidionem ſolutam diebus, tempeſtate perſanè modica intumuiſſe mare, & aggerem antea inuictum ingenti hiatu aperuiſſe, tranſcendiſſe quin etiam, & vnam è Regiis nauibus ſuperata mole ad Rupellanæ catenæ fauces appuliſſe. O nouum atque inſolens prodigium! O altum cœleſtis Imperatoris conſilium! O naturam Regis maximi rationibus obſequentem! Quo toto tempore neceſſitas atque vſus fuit, mitis affluxit Oceanus, æſtuum furori moderata tempeſtas vix ſummam operis crepidinem libauit, claſſem Anglicanam moles inconcuſſa prohibuit: vrbe autem dedita, oppugnatione confecta, quaſi venia impetrata redeunt ad ingenium fluctus, exæſtuat mare, illa, vt ſic dicam, ſaxorum acies veluti dato ſigno, & peracta ſtatione dilabitur. Et erit qui dubitet æquitate pietatéque ſua coniunctum ſupremo Numini Ludouicum ipſam in conſilio habere naturam?

Agger maritimus paulò poſt vrbis deditionẽ maris tẽpeſtate aliqua parte diſturbatus, quod idem olim Conſtantio in Galliis accidit.

Sed extremis non anteuerto, dum me in ſui *Mira in*

castris Regiis disciplina militaris.

contemplatione retinent castra quæ illius aggeris ductu perpetua quadam indagine obsessos circumsedent. In iis quæ legionum dispositio, quis ordo laborum, quæ disciplina militum, quæ Volonum concordia, quæ ciborum copia etiam ad delicias, quæ omnibus è regionibus accurrentium visendi gratia hospitum securitas, cùm nemo vnus è tot hominum millibus sibi inter militares cuneos nocte pergenti, vel teruncium vi aut furto periisse conqueratur? Iam quanta in armatis pietas, qui rerum diuinarum sensus, quæ aduersus Religiosos & Deo dicatos homines reuerentia? Non ibi blasphemæ voces audiri, non prætextata verba: nulla in animo cupiditas, nullum in corpore flagitium, ne in castris quidem libidinis incentiuum. O castra sui nominis appellationem sub pio Rege tandem aliquando consecuta! O verè christianissimus exercitus cui sanctus Imperator, legatus Cardinalis, Duces integerrimi præesse, Religiosi adesse nō dedignentur!

Magna prouidentia & consilio deprehensi hostium conatus & litera.

In eas virtutes intentis omnium animis, & admirabili in optimum Principem charitate inflammatis; quantum putatis, Audit. obsessis aut peruicaciam ad repugnandum, aut ingenium ad factiones toto regno excitandas, aut pecuniam ad reparandam Britannorum classem profuisse? Nimirum elapsi per paludes & nota viarum diuerticua, per ipsos etiam fluctus nuntij, dum custodes omnes fefellisse se putabant, in capacem illā Ducum solertissimorum prouidentiam incurrebāt. Quam quidem commissorū cognitionem, illā literarū deprehēsionem quo nomine dignam existimetis, nescio: ego certè exercitus sine

periculo diſſipatos, partam ſine prælio victoriam, pacatam vno momento Galliam, factioſos vno oculorum coniectu, vna voculæ prolatione ſedatos, appellare conſueui. Sic eſt, Audit. quot eiuſmodi literas intercepimus, tot hoſtium copias profligauimus: quot nuntios deprehendimus, tot tumultus compreſſimus: quot proditores tranſire vetuimus, tot belli ciuilis incendia reſtinximus. Niſi forte tunc tantum victi putantur aduerſarij quando Marte ipſis victoribus luctuoſo dimicarunt: aut minus eſt ſtirpem ac ſemen malorum omnium reſecare, quàm occupato ſemel agro, & adulta meſſe perditos ciues magna bonorum ſtrage demetere. Et verò pauci illi qui vigilum diligentiam eludere potuerunt, vidimus quantos toto Regno motus pœnè concitarint, quanta eorum ductu & hortatu hæreticorum factio in Nortmannia tantum non coïerit, quàm proximè periculum fuerimus ne coniuratorum exercitus paratis in agro Pictonico aliquot ſeditioſorum millibus ſe adiungeret, & Regem in aggere propugnando occupatum, à tergo adoriretur: quæ conſpirationes non niſi furtiuo nunciorum commeatu colligi, non niſi eorum comprehenſione diſſolui potuerunt.

Extrema Rupellanorum fames, & in vrbe conſeruanda ſolertia.

Itaque dum Rupellani alias ex aliis coniurationum telas exordiuntur, noſtris è diuerſo retexentibus, & velut Siſyphi ſaxum verſarent, ne hilum quidem proficiunt, abit magna pars anni, cibaria vſu deteruntur; tenuiores primum, mox etiam non pœnitendæ fortunæ homines occupat indigentia. Illi ergo nè, quia vitam ſuam deploratam videbant, alienæ domini

fierent, nè quam in primores seditionem desperatio rerum extunderet, primum omnium exarmantur, & crescente nocendi voluntate potestas omnis eripitur. Tum deinde publica res ad paucorum cōsilium cognitionemque reducitur, qui euentuum periculorumque veritatem pro libidine aut silentio tegerent, aut in vulgus proferrent; vt mirum non sit ab iis qui clanculo ex vrbe profugerunt, certi nihil exprimi potuisse. Magnis interim pollicitationibus ab Anglis, à coniuratis reliquis implentur, vt futurorum spe sensum mali præsentis obtundant. Sed moras trahunt auxilia, fames vrget inclusos, morbus inuadit, mors imminet: eiiciuntur ex vrbe fœminarum greges, & imbecilles, ac debiles alij fruges consumere nati, quos dum Regij vetant commeare, sui recipere negligunt, ad pomœrium fungis, & alga, & insulsis radicibus pecudum instar pasci coguntur. Intra muros autem equis canibusque, & obscœnis eiusmodi animātibus, quasi & ipsæ pro Rege facerent, bellum internecinum edicitur: coria & lora aqua macerata vel iuris instar sorbentur, vel insolatione durata in aliquam panis imaginē pinsuntur. Ditiorum autem epulæ cauliculi folio quarta aurei nummi parte, ouo francis septem & amplius, canis capite duodecim redempto: panis libra duodecim aureis non cara: oue macra & exili ducentis, vacca eaque non tota bis mille francis comparata instruuntur. Hęc sūt Laconū nostrorū phiditia, hæc sapiētum sympofia incredibili frugalitate temperata: sic furor & rebellio perditos ciues crudelius puniuntur, quam esset hostis iratissimi postulare.

Nam inter tot incommoda circiter quindecim mortalium millia fame pereunt: in vrbe amplissima mille & quingentæ domus omni familia priuantur, sparsis hinc inde cadaueribus refertæ: languidæ matres hinc maritos efferunt hinc filiis præparant pollinctores: iuuenes animis quàm corporibus robustiores labentem parentum senectutem demen‍so suo fulcire conati, mor entibus denique incumbunt, & spiritum inuicem ore accipiunt, redduntque: miles ciui am cus, militi ciuis supremum in funere præstat officiũ, mox ipse secuturus: nullum Galli; nullum Angli in morte discrimen; nisi quod ille patriam secum ruentem deplorat, hic vrbem quam sibi seruare non potest, dominis perire lætatur. Quæ domus vacauit funere? quæ familia lacrymas siccauit? & licet exequiarum iam esset periculosa occupatio, flere tamen semper sub casside vacauit in specula. Itaque mors vltimum tot malis remedium afferat. Non dabit omnibus. Est ne aliquid vltra quo rebellio suos auctores punitura progredi possit? Reperietur. Nam postea quam expirauerint, ne eorum quidem carne temperabitur, sale condientur membra mortuorum, & ciuium morticinorum adipe ciuium corpora sustentabuntur. Proh Deus immortalis! vbinam gentium versor? de quibus, & apud quos hæc enuntio? Gallos-ne vobis ad omnem humanitatis rationem moderatos, an gentes quibus nihil humanum est præter cibos, appono spectandas? In exercitus numerosissimi conspectu & luce, in orbis tum temporis theatro, in ipso Galliæ sinu renouatas esse Thyestæas epulas, violata dentibus humana cadauera,

Ab obsessis humana cadauera deuorantur.

deuoratis canibus homines in canum degeneraſſe rabiem, & excuſſo dominorum iugo contra ſuam met ipſorum rebellaſſe naturam? O furorem! ô portentum omni aruſpicum diſciplina procurandum! Prætermittite tam tetrum ſceleratumque facinus miſerrimorum temporum teſtes hiſtoriæ, neque ad reliqua ſæculi noſtri flagitia hoc etiam propudium additote, neſciat ſimplex & innocens poſteritas ſub optimo Principe Gallorum aliquos tam fuiſſe crudeles. Quod ſi rem tantam vel leuiter perſtringi cogit ratio veritatis, ferendum erit, & ad cladem declarandam ſufficiet, ſi ſuppreſſis cæteris id ab infante puero factum narrabitis, qui cum matris inhæreret vberibus, eaque inter dulciſſimos amplexus animam exhalaſſet, ore licet nondum armato dentibus mammam arroſit: cumque nihil aut ad ſugendum humoris, aut ad deuorandum virium ſupereſſet, in materno ſinu vitam non reus teterrimi poſt hominum memoriam facinoris, depoſuit. Quæ rerum perturbatio, Deus ſanctè! quę labes naturæ! quam noua, quam inaudita perduellionis ſupplicia! Benadabo quidem Samariam obſidente mater filium ſibi vicinæque appoſuit epulandum: Tito Hieroſolymam oppugnante monſtrum idem apparuit, famoſa gentis vniuerſæ vbique terrarum extirpatione, vrbis vrbium euerſione, amœniſſimæ regionis vaſtatione infeliciter expiatum. Calaguritani vrgente Pompeio vxores filioſque ſuos in alimentum verterunt: deuoratam autem à filio matrem quis legit? quis audiuit? quis ſomniauit? Non habebat miſera parens vnde vitam quam filio dederat

tueretur: dent, inquit, pœnas suæ fæcunditatis vterus, sterilitatis vbera, conserua te mei parte pars mei, & si mea potes anima viuere, vitam fuge post sanguinem. Sic moritur infelix mulier cui parere vacauit, vbi viuere non licebat: sic infans vltimæ calamitatis exemplum, nihil in matris corpore nisi mammam vbi moreretur, inuenit.

Iamdudum, vt arbitror, vobis prodigio simile videtur quod in hac rerum desperatione nemo desperet, quod in humanorum ciborum vsu humani sensus nihil recuperent, quod vitæ ferinæ pertædeat neminem qui prodita, si ita loqui, licet, vrbe victoris clemētiā mereatur. Nimirum obstinatos animos spes auxilij Britannici sustentat, & cum aliud nihil poterunt, posse mori delectat, quod est triste solatium desperatis. Adest igitur tot votis expetitus Anglus, & se iam iterato victum non immemor, præteriti temporis ignominiam hac vna victoria delere cōfidit. Tum enimvero hæreticæ factiones tota Gallia renouantur: excitant se coniurati, & in Pictones exercitum deportare conantur. Rupellani verò anguibus persimiles qui hiberno frigore stupefacti ad ignem, aut verni solis teporem extremam caudam circumferunt, caput attollere, parere ad muros, plures immenso labore globum ferreum in tormentum immittere, atque illud ipsum nimis feliciter explodere. Diceres ad salutare nauium Anglicanarum sidus vitam mortuis restitutam.

Auxiliaris Anglorum classis Rupellam commeatu instruere conatur.

Nostris igitur ex aduerso & in mari nauigiis, & in aggere militibus dispositis, hostes cum ingenti tormentorum terrore, quorum oppido liberales

Ea tertio à nostris repulsa lōgius secedit.

ſemper fuerunt, ſemel atque iterum naues promouēt bitumine ac ſulphure illitas, quæ noſtram in claſſem delatæ conceptum incendium vndecunque diffunderent. Id inuentum Tyriis olim aduerſus Alexandrum perinde vt optabant, ſucceſſit: noſtri autem oppoſitis obicibus, & iniectis vncis machinamenta illa in Regis conſpectu è tanto terrore & minis, in commune gaudium propriis ignibus mutauerunt. Sub aqua etiam natatiles (ô artificium!) cuniculos immittūt, qui nauium noſtrarum carinis ſuppoſiti aut violenter perfoderent, aut ſi minoribus lembis occurrerēt, diſruptos in altum eiacularentur. Huic quoque noſtri occurrunt periculo, & terribiles illas machinas cogunt Oceani fluctus ictu luſorio perforare. Certatur vtrinque validiſſimè tertio impetu: ſed Anglus cum nobis nihil incommodaret, & ipſe ſibi timere inciperet, longius extra teli iactum recedit, negatque ſe ad pugnam, ſed ad pacem faciundam aduenisse. Frigida vox, & quæ totum aut maritimi æſtus, aut belli Rupellani ardorem potuit extinguere.

Regis in conflictu virtus & fortitudo militaris.

Non dubitabo vobis audientibus, Viri Clariſſ. referre quæ hoc in prælio geſſit Rex inuictiſſimus: Alacritatem ſingularem ad hoſtis aduentum: Vigilantiam qua illum Sol oriens ſemper vidit in littore: Artem militarem qua manipuli omnes perfectè collocati erant: Diligentiam verè imperatoriam, qua fiebat vt quacunque illi impetum facturi videbantur, ſemper occurrerēt Ludouico. Dicam etiam illam periculorum contemptionem, qua ſupra circumque volitantes cum horribili ſtridore igneas è maioribus tor-

mentis

mentis glandes; & in paucos à se passus inciden-tes aspiciebat intrepidus. Equidem si id apud eas nationes referrem quarum Reges imperant bella, & in epulis suas audiunt victorias, paue-factus exclamarem: quid agis Rex maxime? quò regni fortunam præcipitas? quid tibi cum mi-litaribus officiis, cum eorum fato qui soli per-eunt? Tam tuo capite tegitur, quàm illud tegit exercitus; tua salus omnium est vita; omnes ti-bi quietem suo emunt discrimine, tu omnibus tua quiete securitatem: solus periculi tui me-tus si victoriam non eripit, minuit: abi, late, spe-cta eminus; benè pugnat Imperator qui vincit in suis. Hoc, inquam, dicerem ignauis illis, & qui nunquam castra nisi alienis oculis viderunt. Sed Franci Regis longè alia est quàm cæterorum ra-tio, qui victoriam nisi quam ipse manu faciat, suam non putat: nec enim meretur vincere qui nihil egit vt vinceret. Nam vt desint cętera, vnum illud, videre milites & videri, adesse in illo glo-riæ theatro spectatorem virtutis, nihil fortiter fa-ctum auribus, sed oculis credere; quis non vi-det quàm sit illo in rerum periculo exercitui vti-le, Principi gloriosum? quàm multi dum fortes videri volunt à Rege, fiunt? quàm multos pudor in gradu retinet, & qui præsente Imperatore fu-gere non audeant, vincere coguntur? Iam Nobi-litas, iam qui gloriæ stipendiis militant quæ pe-ricula non prouocant, quas acies non irrumpunt, quam in eius oculis securitatem non habent, quo spectante vicit quisquis gloriosè mortuus est? Sed quasi de otioso loquor, ac non de eo Rege qui ordines ipse instruxit, qui omnibus adfuit,

qui cum extra periculum consistere rogaretur, inter balistas laborabat, dirigebat in hostem tormenta, & destinatas naues vix irrita explosione feriebat. O ingens & eximium laboris bellici preconium, quod ei assuetas imperiis manus Princeps admouere non refugit! ô vehemens ad opera quæque aggrediunda incitamentum, quod illa laureatæ tot victoriis manus exercuerunt! Macte Rex fortissime, vbi validior est hostium classis, accurris: euge: vbi crebrius tonat, insistis: eia: vnde hosti maior pernicies comparari potest, fulminas feliciter: periculum habes commune cum omnibus, fructus victoriæ totus erit tuus: vides quantum ab armato & pugnante Rege roboris miles accipiat, momenti prælium, regnum gloriæ, victoria gratiæ. Si tantùm vt pugnares, vt pericula prouocares, vt te præteruolantibus globis opponeres, vt Ducem consilio, exemplo militem ostenderes, hinc rebellauit Rupella, inde centum & triginta nauium classem armauit Anglia, propè est vt exclamem, Tanti fuisse! Hæc ego Scipionum & Camillorum sæculo in tuis laudibus non posuissem, cùm imperia sudoribus, victoriæ periculis parabantur: cùm Imperatores de militibus non tam stipendia quàm vulnera faciebant: cùm prodigio simile fuisset imperatorum omnibus non esse fortiorem omnibus. Nunc verò cùm militaris gloria à castris ad aulam, à sole & puluere, ad otium & delitias translata est: nemo iure reprehendat si in virtutibus tuis commemoro non tantum veram illam, & tua partam industria victoriam, sed etiam vmbratilem in exercitatione campestri militiam. Tu enim paucis

ante deditionem mensibus cum pulcherrimum exercitum in opportuna valle lustrares, quàm periteè aciem dirigebas, quàm solerter & ingeniosè nouas phalanges & cuneos excogitabas? Quis veteranorum non obstupuit superesse sibi aliquid à Rege iuuene discendum quem ætatis prærogatiua docere debuerat? Quis tyronum gauisus non est obtigisse sibi magistratum, qui noua omnia in re militari præter se ostenderet? Stabant distincti armis, disiuncti locis ordines: tu sola maiestate armatus, & grandem illum exercitum mente complexus, hinc peditem, hinc equitem lustrabas, arma explorabas, hortabare nominatim, stare, progredi, ferire, cauere, dextrorsum, sinistrorsum ferri exercitata voce iubebas: ad quam ita mouebatur exercitus quasi ad victoriam duceretur. Quid tum animi fuisse putamus obsessis, si tamen se tum obsessos sentiebant, cum sol armorum illorum fulgorem in editissimas turres, vnde paratam sibi pompam spectabant, eiacularetur? quid spei concipiebant generosi illi duces militesque tuo vnius exemplo ad peruincenda quæque mirum in modum animati? Tu verò, Ludouice, illum Nobilitatis florem, robur iuuentutis, animorum alacritatem, ardorem gloriæ, mortis contemptionem quo vultu, qua mente spectabas? Quid tibi de tua dicebas potentia? quas tum Prouincias, quæ Regna his militibus te duce optasti, sperauisti, promisisti? Neque enim si propiè loqui volumus, legiones illas occupauit Rupella, sed exercuit; & tamen vrbem imperij capacem pars quota Francorum militum penè otiando subegit?

Angli pacẽ petunt.

Sed reuenio ad hostem, quem nisi consequor elabetur. Is verò ad hunc modum repulsus, & ab euincendi aggeris spe deturbatus, pacem rogat: vt olim Richardus Anglus, Philippo armatus armato se submisit. Admittitur ad colloquium, quia supplicat. Nam recenti adhuc eius aduentu cum Rupella tantæ classis superba præsidio pacem à Rege peteret, respondit ipse fortiter quod olim Appius Clodius Pyrrho, pacem sibi cùm armatis non esse, post superatos Anglos eorum preces auditum iri. Anglo igitur leges dantur à Rupellanorum rebus penitus auulsæ & distractæ. Hoc istis dolet; & spes omnes præcisas, & se à sociis proditos, & suo commeatu viuere infideles. Hîc tandem aliquando causæ suæ iniquitatem agnoscere, rebellionis pudere, in Regis clementia Gallicam sperare mansuetudinem, Insularium perfidiam execrari, & vicissim prodere proditores. Itaque quem sceleris adiutorem adsciuerant Britannum, eundem faciunt summa ipsus infamia deditionis spectatorem. Ad Regis inuicti pedes accidunt, orant, supplicant per quicquid ipsi sanctum est, amentiæ suæ, perduellionisque veniam, vt à domino victi, à Rege subditi, à patre filij, licet rebelles, & modis omnibus profligati.

Rupellani sua spe delusi Regi se dedunt.

Veniam rebellionis supplices postulant.

Vides, Regum illustrissime, quod maiorum tuorum plurimi ambierunt, nemini tam beato esse licuit vnquam vt obtineret, deditam supplicantemque Rupellam. Hæc illa tot seditionum flabellum, tot tumultuum auctor & parens, quæ pro vicini elementi natura tam assiduè turbata fuit, atque agitata; vt ab ipso portu suo tempestates inchoaret, ferocientes animorum fluctus

ad maiestatis tuæ pedes frangit, & allidit. Exciderunt antiquæ illæ voces superbię contumaciæque plenissimæ, quibus præcedentes Reges, quibus teipsum ad iustissimam iracundiam prouocauit. Obstupescunt perduelles superari potuisse suam audaciam tua virtute, peruicaciam constantia, perfidiam consilio, vrbem fortitudine: vix satis crederent munitiones suas, quas ędificauerant æternitati, vnius anni spatio expugnatas esse, nisi te illi parem operi coram intuerentur. Nunc ergo victi, abiecti, sordidati, cuius potentiam debilitare non potuerunt, implorant clementiam. Vide quid hîc agas, quid consilij capias, quid supplicibus respondeas? quod Galliæ, quod Europæ, quod posteritati, quod cœlo, vnde victoria, probetur: ne committe, per Deum immortalem, vt cum cæteræ belli partes eximię fuerint, extremus hic actus, tanquam ab inerti poëta neglectus esse videatur. Habes in consilio duas illas actionum tuarum omnium comites, asseclasque virtutes, Pietatem, & Iustitiam: Hæc victos illa supplices, vtraque te tibi repræsentat: debetur perduellibus terror si oderunt, filiis charitas vt diligant: Iustitia metu comprimere, Pietas allicere beneficentia, exẽplo nõ hæc minus quàm illa continere desiderat. Fecit victoria de rebellibus supplices, supplicatio de hostibus ciues; tu, licet arma circũstrepant, classicum personet, muri tormentis quatiantur, in ipso præliorum conflictu Pater es Patriæ. Quindecim ciuium millia iam tibi iustitiæ rigor eripuit, in quæ nullum ius est pietati: eos etiam qui supersunt incommodis, torminibus, morbis afflixit: reliquam sorori partem ne dene-

get. Quicquid in proſtrata corpora decernitur belli metas tranſilit, vſque ad crudelitatem Omnia in rebelles poſſe integrum ſupplicium eſt, quando qui totis viribus hoc egerunt ne quid contrà ſe poſſes iam ſupplicare coguntur ne velis. Atque id quod petitur, nemo non poteſt eripere; donare, Rex ſolus & victor. Quid in hac virtutum Regiarum controuerſia, ſi eius arbitri eſſetis conſtituti, decerneretis, Auditores? Quam in illa tam ancipiti contentione rationem ſequeremini? Nam vt verum de me fatear in hac cauſa aqua mihi hæret; quod enim alteri concedetur, id alteri pareat neceſſe eſt. Vtraque ius ſuum proſequetur? At res in medio relinqui non poteſt. Neutri ſeruabitur integrum? at diuidi nequit: niſi fortaſſe inter pœnam & veniam, inter vitam & mortem eſſe aliquid medium cenſeatur.

Regis mira clementia in ſalute rebellibus danda.

Veniat, opinor, ſapientiſſimi Regis diuina mens, & inter ſuas ipſe virtutes iudicium inclytum iudicet. Liceret vtinam omnes quotquot ſunt vbique nationes in hanc aduocare concionem, vt admirabilis grauiſſimæ litis ſententia non Galliæ tantum, ſed humani generis auribus exciperetur! Adeſte ſaltem animis qui hîc adeſtis corporibus, & Regem iuuenem, offenſum, victorem, aduerſus rebelles olim, nunc genua prenſantes, abiectos ad pedes, ſubditos tandem ſuos pronunciantem audite. Vrbem deditis, inquit: Accipio. Bellè. Iuratis æternam fidem & ſubmiſſionem: Audio. Præclarè. Quid tum poſteà? Sed vt rebellaſſe pœniteat, vobis vitam fortunas, libertatem redono? Quid eſt auditores? qui vos repentinus ſtupor oppreſſit? de ſuo ſtatu

dimotæ sunt cogitationes vestræ? Nescitis Francos Reges ita vincere solitos vt nemo se victum sentiat? Regis optimi mansuetudinem sæpè aliàs non estis admirati? Quid? Clementiæ Regiæ non benè conuenit cùm virtutis bellicæ prodigiis? Quid? Naualem ab Anglis. Obsidionalem à Rupella coronam merebitur, à suo ipse genio Ciuicam non impetrabit? Quanto autem minus est hostes exterminare, quàm ciues seruare? quantò gloriosius mortuos ad vitam reuocare si potuisset, quàm paucos ad mortem damnare, quod inopia, quod fames, quod morbi, quod, si omnia cessent, faciet ætas imbecilla. Felicitatis Syllanæ pars fuit seruata vrbs pulcherrima, etiam interemptis ciuibus: quis inuideat felicem esse omni ex parte Ludouicum? Hæc est vera perpetuaque de perduellibus victoria hostes semel bello, bonitate sine fine superasse Regem æstimate de Deo, qui proximus est: num is salutem dat hominibus dum vitia profligentur?

Atenim res erat exempli, iustitiæ aliquid donare, non totum clementiæ. Nondum, vt video, regiæ vobis sententiæ perspecta est, & explicata significatio: vos nimia facilitate dissolutam putatis: ego contra clementiæ paululum eius grauitati seueritatiq. aspersum esse contendo. Nam è duobus & viginti hominum millibus qui ineunte obsidione Rupellam incolebant, vix tria superfuisse millia: ex epulis & delitiis ad mures, ad coria, ad ipsa hominum cadauera deuoranda esse compulsos: ex vrbe opulentissima munitissimaque, disiectis mœnibus, exhaustis opibus, vastata regione despectum fieri oppidum, indicto

Eiusdem in iis puniendis iustitia.

perduellionis crimine si quis vnquã de reiiciendo sermonem inferat: & quod superbis & rebellibus omni morte intolerabilius esse solet, supplicare victori, quantæ acerbitatis essent hæc omnia, nisi lenitate condirentur? Quid autem illis concessum est, nisi quod quia durum videbant, neutiquam rogauerunt? Sinuntur viuere qui mortuis inuidebant: iubentur spirantia trahere cadauera vt diutius moriantur: coguntur oculis ipsi suis spectare victorem exercitum intra mœnia, quem si potuissent, haud sanè paulò libentius quàm ciues suos dentibus lacerassent. At certè solum exilio commutent. Imò verò subsistant in patria, incolant substructiones suas dirutas, habeant in conspectu quotidie quod lugeant, excruciet illos antiquæ felicitatis recordatio, & suam ipsi miseriam circumspiciant. Perniciosa saltem falsæ credulitatis libertas ab eorum animis euellatur. Primùm, illud humani non est imperij. Deinde non video quod funestius supplicium in sceleratos Deus ipse constituat, quàm vt maleficiorum suorum conscientiæ dedantur. Ad virtutem, honestatem, sanctitatem cogere, clementissimæ necessitatis est: libera peccandi potestas voluntarius est tortor & carnifex. Habeant igitur sibi libertatem quæ eos perdidit: videant in vrbis suæ ruinis præmia libertatis, & si satis domiti non sunt, fruantur iterum libertate concessa. Videtis, Audit. quæ in hoc iudicio clementię, iustitiæque partes fuerint, atque hanc temperationẽ à Regis optimi natura profectam. Quam certè non sensisses Rupella, si te fortuna illa cui vota feceras Anglo Regi prodidisset. Te-

ſtis Geſſoriacum nauale, teſtis Rothomagũm & Cadomum, & ſexcentæ vrbes aliæ, ne clades noſtras commemorando renouem. Incidiſti in Regem qui tantum vincere nouit vt parcat, & laborum ſuorum fructum putat ſalutem miſerorum. Quin illum ad te inuitas ? quin portis patentibus excipis ? propè eſt vt experiare quod luſcitioſi, qui poſtquam ſe diuturnis tenebris mulctauerũt, feneſtris tandem apertis ſolem ſtatim admittunt, & illud noctis ſupplicium non benigni ſideris, ſed morbi ſui culpa ſentiunt irrogatum.

Regis in vrbem deditam ſolennis ingreſſus.

Itaque quod orbi Chriſtiano fauſtum felixque ſit delectæ ab Rege ipſo cohortes vrbem ingrediuntur, & perpurgatam vicino eius aduentui præparant. Quacunque incedunt domos, vicoſque inſepulta cadauera, ſolitudo plateas, triſte iuſtitium tabernas, ferale ſilentium totam ciuitatem occupauit : ad fores non crebras cadauerosæ facies, ad rariores feneſtras vultus ariditate contracti, reptantes in angiportis homulorum laruæ, quas ſanè in tenebris tibi nolles occurrere. Iam vides miſerrima ciuitas, iam ſentis quid in furore tuo atque amentia cõſilij, quid in externorum perfidia præſidij, quid in coniuratorum impotentia fuerit adiumenti. Tu cum alluentis Oceani referta commodis, beata rerum copia circunfluens, plena mercatoribus opulentiſſimis, ciuibuſque fortiſſimis, muris ſupra omnes Europæ vrbes ad miraculum munita rebellionis principatum admiſiſti, non ſperabas fore aliquando ciuium tuorum ſepulchrum ; non præuidebas imminere tibi pro frequentia raritatem, pro abundantia egeſtatem, pro affectata tyrannide, du-

tam, si Victori Domino placeret, seruitutem. Non sentiebas hos esse rebellionis euentus, neque quorum insaniam superabas, eorum exitus recordabare. Tibi iam hæc imputa, quæ in pace sub Rege felix esse noluisti, cui iustissimo bello captæ reuiuiscere licuit per victorem. Sic igitur exhaustam, desolatam, afflictam suo scelere ciuitatem salutaris Christianissimi Regis ingressus non pristinæ tantum incolumitati, sed etiam splendori restituit. O Kal. Nouembres! ô diem illum tibi, Rex Maxime, tuæque Galliæ gloriosum! quo die victor exercitus acie per te disposita, signis explicatis, tubis tympanisque concrepantibus, te medium auro, armisque radiantem complexus, in subactam vrbem pœnè dicam humeris intulit; cum tibi ad portam subsistenti Illustrissimus verè Cardinalis Richelæus vrbis claues obtulit; cum ad pedes tuos iterum ac tertio se Rupella demisit, & illud suum quod tanta difficultate perdidicerat, Viuat Rex qui nobis pepercit, humiliter succlamauit. Qui tum plausus! quæ acclamationes! quæ festiua vndique victricium tormentorum tonitrua! vrbs castris regiis, agger classi dat signum ad lætitiam, & dum loci illi distantes certatim gaudij significationem explodunt, admirabilem laudum regiarum concentum efficiunt. Ipsi etiam Rupellani semimortuam voculam ex imis pulmonibus reuocant, & manante lacrymula, ô bonum Regem! tenui aspiratione susurrant, ita leniter vt soli audiri mereantur.

Cardinalis Richelei verbis claues Regi offerentis oratio.

Et quoniam quo sunt ampliores victoriæ, eo maioribus auxiliis comparantur; illarum autem

gloria ſic eſt Imperatoris tota, vt abſque diminutione in alios deriuari poſſit: ſi te hoc loco compellauero Cardinalis Richelæe, nihil committam à dignitate regia, vt opinor, alienum. Nam vt olim Palladis clypeo ita Phidiæ nomen erat inſertum, vt eo ſaluo non poſſet euelli: ſic in optimam partem nobiliſſimæ poſt homines natos victoriæ, maximæ quę poſt fundatum Imperium Gallicum amplitudinis vocante ipſo Rege veniſti. Scimus enim quo te ille vultu aſpexerit cum tua potiſſimum opera triumpharet: qua conſiliorum factorumque tuorum fiducia ad Vrbis portas illi occurreris: quibus verbis claues quas tradidiſti ſubſecutus ſis. En tibi, inquiebas, Rex inuictiſſime, Rupellę claues à me diu iam ante promiſſas. Quid ais Purpuratorum illuſtriſſime? Rupellam tu Regi diu ante promiſeras? cum terra marique munitiſſima, cumulata diuitiis, tuta fœderatis, de Regum clementia, de bonorum gemitu; de Catholicæ fidei reliquiis intolerabili ſuperbia triumpharet, eam Regi promittebas? Tantum fore putabas aut in Rege felicitatis, aut in Ducibus animi, aut in militibus audaciæ, aut in Gallia virium aut in te conſilij vt ſperares vel poſſe tentari? Auſus es mente complecti deſperationem Hæreticorum, ambitionem Anglorum, fœderatorum perfidiam, vires Imperij, artes Hiſpaniæ, tumultus Italiæ, ipſam elementorum naturam pro vrbe ſua ſponte inexpugnabili conſpirantem: vt hæc quæ ſingula terrere debuerant, vniuerſa inflammarent? quis te in illa rerum perturbatione tanto ante vatem quis diuinum effecit? Florens Galliæ ſtatus? at erat exhauſta pecu-

niis. Hostium imbecillitas? at nunquam confidentius libertatem, tyrannidemque suam in tuto collocauerant. Sociorum auxilia? at vsu iam ante compertum erat vtrum alteri quam nobis salutem nostram deberemus. Rupellam igitur illam quæ tum digito cœlum tangebat, duabus omnino rebus, Regis fortitudine, & ingenio tuo inferiorem videbas cum eam promitteres: Sentiebas nimirum aut cingi obsidione, aut impressione expugnari debere: illic consilia tua, hic exercitus fortitudinem, vtrisque Regem superfuturum. Vallata est. Nihil incurrit quod non præcepisses: nihil mouit, quod non animo composuisses: nullus tentatus est exitus, quem non ante clausisses. Venisti ad Rupellam pulcherrimorum operum certus, castra positurus quę cum Rege descripseras, aggerem erecturus quem Regi persuaseras, hostem submoturus vt præuideras, vrbem traditurus cui promiseras. Atque ne dubium esset domo allata tua consilia, eo loco, inter tonitrua tormẽtorum, clangores tubarum, sonitus tympanorum, vociferationes militum, professus es nullum tibi diem periisse, quo die artis implicatissimæ librum non perlegeres; in eoque nullam tibi hactenus salebram occurrisse, quæ lectionis tuæ cursum retardaret. Quis id de homine vllo crederet, nisi diceres? Scripsit quidem in expeditionibus Iulius Cæsar, declamauit Octauius in obsidionibus, noctes totas pœnè in ipso procinctu Brutus legendo traduxit. Sed ea quæ interdiu feceris in commentarios referre, scribæ est non ineruditi: inanes autem sententiolas aptis verbis enunciare, diligentis est scho-

Dionysij Petauij opus de Doctrina temporum.

lastici: Philosophum denique de rebus pulcherrimis disserentem audire non facilius esse quam iucundius nemo non videt. Sed rem otiosissimi studij, contentionis infinitæ, obscuritatibus impeditam, computationibus molestam, disputationibus subtilem, non artem, sed ingeniorum equuleum, non præcepta, sed studiorum scopulum, nō regulas, sed temporis voraginem, in illa negotiorum mole, præsentibus periculis, futurorum solicitudine, importunitate hostium assiduè atque expeditè commentari, diuini cuiusdam ingenij est, & hominis de sua virtute securi. Profectò si tu tam obscura ante Rupellam cepisti, capiendam opera tua Rupellam vaticinari potuisti.

Classis Anglicana triumphi regij spectatrix in reditu naufragium passa.

Quod si hostis externus æquè aut in peruidendo sagax, aut in aggrediundo strenuus, aut in diuinando felix, atque acutus ille & acer nostri Regis oculus extitisset: nunquam certè rebellium societatem se induisset, vnde sine summo dedecore & ignominia non potuit emergere. Nam illo tempore ad communem Gallorum, piorumque omnium exultationem, quasi iustum corollarium accessit Anglorum desperatio, qui non ante senserunt se ab iis quos reliquerant, derelictos. Quam diuersæ discrepantesque ab ea classe voces prodierunt, vt non se dedidisse Rupella, sed Angliam perdidisse videretur. Erat autem gloriosa illa classis tanto apud nos contemptui, vt nisi præsentiam suam tumultu & vociferatione declarasset, nemo tum illam esse triumphi nostri ferculum aduertisset. Et paucas tum quidem naues aut à nostris depressas, aut à se incensas amiserant: sed ingentem aliquam cladem,

& dignum perfidia sua supplicium aliqua velut præsagitione sentiebant. Habet quippe commercium cum fluctibus procellisque Ludouicus, & prælibatam à se classem ventis tradidit tempestatique debellandam. Redeat igitur in Angliam cum libuerit officium suum tam generosè perfuncta: sciat tamen se Aremoricis cautibus debere naufragium.

Regis erga Deum pietas admirabilis. Hac ergo pompa victor religiosissimus in sacrum templum deducitur lauream in Dei Opt. Maximi gremio depositurus; cui tantam victoriam intimo pietatis sensu gratulari non contentus, dat vrbi diem solenni supplicatione lustrandæ. Is autem vbi ordinibus omnibus, ipsique ciuitati lætissimus illuxit per vndantes aulæis vicos, inter dispositas militum cohortes procedit auro gemmisque resplendens pompa, & Imperatorem suum in Hostia triumphantem aperto capite, demisso in terram vultu, candida ad manum facula sequitur Ludouicus. Si nos, Rex Christianissime, in campestri meditatione, & laborum tolerantia qua milites exæquas: si in hac vrbis expugnatione, quæ fortasse alteri contingere poterat: si in clementiæ testificatione qua cæteris quidem excellis, sed ea Regibus Francis omnibus communis est, latuisses: in hac tamen te supplicatione, in hac pietatis religionisque exhibitione teipsum deprehendissemus. Agnosco enim, tu ille es qui Benearnenses vrbes ingredi olim recusasti, quia locus in iis sacer nullus erat, qui te de rerum tuarum successu gratias Deo referentem exciperet: qui cum Nauarrinum victor intrares oblatam tibi vmbellam, Augustissimæ quę

te præcedebat Hostiæ intactam consecrasti. Tu ille es qui à Deo aduersus suos-met hostes virtutem toties postulasti: qui nihil vnquam difficile & arduum inconsulto numine aggressus es: qui perennem felicitatis tuæ cursum vni Deo acceptum referre soles.

Quod si vlla vnquam in re vim tibi suam potestatemque impendit, totam hanc quantacunque est, victoriam miraculorum crebritate sibi vendicent. Tu quidem morbo difficillimo conflictabare cum tibi est iniectum ardens desiderium, & magna spes affulsit vrbis expugnandæ, quod assidentibus magno cum animi sensu referebas: ille tibi Deus Rupellanam expeditionem, quando minimè opportuna hominibus videbatur, quasi sacrum bellum demandabat, qui Diuum olim Ludouicum aduersus Saracenos eodem modo instigauit. Ille coniunctas duorum potentissimorum hostium vires dissipauit: ille Anglum Insulæ Reacensis obsessorem eiecit: ille hostium tibi consilia patefecit, & paci totius Regni consuluit dum tu in angulo bellum gerebas: ille fluctus Oceani ad nauium tuarum cursum, & aggeris tui momenta temperauit: ille Rebelles longa & horribili fame castigatos ad tuos pedes abiecit. Tot tamque illustribus beneficiis quam gratiam aut habebis aut ages, nisi vt eadem beneficia prouoces amplius & attrahas? Paria cum Deo non facies nisi maiora semper optando: ab eo enim qui solus donare potest, omnia postulare, est ipsum sibi obligare. Vide quibus te à pueritia gradibus ad hoc gloriæ culmen adduxit. Non es in summo; superest aliquid post Rupellam. Alias

Non sine Dei numine suscepta hæc & perfecta obsidio.

quære terras quando iam te non capit Oceanus. Non sunt opus alia miracula vt apud exteras nationes maioribus tuis felicior existas, quam quæ te illis in regno tuo fecere maiorem. Si vis vti victoria, si gloriam tuam non defraudas, si Deum sequeris, Orbis Imperio Rupella prælusit.





PANEGYRICVS LVDOVICO XIII.

FRANCORVM ET NAVARRÆ REGI DICTVS.



Ad xv. Kal. Decemb. Anno 1620.

QVOD in locandis vectigalibus Romæ Censores, in conscribendo exercitu Consules obseruarunt, vt à bono nomine rerum gerendarum initia caperent; id quanquam superstitionis habuit plurimum, fuit tamen ad excitandos hominum animos satis idoneum. Cum enim peragendi negotij cupiditas ex futurorum spe pendeat, ad quę humanæ mentis acies hebescit & retunditur: fit nescio quomomodo vt in omnem diuinandi occasionem intenta mortalitas, ad ipsam rerum vmbram, futilitatemq; nominum adhærescat. Huic verò coniecturæ fidem fecit nonnullorum curiosa, & diligens obseruatio, quibus

A nominibus indicia futurorum.

non absurdè peti possunt. si quid feliciter, aut secus eueniret, quod omen vocabuli præ se ferret, id continuò quasi certum characterem actionibus cæteris adprimebant. Fuerunt & quibus mediocritatis inimica superstitio inesse persuaserit fatalem nominibus potestatem; vt eo se necessitate rapi dicerent, quo syllabarum nexus. & fortuita voculæ vnius significatio inclinaret. Horum insaniam vt omnis sapientum natio semper explosit, ita priorum sententiam, si prudentiæ ciuilis ponderibus examinetur, momentum in vtramque partem non inutile habiturá putauit. Christiana certè pietas sæpè diuinam in eiusmodi nomenclationibus agnouit prouidentiam, vt quod anteà nomen inditum temerè videbatur, id posteà diuino planè consilio vsurpatum appareret. Enimuerò si vana est, & inanis omnis eiusmodi animaduersio, cur ipse rerum & hominum molitor Deus Abrahamo, cur eius nepoti Iacobo, cur Ioanni, cur Petro, & sexcentis id genus, aut noua nascentibus nomina indidit, aut adultis vetera commutauit? Quo minus laborandum mihi video, vobis vt consilium meum probetur, Auditores, quod de Regis laudibus hodierno die dicturus, eas ab ipso nomine, tanquam à capite arcessendas putauerim.

Diuino cōsilio non temerè Regi Christian. Ludouici nomen inditum. Nolite enim existimare, vt cæteris hominibus, ita Regum filiis vix in lucem editis, ex vnius arbitrio susceptoris, die lustrico nomen imponi Longa multorum annorum interualla, quæ priuatam lustralis aquæ inspersionem, & solennem sacrorum rituum accessionem distinguunt, nonne satis apertè declarant explorari diligenter quid ætas illa tenerior spei faciat ad virtutem sui generis imi-

tandam? Quid enim aliud spectari potuit eo die, Rex Christianissime, quo die sacro delibutus oleo, cœlo terraq; plaudentibus, dulcissimam illam pulcherrimamque Ludouici nomenclationem reuocasti? In susceptoris nomen adoptatus es? At is & Paulus fuit Pontifex, & quem vice sacra legauerat, Franciscus dicebatur. Primum illud vocabulum in mentem venit; estque tam repentè prolatum, quàm fortuitò cogitatum? At eorum rituum veneranda, sanctaque maiestas, & diuturna tot annorum expectatio quibus iam te viuere, hominemque esse sentiebas, casus atque fortunæ suspicionem omnem amoliuntur. Parentibus gratificari volebat? quibus? vt Henrico patri, vt auo Antonio, vt abauo Carolo. quos (si sic visum fuisset superis) mirum quantum exhilarasset non minus nominis, quam sanguinis atque virtutum hæres clarissimus. Fuit igitur illa tua profectò, Ludouice (Nonum illum verè Magnum, verè Ludouicum appello) in Nepotem charitas, in patriam olim tuam pietas, in Imperium Gallicum prouidentia, vt eum tuo potissimum nomine illustrares, quem tui aliquando simillimum & esse, & facere cupiebas? Qui tum plausus hominum fuit, quæ gratulatio, quum interceptam per octo Reges, annis penè centum appellationem, quasi postliminio in pristinum dignitatis gradum reuocares? Cucurrit id nomen admurmuratione gratissima per ora multitudinis infinitæ, quæ ad id spectaculum ex orbe vniuerso conuenerat, & præsagiente animo, tua (Regum Sanctissime) laudum decora, virtutumque insignia tuo illi Nepoti destinabat. Atq; hi clamores

Franciscus à Ioyosa postea Cardinalis Ostiensis sacri Collegij Decanus.



nondum, vt opinor, ſatis deferbuerunt, nec vnquam in eorum qui tum præſentes erant, memoria conſeneſcent. Nos autem ad quorum aures leuiorem aliquam lætitiæ ſignificationem rumor ille propagauit, quis vetet, Auditor. eandem voluptatis partem reguſtare hoc loco, in ipſis Regiæ domus penetralibus, vt conſeſſus hic veſter, qui quantus quantus eſt, Regis beneficium loquitur, in ſuauiſſimo Ludouici nomine, Regiiſque laudibus acquieſcat? Quæ vt penitus veſtris in animis memòriaque inſideant, conficiendum mihi eſſe video, Regem Chriſtianiſſimum hac ætate, his rebus geſtis, atque virtutibus omnem granditatem, maieſtatemque ſui nominis impleuiſſe. Et verò ſeu vim illius ſignificationemque perſcrutamur, ſeu ex vetere Annalium memoria replicamus Francorum Principes eo nomine honoratos, vno, altero-ve, nimis dixi, exceptis, vel reliquorum nemo tantum nomen æquauit, vel hic noſter ſuperauit.

Nomina ex hominũ moribus imponenda.

Quo die Reipublicæ gubernacula ſuſcipiebant Imperatores Romani, eos Senatus crebris acclamationibus, magnoque ambitu, in Antoninorum nomen adoptabat: vt præclaro illo nomine & boni principes ad virtutem impellerentur, & mali à flagitiorum dedecore auocarentur. Verùm vt illorum pietati ſuſcepta appellatio parum addidit, ſic neque de iſtorum flagitiis, & crudelitate quidquam diminuit: cùm eam illi etiam antequam deferretur, hi ne poſt admiſſam quidem, mererentur. Eſt enim honorifica nominatio non cauſa morum, ſed dignitatis argumentum: neque aliud effecit nomen Imperatoris Op-

timi, nisi vt in alteris falsum appareret, quod erat in vtrisque alienum. Et hæc quidem appellatio qualiscunque tandem fuit, fragili nixa fundamento, præsentem rerum statum in anxietate, futurum in voto, vtrumque in obscurissima rerum ignoratione habebat Tutiorem itaque nominis imponendi viam repererunt: qui? Poëtæ; quales? dicendum enimuerò est, Comici. Ita enim præcipiunt scribendæ comœdiæ magistri, esse Poëtæ illi primum omnium excogitandam simillimam veri fabulam, quæ in priuati alicuius facto, moribusque consistat; tum demum illi homini nomen persimile moribus imponendum. Neque desunt qui in eam classem reiiciant Poëtarum Deum Homerum, qui, quem bello Troiano primum occubuisse finxit, Protesilaum; quem de hostibus filij cadauer pretio redemisse, Priamum appellauit. Facturus-ne sum quidquam impiè, si te hoc loco, Deus Optime, Maxime, cum hominibus eiusmodi comparauero? Num tu enim magnus Poëta es, vt cum viro sanctissimo loquar, effector omnis molitorque naturæ? Tuæ verò menti vt omnia præsentia sunt, & eximium illum anticipatæ cognitionis oculum, per ea quæ nos homines futura vocamus, circumfers, si quem ab omni æternitate designas victurum rato tempore, quem in aliqua statione singulari, tanquam tui exemplar homines intueantur? eius absolutionem, perfectionemque omnem, deinde apto & conuenienti nomine dotes, earumque vsum, & finem complecteris. Vnus è numerosa Noëmi posteritate progisus est, qui diuinitus electæ præter cæteras

genti daret originem : eum Abrahamum, multorum videlicet patrem, placuit appellare. Excutiat seruitutis Ægyptiæ iugum infinita Hebræorum multitudo, & medias Erythræi maris arenas illis numero comparanda, sicco terat vestigio : vnus tot millia in Regionem illam omni copia redundantem introducet, atque is Iosüe vocabitur. Regum duorum armis & bellica fortitudine assertum, amplificatumque est Iudaïcum imperium ; quis potentiam illam præsidio satis firmo stabiliet, si diuturna pacis, & otij tranquillitas aberit ? Rex ergo pacificus imperet, qui iustitia subditos coërceat, hostes auctoritate contineat, exteros sapientiæ fama conciliet, omnes diuitiarum magnitudine antecellat, atque is Salomon nuncupetur. Francorum gentem moribus candidam, Religione conspicuam, Ecclesiæ præsidium, Regnorum gemmam, Orbis delicias, multis bellorum procellis & tempestatibus iactatam, impositus derepente naui gubernator pristinæ restituat tranquillitati, portum faciat vbi libuerit, anchoram iaciat quocunque venerit sit ipse anchora vbicunque fuerit, iustè pieque imperet ; quid multa ? Ludouicus appelletur.

Ludouici nomen virtutum Regiarum significationem continet.

Ad hanc tam præclari commemorationem nominis quis sit vester, Auditores, sensus, planè nescio : si tamen ex meo coniecturam facere permittitis, ea vos interius perfundi voluptate arbitror, quæ potest esse maxima. Sic enim habete, nihil ad præsentium virtutum, quas in Rege Christianissimo miramur, com-

mendationem illustrius, nihil ad spem futurorum facinorum certius hoc vno nomine dici & excogitari potuisse. Nam Germani veteres maiores nostri Regiæ magnitudinis formam, quam an mo comprehensam habebant, huius vocabuli compositione complexi sunt; quo & Reges suos ornauerunt: vt non Antoninos ab hominis vnius imitatione; non Augustos ab aliqua maiestatis specie; non Ptolemæos ab vna officii Regii parte; sed à virtute numeris omnibus absoluta Ludouicos nominarent. Est enim eius nominis (Litauicum Cæsariana tempora; Luduic siue Lodoic, Gothica; Leodeuicum siue Leudeuicum Annales Francici vocarunt) bipertita fictio: nam Leódes, siue Leudi vetere lingua Populos significant, Vvyk autem Refugium, aut Viam: vt collecta significatione Ludouicus Populi Asylum, vel Populi Via nuncupetur. Equidem nolo esse hoc loco syllabarum auceps, & cantor etymologiarum: sed tamen eorum hominum qui magna facere, quàm dicere malebant licet admirari, sapientiam, qui omnes Regij muneris partes tam aptè paucis syllabis colligarunt. Nam cum eius officij cæterarum gentium Reges communi agnomine commonerentur, suum voluerunt ipso prænomine excitari; vt quoties se Regem cogitaret, toties Ludouicum esse meminisset: sentiretque se frustrà Ludouicum appellari nomine, nisi Regem officio repræsentaret. Neque verò alias in Rege virtutes, quàm quæ augusto illo nomine continentur, Deus ipse desiderauit, cùm ab omni æuo sic homines

Verum nominis Ludouici etymon est Populi Asylum, aut Populi Via.

gubernari voluit, vt vnus cæteris dignitate antecelleret, penes quem rerum summa esset: vt quemadmodum diuina illa mens per hanc mundi aspectabilis fusa naturam: sic iste propagato in partes omnes prouidentiæ, potentiæque numine, orbem bonis & necessariis legibus temperaret. Hominis autem illius thronum esse iussit, arcem bonorum, improbitatis scopulum, propugnaculum innocentiæ, inopiæ perfugium, virtutis scholam, iustitiæ adytum, benè beateque viuendi officinam, pacis atque otij fundamentum. Huic inter homines Deo beatam ciuium vitam proposuit, vt ea opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit: viuat ipse aliorum commodis, oblitus sui; admittat in animum totam Reipublicæ curam, tamque se pro subditis, quàm suprà subditos esse cognoscat.

Ludouicus populi Asylum.

Hæc cum de Regibus dico, conuerti me animo, & cogitatione sentio ad Ludouicum nostrum, tuasque, Rex Christianissime, virtutes, quarum prima hac ætate tam illustria ponis fundamenta non leuiter adumbrare. Enimverò quid est tam Regium, quàm subditis fruendam dare iustitiam? Iustus est Ludouicus. Quid est tam Regium quàm salutem hominibus dare, benignitate & clementia imperium temperare, Religionem patriam, quam à maióribus nostris accepimus, colere diligenter, & retinere? Pius est Ludouicus. Quid est tam Regium quàm innocentibus asylum, ægris solatium, inopiæ subsidium, virtuti præsidium

præbere? Populi perfugium eſt Ludouicus. Sic enim cogito totam in Regis noſtri ſinum effudiſſe ſe Rempublicam; cum primum ad eius acceſſit gubernaculum, & apprehenſo clauo maximum ab vniuerſo naufragio auertit periculum. Certè poſt funeſtiſſimum illud parricidium cuius meminimus vt execremur, quo deſperati hominis præcipiti furore & amentia, Sol de mundo, id eſt è Gallia, è viuis ſublatus eſt Henricus ille Magnus; meminiſtis, Audit. quæ hominum conſternatio, quæ ordinum confuſio, quæ rerum perturbatio fuerit: quanti externorum bellorum turbines nauem præcipitantem iam & inclinantem euerſuri, qui ciuilium tumultum vortices hauſturi timerentur: dum homines metus ſuos ſtupendo magis, quam loquendo nunciarent, inque communi deſperatione perire cum omnibus, ſingulis eſſet ſolatium: ſcitis illo die Regem in Senatu cum ſalutarent Patres Conſcripti Ludouicum, & ſequenti, cum in magna Principum, & Procerum corona ſpectandum ſe præberet, cum arma de manibus poni edicto iuberet, ne quis publica trepidatione ad priuatam audaciam abuteretur: tantam derepentè pacem, tantam tranquillitatem extitiſſe, vt non ereptus hominibus Henricus, ſed mutatus; neque eo motu labefactata eſſe Reſpublica, ſed vt ſtaret firmius, titubaſſe videretur. Lætę per vrbem quacunque incederet acclamationes, ſublatum ferale iuſtitium, apertæ officinæ, feſti per plateas, vicoſque ignes de morte, de luctu, de fortuna triumphabant: remotioribus oppidis prius

gaudij seges, quam doloris materia, ante pacata omnia quam timoris causæ nuntiabantur. Atenim fuit hoc Regis, non Ludouici fatum, vt patiens Imperij populus Principem sine discrimine sumeret, tanquam de manu naturæ. Istud cum dicitur, quis non videt nominis nostri dignitatem stabiliri, quodque alius quilibet Franciæ Delphinus perfecisset, hoc istum & potuisse vt Regem facere, & debuisse vt Ludouicum? Deinde traductus est in Germaniam exercitus qui Patris fidem exolueret, qui socios atque amicos Principes manu, consilioque adiuuaret: missi in Lotharingiam Legati, qui dissidentes periculósè Fratrum voluntates ad piam, & æternam pacificationem adducerent; alij qui ardentes pestifero bello Italiæ citerioris prouincias lustrarent, pacem inter Principes redintegrarent, redditisque veteri domino Vercellis bellum penitus profligarent. Quæ res omnium oculos mentesque ita deuinxit, vt Romanus Pontifex ex illa rerum humanarum arce, ex qua veluti specula præclara omnium facinora contemplatur, duo in illa Regis ætatula mirari satis non posset, Beneharensis Ecclesiæ res (vt tum putabatur) compositas; & captam iure belli vrbem, loco opportunam, opibus nobilem hosti ab victore restitutam. Horum vel vnum cogitare, fortis esse animi; aggredi, magni & exaggerati; perficere verò tam paruo labore, perfectæ demum cumulatæque felicitatis. Quis enim credat puero adhuc tantam vim & auctoritatem fuisse, vt fidei & bonorum hostes terrore, vicinos Principes

reuerentia, Imperio ſubditos contineret? Sentio me impreſſa vbique terrarum virtutis illius veſtigia conſectantem, euectum longius quam propoſiti neceſſitas deſideraret: Ex hac tamen peregrinatione domum illud ſaltem referemus, non vnius Francorum populi, ſed præcipuarum orbis vniuerſi gentium, atque nationum in Ludouico perfugium reperiri. Prætermitto audita ſæpè ſubditorum vota, vectigalia attritis Prouinciis aut imminuta parte maxima, aut penitus condonata: pacem toto regno priuatis incommodis, bono publico ſæpe confirmatam; & ſexcenta vobis non ignota, quæ Regi cuilibet Aſyli popularis nomen mereantur, ſtabiliant Ludouico. Venio iam ad alteram regalis huius vocabuli poteſtatem, qua ex Ludouici nomine datam diuinitus populo viam auguramur.

Ludouicus populi via & exemplum.

Magnam (Auditores) virtutis neceſſitatem Regibus Deus impoſuit, quibus ſolis eſſe malis in ipſo cordis receſſu non licet, nedum in aperto palatij. Dicta omnia, factaque Principum rumor excipit: cumque paruam habere non poſſint famam, eniti debent atque contendere, bonam vt habeant. Sic animo comparati neſcio quibus vinculis ſubditorum animos ad imitationem ſui rapiunt, & eos rectè facere docet, iubentque, faciendo. Quid enim eſt Regis vita niſi cenſura? quid vox niſi viua lex? quid actiones niſi præcepta? quid exempla niſi Imperia? Cum hæc agitaret Ludouicus, ſimulque ſtatueret omnibus imperaturum, meliorem eſſe debere omnibus; quod ad terrenæ dignitatis apicem eueheretur, fortunæ eſſe non virtu-

tis, casus non iudicij, felicitatis non bonitatis: eam ipse sibi legem dixit, vt cum in summa potestate licere videret omnia, libere tantum vellet optima. Itaque gentis lege ortus ipsius meruit imperium, sed legi virtus addidit suffragium: illa fecit vt oporteret, hæc vt deceret imperare Ludouicum. Quanta priuatam vitam agat innocentia, testes sunt diurna pietatis officia, quibus sibi numen tanta Religione demeretur, vt eum non in summa fortuna natum, non in aulica educatum licentia diceres, sed inter mediæ sortis homines, sub coactoris alicuius adoleuisse disciplina. Vetus est in Rege optimo non tardari somno, non detineri negotiis, non auocari venationis voluptate, ab incruento altaris sacrificio quotidie frequentando: nemo miratur festis diebus concionum, aliarumque precum celebrata solennia: vsitatum est post solis occasum ponere cum conscientia rationes, & de singulis factis, dictisque in iudicium venire. Quid dicam de crebra, & plusquam menstrua peccatorum, quæ in hac naturæ fragilitate obrepere necesse est, expiatione? cuius sacramenti vsu professus aliquando est, sanctéque audientibus Purpuratis pluribus confirmauit, se non iuuari modo, verum etiam magnopere delectari. Eant nunc extortæ pietatis homines, quos scelerum conscientia annuæ eorum confessioni tanquam catastæ & eculeo admouet; qui sic agunt vt nolint, sic loquuntur vt contemnant, sic sentiunt vt non audeant aperire medico vulnera, & salutarem curantis seueritatem experiri.

Timeant iudicem ij, quorum ab oculis libido, facinus à manibus, flagitium à toto corpore nunquam abfuit: ad æquitatis tribunal, ſanctitatis recuperationem, meſſem gratiæ lætus atque alacer ibit Ludouicus, ſiſtet ſe Deo vt iudici non ſeuero, vt parenti non irato: committet vnius hominis auribus, quæ omnium oculis explicare non erubeſcat. Iam quanta inter Regiæ menſæ delicias victus temperantia, quanta in ipſo adoleſcentiæ feruore continentia, quæ rerum omnium præterquam honeſtiſſimi laboris moderatio? Quis ab eo toleratus vnquam eſt alienæ laudis inimicus obtrectator? Quis dulce adulationis venenum in eius aures ſecurus infudit? In quos ſeuerius iracundiam virtutis ſuæ cotem diſtrinxit, quam ſi quibus prætextatum aliquid temerè excidiſſet? Hoc eſt, Audit. viam populo ad virtutem facere, hoc eſt blandè ad honeſtatem cogere, hoc eſt pietatē volētibus imperare. Nam vt flexibiles ſunt animi noſtri quācunque in partem ducimur à Principe, dominique moribus viuit familia, ſcitum eſt illa Regis conſuetudine, magnum aulicæ licentiæ frenū iniici, vt malos aut eſſe, aut parere ſub bono Principe pudeat. Teſtes frequentia iubilęa, quę Pariſiis, quæ Rothomagi, quæ Fōte Ebaldi tāta religione celebrauit Curia, vt ciuibus ſpectaculo, exteris miraculo eſſet, omnibus ardētes ad pietatē faces admoueret. Regis exemplo pedites deſtinata precibus templa frequentabant Principes, & venuſtula illa palatinorum troſſulorum turma; Matronæ opulentæ, optimates, quæ ante illud tempus vſum pedum amiſerant, atque ipſæ Regis Sorores, puellæ te-

nerrimæ, lutulentas pede intrepido vias calcabãt; cum quas ante sordes, execrabantur, imitandi Regis ardor faceret pretiosas. Quis hoc alius lege, pœnaque extorsisset? Quis rem si ab vno fieret difficillimam, fieri ab omnibus impetrasset, qui prior ipse non fecisset?

Eorum Galliæ Regum qui Ludouici nuncupati sunt virtutes Ludouicus noster repræsentat.

Atenim populi asylum, & viam vt nomine, sic officio, vita, moribus exæquat Ludouicus; an etiam gentilium maiorum virtutes in quorum sceptrum & nomen hæres fortasse non dignissimus allectus est? Alexandro militi dicebat olim Magnus Imperator, Eia, commilito, Alexander es, caue quicquam timidè gesseris aut ignauè. Quam sæpè illud sibi dixisse Ludouicum putatis (Auditores) seu cum in ingenti Luparæ aula dispositas maiorum imagines intuetur, seu res ab eis præclarè gestas ex Annalium vetustate erui, sibique à sacræ memoriæ magistris enarrari iubet.

A Iustitia sibi agnomen elegit Ludouicus.

Quo enim spectat diuina illa vox cum sub ipsis regni auspiciis quæsiuit ex hominibus sapientissimis, quibus censerétur cognominibus, qui olim Reges sub Ludouici nomine floruissent? Vbi accepit Transmarinos à loco, Hutinos à moribus, Crassos à corpore, Desides à vita, Pios à clementia, Leones à fortitudine nuncupari: Est ne, inquit, quem pacis bellique facinora Iustum appellarint? Minimè omnium; licet enim sanctitate Nonus, sapientia Vndecimus, patriæ charitate Duodecimus illustres fuerint, quod assequi sine iustitia non potuerunt, nemo tamen vnus in illa domina, atque Regina virtutum peculiare studium collocauit. Quod ergo mihi, subiunxit Ludouicus, Regnoque benè vertat, Iustus & esse

volo, & appellari. Magnifica vero vox, & excelso animo digna, qua humanæ coniunctionis vinculum, officij Regij finem vnicum, virtutum omnium summam vno complexus desiderio, in eo culmine puer adhuc, & iam tum aliquid sapere incipiens fixit vestigium quo maturæ ætatis homines vix tandem gradatim perueniant.

Videor mihi videre sedentem ad maiorum imagines Ludouicum, & singulorum acta, titulosque curiosè perlegentem, hæc secum diuina illa mente cogitare. Natus es, Ludouice, quo istorum optimi euaserunt: illi Regnum è paruo fecere magnum, tu à Regno magnitudinem accepisti: dederunt illi periculis & laboribus, quod tu conseruares. Habet & ars regendi gloriam suã. Fortes illi fuerũt; tu esto iustus: facile nomẽ, quod miror nullũ aut meruisse, aut accepisse: quis autem è subditis non dedisset si meruissent? Quæcunque sparsa per hanc Regum tabulã virtutum insignia video, diuino isto nomine continentur. Tu quidem Clodouæe Merouingiorum stemma Ludouici nomine illustrasti, tu Remis inauguratus es, tu liliatum scutum prætulisti, tu fidei perduelles magno animo domuisti: illis rebus res ego meas video respondere, nisi quod diutius ab gratia diuina extorris mancipium dæmonis perstitisti: ego non terreni prius quam cœlestis Regni hæres destinatus, in adoptionem filiorum Dei sum vocatus. Quis ille autem in secunda Carlouingiorum stirpe obesus, semisomnus, cultu muliebri? Quis, malum! isti Ludouici nomen indidit? quid pugnantia aut loquitur, aut viuit? Ludouicus qui sit, deses esse potest? ô labem nominis! ô Regni dedecus! tu illa tua in-

Ad maiorum imitationem se vehementius incitat.

dignitate cæterorum coloribus vmbram præſtitiſti, vt eminerent. Quam turpe omnium vtilitati natum regiæ parietibus includi; aliorum oculis videre ſubditos, quos ad fruendas voluptates tuas menditate oneraris, alienis auribus cœli terræque de te querelas exaudire? An ſi tu bubulcus, aut militaris lixa natus eſſes, hac apud poſteros infamia laborares? Quid hic tibi animi Ludouice? In hunc excandeſcis? eum liberè non tu ſolus, ſed & ſubditorum quilibet conuicio verberat: Quid agis? Libera eſt poſteritas, quod eſt, ſentit, quod vult, loquitur: illi labora, viue æternitati. Apage mihi verba iſta byſſina quæ blandiloquentia ſuffocant; ite vos tineæ, ſoriceſque palatij, titillando proditis: ſiquidem meæ fortunæ alij, ego amicus animo meo fuero. Nihil ſapit cui nemo verum fateri audet; ſtultus eſt qui neque ipſe ſibi. Famæ, Ludouice, ſeruias oportet, & conſequenti ſeculorum memoriæ. Latere non magis tibi, quam Soli contingit: tua dicta, factaque auriti vocaleſque reddunt parietes: numeris omnibus abſoluta ſint oportet, quæ ab omnibus probari debeant. Excitent te ad ſummum decus, tum maiores cęteri, tum ſuperfuſa omnibus tria illa lilia, inſigne regiarum virtutum ſymbolum: Fidem excole laudatarum actionum fundamentum: adde Sapientiam rerum omnium moderatricem: muniantur hęc duo Militari gloria; quid multa? Deum, animum, nomen ſequere: Ludouicum te iuſtum & ſentiant homines & prędicent. Hæc & ſimilia cum ſolus in conclaui meditatur Ludouicus, ſeque ad regnandũ exercet, num vobis obuerſatur ob oculos, animoſque architectus

aliquis,

aliquis qui ſplendidiſſimã extructurus non Regi cuipiam, ſed ipſi felicitati baſilicam, nobiles orbe toto regias explorat, vt conſtantem vnam, & abſolutam perfectionem ex aliarum quaſi adumbratione conſtituat? Inſpiciamus ſi placet, Aud. quantæ ſubſtructionis fundamenta iecerit, quam altè extulerit, quibus è Regiis præcipuas ſibi partes deſcripſerit.

Cum optimis Francorum Principibus comparandus eſt Rex optimus.

Scio equidem, Audit. nihil non lentè, non parum gratè ſine comparatione laudari: ſed illi mihi malo publico, & virtutis damno facere videntur. qui principum laudationes ſuis ſe partibus abſoluiſſe autumant, ſi eos collatione cum malis facta diſſimiles oſtenderint. Atque ille ipſe virtutis, iuſtitiæque princeps Traianus incomparabili illo Panegyrico ſic laudatus eſt, vt ſola peſſimorum comparatione optimus videatur. Ergone Regum felicitas eſt malus anteceſſor? aut in ſummo honorum apice conſtituti ſatis ſunt boni, ſi abſunt à peſſimis? Panegyricum inſtituis: cui? Principi: quo agente? vtilitate publica: quo fine? vt bonus quæ facit, malus quæ debet facere cognoſcat. Eos igitur ad quorum exemplum ipſi ſe forment, profer in medium: prætermitte ſilentio quæ alter commemorata non amet, alter etiam execretur. Quare iure mihi imprimis lætandum eſſe video, quod hoc loco, hac laudationis forma, ſolos bonorum optimos cogar producere. Cum enim conſtet in nobiliſſima Regum Francorum ſerie, quibus diuinum Ludouici nomen contigit, eos & numero, & rebus geſtis antecellere; paucos de illis, quanquam omnium virtutes complexus eſt, nullo ordine ſeligam, vt

& mihi desinendi libertas sit aliqua, & vobis nulla necessitas audiendi.

Ludouicus Magno Patri simillimus filius.

Mihi sanè (Auditores) Ludouici Octaui elogium præter cætera semper arrisit, quo patris optimi filius, optimi filij pater fuisse dictus est. Is enim patrem habuit Philippum Augustum, quem Adeodatum sua sæcula vocitarunt; filium vero Ludouicum Nonum, quem virtus, religio, pietas consecrauit. Hoc præconio quid Regi felicius, quid populo dici potest optabilius? à patre virtutis exemplum habebat; in filio stabilitatem Imperij: uederat ille vt priuatim bonus; faciebat hic, vt etiam subditis esset commodus: pulcherrimam virtutis, felicitatisque hæreditatem à patre acceperat, quam filio integram reseruauit. Potuit-ne hinc atque inde suos spectare bonos, non ipse optimus? Vellem Deus immortalis fecisset, vt idem de te, Ludouice, prædicare possemus! vtinam paruulus aula luderet Ludouicus, qui te tantum ore referret! pangeres sceptrum Gallicum firmiore illa columna, Lilium Francicum bulbo singulari adaugeres. Ætas non postulat, inquies: Certè; sed subditorum, sed amantium, sed cupidè appetentium votis nihil est præmaturum. Alterum autem quam tibi liberaliter Deus contulerit non dico, ne Solem ipsum facibus videat adiuuare. Alexandro Philippus pater non satisfecit: itaque Iouem ipsum in illud nomen adsciuit dignissimus Ammonis cornibus filius Philippum Augustum patrem Ludouicus Octauus non æquauit: itaque filium sustulit, qui superaret. Tu autem, & Henrico verè Magno beatissimus

es, & Henricus qui non nisi ingentia vt facere, sic amare potuit, in vultu tuo, atque moribus acquieuit. Itaque non est quod aut ementitum supponas patrem tibi æqualem, aut vilius filij humeris incumbas, quibus altius subueharé. Nam si verè dixit ille, (atque vtinam verè non dixisset!) tam exiguum esse bonorum Principum numerum, vt in annulo vno possint describi: eius certè annuli gemmam (absit verbo inuidia) faciet Magnus Henricus, quem militari gloria veterum paucissimi superarunt, Clementia, Fide, Religione, Regiis virtutibus nullus æquauit. Huic autem eius filio quis neget acceptam referri oportere præclarorum quæ ipse inchoauerat operum perfectionem? Exeunte pueritia miles fuit Henricus; Ludouicus etiam Imperator: per vniuersam Galliam bella circumtulit Henricus; pacem, salutem, felicitatem Ludouicus: ille multa oppida vi ferroque expugnauit; huic ad abruptos pontes, ad vrbes munitissimas, ad arces inexpugnabiles venisse, vicisse fuit: ille Orbem terrarum nominis sui, armorumque terrore compleuit; decem ante huius ortum diebus, terra multis Europæ locis tremuisse dicitur, quasi præsentiret Galliam sibi dominum parturire, qui decimo regni anno formidabilem se hostibus reddere inciperet. Ille diram singularium certaminum carnificinam, & ingens illud duellorum incendium, quod opinione gloriolæ quasi flabello ventilatum nobilissimam regni partem fœda depopulatione vastabat, edicto repressit; hic eodem maiore in suos charitate renouato sæpius, & oppor-

tuna seueritate atque constanti stabilito, paucorum ruina, omnium metu sustulit, suffocauit, extinxit. Ille hæreticos, quorum furiosa Religio, sanguine & cædibus; audacia, bellorum licentia; opes, rapinis & sacrilegiis creuerant, tolerandos putauit; hic odit quibus nihil debet; contemnit qui nocere non possunt; lacessit quos perdomat: quique armatis ante precibus nihil non posse videbantur, Regesque ducebant non suæ libertatis dominos, sed voluntatem ministros, nunc victi supplicesque caput fortunasque suas redimere coguntur. Ergo deuotæ iam illæ publicæ tranquillitati victimæ à Rege Optimo seruantur, vt clementiæ exemplum, vt gloriæ seges, vt perennis materia triumphorum. O non degenerem sanguinem! ó sanæ radicis vegetum surculum! ó maiorem fonte suo fluuium! ó filium parente optimo meliorem!

Ludouici robur & habilitas in exercitiis militaribus.

Has vero virtutum infulas quibus tandem artibus meruerit Rex Christianissimus, si quis à me quærat, duas potissimum recensebo, fortitudinem, & sapientiam; quarum alteram à Ludouico Caroli Calui fratre: alteram ab eiusdem filio Ludouico altero hausit, & expressit. Sic enim referunt historiæ Ludouicum Secundum Lotharij filium, comptos & delicatos milites execrari solitum, vt qui armis potius & laboribus, quam deliciis, & choreis delectaretur. Deus Immortalis, quam breui penicilli ductu totum Regem expressimus! Quid enim aliud est Ludouicus, quam voluptatum olor, somni parcissimus, laboris tolerantissimus, hostis otij? quis illum vnquam in quiete vidit? quis in lecto matutina sa-

lutatione occupauit noctes solidas dormientem? Iter aut negotium confecturo solenne est punctum temporis quo sit illud agressurus designare: quis non diu ante horam paratum conspexit socordes excitare, instare pigritantibus, expeditis præstolari? Quid dicam de admiranda laboris tolerantia, cum ipso meridiani solis æstu vibrante, apertas camporum planities non pedibus magis quam cursibus peragrat, custodiæ suæ paucos qui subsequi possunt non ducit, sed rapit, turbinisque in morem vbi fuerit, qua transierit, quatenus progressurus sit explicari non valet: Quis è tota aulicorum cohorte feruentes arenas, ô hiulca siti arua rapientem comitari potest? quis attingere? quis non longo subsequi interuallo? Pulchrum est generoso puluere sordere venantem, & neglectæ vestis lacinias per senticeti asperitates trahere, fossas transcendere, siti confectum anhelare. Atque hæc ipsa venatio quam laboriosa quies est, quam idoneum iusti præli simulachrum, quam negotiosa species otiandi. Itur in inuia humanis lustra vestigiis, obsepti dumis horrentibus aditus perrumpuntur, pendentia rupium, montiumque iuga superantur, excutiuntur cubilibus feræ natura immanes, passi sanguine, periculo quod præsens sentiunt furibundæ. Hîc quod Persarum Regibus mos & lex id Ludouico dedit habilitas atque industria, vt primus venationem feriat: prodiisse prædam, latebris ictus admonet, priusque Regis solertis glande transfixit, quam canum sagacitas videri nunciarit. Quod si aucupium est, quam elegeris auiculam in ipso aëre securè volitantem, notato

etiam quod soli vestigium cadendo cruentatura sit, assequitur. Placet interim laborum mutatio, ne aut vires violenti, aut salutem periculosi, aut sanitatem continui exhauriant. Nunc profertur in flumina corporis robur, & magno remorum impetu fragoreque obstantes aquarum franguntur vortices; nunc in ipsa regiorum nemorum amœnitate castella munitissimas arces imitantia extruuntur: primus in opere Ludouicus terram ligonibus aperit, fundamenta excauat, fossas prætendit, muros terrestres excitat, perfectisque omnibus, ipse propugnantium oppugnantiumque vices partitur, ordines disponit, & in simulata illa oppidorum aggressione dat ardorem pugnantibus, à quibus accipit disciplinam. Illis nimirum gradibus ad eam rei militaris peritiam ascendit, quam nuper ingenti cum voluptate Flexiensis ager aspexit. Dispositi per signa ordines, iam non ludicri, explicatus apparatus, instructæ legiones: illi cataphracti hastas vibrare, hi tormentarios sclopos amitibus incubantes quasi explodere, hinc decurrere equites, illinc imaginaria pugna pedites velitari: Ludouicus autem vnus tot corporum animus, certè inter tot virorum fortissimorum miracula, vnicum spectaculum, flagrante cœlo, eminens in equo, cursitare per cuneos; salutare manipulos, aciem explorare: modo spectante exercitu equū admittere, admissum sustinere, leui & pœnè nullo freni ductu gyrare in orbes; quæque sessor peritissimus in campestri meditatione ab nobilibus discipulis raro exprimat, ea per sese Imperator adolescens exequi. Quis tibi disciplinam illam

campiductor tradidit Ludouice? An vt Alexander quæ ad regiam dignitatem faciebant sine magistro solus, sic tu quæ ad bellum gerendum, & arma tractanda, à natura tua eiusque ad omnia gloriosa propensione didicisti? An Martios tibi animos infudit parens ille tuus, cum ipso ortus tui puncto tenerum corpusculum amore paterno circumferens, tibi in delicatas manus ensem dabat, vt non prius spirare, quam ferrum tractare non prius viuere, quam ensem stringere inciperes? Quid tum emeritis ducibus, quid veteranis militibus quid ipsis etiam tyronibus animi fuisse putemus cum & Regem viderent, à quo videri beatum erat, eumdemque Imperio Ducem, manu, operaque commilitonem spectarent? Quam sæpè his se vocibus ad periculorum contemptionem incitarunt; quid moramur? quid hanc Regis alacritatem perdimus? classicum est, canit commissionem, eamus pugnemus: Rex est qui virtutem & nouit, quam incitat; & amat, quam exercet; & compensat, quam preuenit.

Iam vero quantum à superfluo corporis cultu, & munditia non virili absit Rex noster, nisi qui eum nunquam viderit, ignorat nemo. Impexum illud capillitium, cincinnnus in humerum temerè proiectus, squalida sudore & puluere facies, neglecta vestis, gladius è zona decussatim obliquata pendulus, quid aliud indicant, nisi virum esse, fortem, militem, quid plura? Regem Francorum. Equidem sic inter historicos constare video magnis olim ducibus commune illud fuisse, vt communia cum militibus haberent omnia, nihilque eos à cæteris, præter virtutem, & Imperium

Superfluũ corporis cultum negligit.

discerneret. Laborant Panegyristæ veteres, qui narrare nihil sciunt, nisi vt in maius extollant, vt credamus simillimam illi ipsi, quam nuper omnes oculis nostris in Rege spectauimus, formam & habitum fuisse Constantini, cum is adhuc adolescens Cæsaris titulo Rempub in Galliis administraret. Aliam vobis vt cuique collibitum fuit imaginem efformastis; mihi certè persuadere non possum dissimilem admodum fuisse Alexandrum, quando Philippo patre mortuo, Græciam vniuersam non passibus, sed victoriis peragrabat. Quam lepidum erat sciri ab omnibus Regem in hoc suo Collegio esse: quis, aut vbi esset à plerisque ignorari? quam multi in auras temerè salutationes, gratulationes, acclamationes iaciebant, in Regem vbicunque esset, casuras: dum alter in interiora septa volentem ingredi, turbæ metu, obiecta ianua prohiberet: alter à socio cui Rex innitebatur, & penè ab ipso Rege quæreret, vbi Rex? Nimirum scenicos Reges videre soliti pueri, plaudamentum purpureũ, coronam gemmatam, sceptrum aureum, basilicum incessum, cothurnata imperia sesquipedalia verba requirebant, Regem iis rebus æstimantes, quas si semel in scena gestarint, beatuli videantur.

Ludouici prudentia. Sed quoniam plura in Reipub. administratione consiliis, quam omni isto militari apparatu geruntur, sano Ludouici Tertij consilio vsus est, qui, vt accepimus, sopitis ineunte Regno discordiis, sapientibus regendum se commisit. Superauit etiam parte non minima noster Ludouicus, qui in illis componendis, non suo impetu, sed alieno ductu; non ex arbitrij sui cupiditate, sed

aliorum maturitate versatus est. Enimuerò licet Princeps diuinæ sit particeps potestatis,& æquabiliter in gerendis rebus fusa esse debeat prudentia; quemadmodum Deo nihil est aut longinquitate obscurum, aut obscuritate incertum,aut incertitudine difficile: habet tamen limites suos quibus definiatur humana mens, nec eo perducit prouidentiam, quò spem proiicit. Quare adminiculis alieni consilij nitendum est, & quærendi Consiliarij sapientiæ antistites, mundi lumina, ingens boni imperij instrumentum. Eos ergo delegit Ludouicus, quos verè delibatum prudentiæ florem possis dicere, quos veterum exemplis doctrina instruxit, documentis suis, sæpè & nocumentis vsus erudiit, senectus feruore animi temperato notandis, quam nouandis rebus fecit aptiores. Has Consi medullas, sapientiæ corcula, cum humeris patriam sustentare inciperet, priuatim sic affatus dicitur Ludouicus. Fideles vos mihi date factorum duces: ego me strenuum, constantemque consiliorum vestrorum profiteor administrum. Audieras, Ludouice magna negotia magnis auctoribus egere? An per te vnius hominis mentem tantæ moli esse imparem prospexeras? Didiceras ex litteris, quas prima ætate, quantum Regi sat est, delibasti, sapientem principem fieri sapientum commercio, securum præsidio, iustum consilio. An illud naturalis tibi iudicij bonitas suggerebat? Ex vsu fortasse procedit illa tua in eximia rerum omnium felicitate moderatio, qua imperandi gloriam, ipsa velut obsequendi potestate temperas: neque successus vllos bonos existimas nisi

Egregia Ludouici vox ad suos consiliarios.

quorum semina & initia à viris consultissimis accepisti. Quantum autem propè sis vt ipse tibi consulere noueris, vel hinc apparet, quod è diuersis sententiis quæ in illo sapientiæ ciuilis adyto à pluribus proponuntur, earum optimam tuapte sponte deligis, quam sequare. Itaque discessione opus non est, sed ea pars quæ tuo probatur assensu, maior est: eandemque consiliorum euentus solet facere meliorem. Quid hîc potissimum miremur, Audit. quo nomine virtutes istas nuncupemus? in Regia potestate ab alieno pendere arbitrio; vtiles administrandæ Reipublicæ vias primum peruidere, postremum eloqui: laude sapientiæ subditis velle cedere: audire patienter quod probari non possit, probare prudenter quod solum audiri debuerat: ius illud delicatum Regiæ vocis in Regni specula exuere, & id tantum aliis imperare quod aliundè sibi persuaserit imperandum? Quàm longè ab Augusti superba ostentatione discedit Rex modestissimus, qui vt se iuuenes senem audirent postulabat, quem iuuenem senes audiissent Egregiam verò iuuentutem! in qua ab ira, ab impetu, ab ambitione consilium sumpserat, quod maturæ ætatis homines sæuis adulationibus probare cogebantur, non vt veri copiam facerent, sed vt impotentis pueri cupiditati velificarentur. Prçclaram adolescentiam! qua duodeuicesimum vix egressus annum, iam pugiones in sinu amicorum absconderat, insidiis M. Antonij Consulis latus petierat, proscriptionis edictum inter cœnam dictauerat, Perusinas aras hominum innocentissimorum sanguine cruentarat. Tam fuit vecórs & amens Octauius,

vt ſine execratione ad tempus illud oculos retorqueret? vt non miraretur viuere ſe, qui ſimplici & incauta ætatula, conſiliarios audiiſſet tam malos, tamque præcipites?

Ludouici in Regum, & ſubditos charitas.

His atque talibus rectè factis quam ſibi apud exteros famam, apud malos terrorem, apud bonos exiſtimationem confecerit, nemo eſt qui non ſentiat. Videamus modò quantum ſibi ſubditorum omnium amorem conciliarit? Quid? Ludouicus Primus, Pius, Duodecimus, Pater populi ob mitioris animi dotes vocati ſunt; eam illis Ludouicus bonitatem & appellationem non inuidébit? Enimuerò quæ res eum potius ad Reipublicæ adminiſtrationem impulit, quàm ſumma rerum perturbatio; & impendens in omnes horas Regno periculum? Prius quidem Patris magiſterio ad artem illam artium informari cupiiſſet: & ſi res ſortis fuiſſet, non naturæ, arbitrij, non originis, emenſis omnium ordinum gradibus, ad faſtigium iſtud maieſtatis aſcendiſſet. Verùm ſubita tempeſtate deprehenſa Gallia, in eius ſe fidem ac clientelam poſuit, quem diuinitus ſibi nouerat deſtinatum. Non potuit reſiſtere Ludouicus patriæ parentis optimæ imperio, & inuitus, vt fama fert, iis ſe fluctibus, in quibus nihil certum eſt præter incertam ſalutem, commiſit ac tradidit. Quanta deinde cura ac ſolicitudine rem adminiſtrarit, quàm opportunè motus omnes compreſſerit, quàm parum ſibi pepercerit vt ſubditis præſidio eſſet, quid attinet recenſere, cùm in conſpectu ſpirans adhuc armati, & laborantis imago verſetur? omnium enim noſtrum ſomnos illius vigilia defen-

dit, omnium quietem illius peregrinationes, omnium delicias illius industria. Nimirum ita secum cogitat Rex optimus, vt orbem vniuersum Dei, sic priuatum aliquod regnum, Regis vnius domum esse; dominum, & patrem familias Regem, qui non vt seruis herus, ita subditis imperet, sed tanquam filiis: suum igitur esse singulorum vtilitati consulere, neminem grauius habere, omnes in officio retinere. Regem officij esse nomen, non naturæ: non minus hominem se, quàm hominibus præesse: in suis quoque ceruicibus imminere sempiternum dominum, quem dięs noctesque timeat; omnium ad se, suas ad illum rationes deferri oportere. Itaque fabrum esse se fortunæ vniuscuiusque è subditis, Deum autem suæ: se à statu in homines, illum à natura imperium in Reges possidere. Ita demum comparatus animus quem ambitionis cursum non retardet, cui non moderetur felicitati, tanto augustior, quanto modestior? Ex eo sensu, tanquam è perenni & liquido fonte, manauit illa comitas atque humanitas singularis, qua submittit ipse se, summumque illud fastigium ad omnia priuatorum colloquia inclinat: sibi supplices quoslibet prior agnoscit, hortatur accedere, salutat liberaliter, paucis beneuolentiam, nemini audientiam denegat. Veniat nunc ille Romanorum odium, labes historiæ, monstrum principatus, qui Senatoribus populi Rom. pedem sinistrum osculandum porrigebat: prodeant è Persepolitana Regia dicam, an arcula? Reges illi Regum, qui se vix vnquam dabant in publicum: quos amicorum intimæ admissionis cohors raro sine veli alicuius in-

teriectu, & quasi transenna conspexit. Existimabant illi fortasse ignotum omne in vulgus esse pro magnifico, & viles fieri Reges qui sint valdè ciuiles. Quasi regnare dicendi sint ij qui domus vnius septo, vt cicurandæ, aut saginandæ feræ clauduntur: qui solitudinem nunquam deserunt, nisi vt faciant solitudinem: qui Regum habere personam malunt, quàm faciem. Alia ad auctoritatem grassantur via Francorum Reges, cumque magnitudinis suæ securi sint, amorem ducunt ex humanitate, fiduciam ex amore. Nunquam vilescit filio patris aspectus: quoties Rex paret, aut nouus videtur, aut nouo desiderio: infirma est veneratio quæ terrore acquiritur, atque ipso demum timendi vsu parit vilitatem, syncerus amor assiduitate augetur.

Amore melius quàm maiestate imperatur.

Hæc sæpenumero cogitanti mihi, contigit, Auditores fingere Regum maximos stateram manibus tenere: & in altera quidem lance Maiestatem, eique coniunctum Timorem; in altera benignitatem, eiusque fœtum Amorem impositum: Et si quidem prior illa pars trutinæ supra hominum capita per superbiam, commune illius fortunæ malum, extollatur; iacere humanitatem, perire amorem: sin autem Maiestas eadem ad subditos descendat, & quam habere non potest æqualitatem, affectet; huic quidem non plus perire dignitatis, quàm Soli radios infernè demittenti, Comitati autem regiæ multum splendoris accedere, & amorem supra subditos eminentem alacriter æquè ac fortiter imperare. Atque vt herbæ quædam ad Solem, sic popularium animi ad Regem, à quo se amari sentiunt, ita con-

uerti solent, vt nulla vnquam eos videndi satietas, aut amandi capiat fastidium. Quàm rarò, quàm non nisi exigentibus grauissimis Regni negotiis ex vrbe Regia discedit Ludouicus? At ecce vix extra illam pedem posuit, cùm hortatur, poscit, flagitat reditum: eius absentia difficilem sibi vitam, inane nomen, perniciosam amplitudinem conqueritur. Illæ autem vrbes quas ingressu fortunare non dedignatur, quanta parentem publicum magnificentia, quanta felicitatis suæ auctorem alacritate suscipiunt? Diceres ipsa se effundere oppida, & dimota suis sedibus tecta hominum inuidere lætitiæ. Condensantur ad vnius aspectum populi, & quem oculis, non ad ciuitatis, sed ad felicitatis ipsius arcem ferre gestiunt, numerosa sui stipatione ad portas detinent. Vicissim omnes accedere, aspicere propius, certare cum turba: qui præeunt, festinantes, respectantesque eminentias occupare: quos præteriit insequi animo, oculis, pedibus: circumfusa ipsa multitudo impulsu vario fluctuare, satellitium opprimere, queri tam citò accedere palatia, irasci parietibus, qui amorem suum eripiant, & portas omnes, areasque, dum redeat, dum per fenestras prospiciat, pertinaci patientia obsidere. Quid est populi patrem, quid Regem esse, si hoc non est? Deus immortalis! potest-ne homini quicquam diuinius contingere? aut, si habent fastidiosi illi hominum contemptores vllum sæculum, quod vel cum vno dierum istorum possint comparare?

Ludouicus noster D. Adnotasse vos iam dudum opinor, Auditores, eligere me quæ referam: propositum enim

mihi est Principem laudare, non vitam narrare: quanquam omnia eius acta sunt eiusmodi, vt is eum optimè laudasse videatur, qui narrauerit fidelissimè. Quem enim diem perdit? quem locum non alicuius virtutis vestigiis consecrat? quod temporis momentum non laudabili signat actione? Cresceret tamen in immensum oratio, si consectandis singulis aut materiæ benignitatem sequerer, aut vestræ in audiendis Regis laudibus alacritati velificarer, aut officium in laudando meum explere cogerer. Itaque moderabor ipse mihi, & ex immenso illo campo dictionem in angustum limitem reuocabo; sic tamen vt verbo vno ingentia virtutum decora, & quicquid in Rege laudabile potest esse, complectar. Ludouicum hunc nostrum dico, Auditores, Diui Ludouici dignum successorem esse, verum imitatorem. Hoc cùm dixi, dixi omnia: neque per Reges cæteros, vbicunque terrarum, quocunque sæculo vixerint sparsa vlla virtus est, quam nudum huius imitationis nomen non comprehendat. Nimirum illa cum sanguine descendit in nepotes, & in heroïcorum filiorum animos diuina parentum integritas deriuatur. Hunc ergo generis sui auctorem, si virtutibus non refert Rex Christianissimus, caussæ nihil esse dico quin tam diuino nomine sis indignus; sin autem eius & in vita modestiam, & in Regno vigilantiam, & in publicis priuatisque negotiis sanctitatem, quantum mortali fas est, exprimit; quis illum negare possit, iure vt qui ante eum optimo Ludouicum appellari? Omitto ea quæ casus vtrique fecit communia, immaturo parentis obi-

Ludouici actionum, virtutumque imitator.

tu tenellis adhuc annis, rudes ad ſceptrum manus attuliſſe; in materno ſinu primos vitaſſe ſurgentium tempeſtatum impulſus: ineun.e Regno bella domeſtica feliciter compoſuiſſe. Prætermitto etiam leuiora aliqua, quæ certo animi propoſito in eius rebus geſtis excerpſit, quæ illuſtriora faceret imitando. Ille egentes atque ægros regia menſa, regia manu paſcebat: hic ſtrumis laborantes, ipſo etiam aſpectu horridos ſæpiſſimè atque omni alacritate contingendo perſanat. Ille Religionis, atque Eccleſiæ iura fecit ampliora: quid hic ipſis militiæ rudimentis conetur noſtris penè oculis intuemur Ille ſtudia literarum promouit, & Academiæ Pariſienſis Fundatotum gloriam vnius Scholæ Sorbonicæ adiectione ſuperauit: hic imperium penè auſpicatus eſt à Collegij Regij fundatione: hic Academiam eandem reſtituto Societati noſtræ gymnaſio reddidit auctiorem: quo fructu? malo in cogitatione veſtra relinquere, quàm in oratione mea ponere. Ille vt ſordes à templis, auaritiam ab hominibus Deo dicatis, ambitionem ab omnium animis remoueret, ne præbendam quidem ædiculæ ſuæ Regiæ Pariſienſis, niſi cognitæ integritatis viris dedit: hic ſemel apud animum ſtatuit nunquam niſi probis, niſi viris donare Pontificatus, neque ad pueros, aut minus dignos admittendos vllis ſe precibus, vllius hactenus gratia permiſit adduci. Ille ſceleratam blaſphemorum audaciam, qui in humanis corporibus linguam imitantur Dæmonum, omni edictorum ſeueritate compeſcuit: hic idem edictum renouauit quo die pueritiam in publico Galliæ theatro depoſuit,

deposuit, & supremæ pietatis primitias sanctissimæ Parentis illius sui memoriæ consecrauit. In quo quid alia effecerint Tribunalia equidem nescio: vobis certè gratulari possum, Flexienses, quod incensum Regis desiderium opera vestra studioque iuueritis Contigit enim mihi ante annos aliquot vrbem fortè vestram peragranti occurrere lacrymabundum squalido capillitio, sordida veste hominem, qui se recens vinculis exemptum diceret, fortunisque penè omnibus euersum quereretur, quod ore blasphemo cœlum violasset. Laudare tunc enimuerò licuit & Regis pietatem, & zelum vestrum, vt qui optimis eius conatibus tam piè, tam religiosè, tam iustè obsecundaretis O præclaram, inquiebam, in Republica consensionem Regis ad imperandum pia sanctaque, Flexiensium Iudicum ad seuerè obsequendum! ô admirabilem æqui bonique societatem, cùm alter quasi è specula quæ bonis moribus impendent pericula, præuidet, & admonet; alij quasi virtutis emissarij pestes illas procul à ciuibus suis exterminant. Viderunt-ne aurea sæcula (quæ quoniam esse vellemus, fuisse aliquando fingimus) maiorem Regum aut Tribunalium sanctitatem? Macti esse his magistratuum vestrorum infulis, Flexienses, vosque Regi optimo ad extirpanda subditorum flagitia datè administros, vt in partem solidæ gloriæ veniatis.

Sed nimis diu Ludouicum per sancti Regis vestigia prosequor: dumque studiosius singula consector, admiror obuia, penè latent optima, effluunt vniuersa. Itaque quod molliter, & delica-

tè deambulantibus vſu venire ſolet, vt in pratum perennibus riuulis variè interſectum delati, quorum aquula per limpidos lapillos ſuſurro dulciſſimo defluat, hac illecti voluptatis quaſi promulſide non ſibi prius diſcedendum putent, quàm amœnitatis illius fontem inueſtigarint: id nobis hoc loco neceſſariò faciendum eſt, Auditores, vt ſalutaris libatiſque aliquot animi Regij virtutibus, cum à quo deducuntur fontem veneremur.

Vtriuſque Ludouici integritas & vitæ innocentia.

Scitum illud eſt, Auditores, atque omnium ſermone celebratum, quod Diuo Ludouico adhuc puero crebris adhortationibus repetebat mater ſanctiſſima; malle ſe, ſi daretur optio, filium ſuum, cuius humeris maximum Orbis terrarum Regnum nitebatur quouis mortis genere extinctum videre, quàm is peccati lethalis maculam ſponte ſuſciperet. Hoc eſt quod in Diui Ludouici rebus geſtis admiror, hoc eſt Francorum Rege dignum facinus, quod ad poſteritatis memoriam tranſmittere debuit. Potentiſſimos alij terra marique diffundent exercitus, Helleſpontum iungent claſſibus, Aſiam totam victoriis, & triumphis peragrabunt; terram quà cingitur Oceano, quà diſtinguitur inſulis, quà vaſtas aperitur in ſolitudines, quà tumet in æqualia nubibus cacumina exercituum ſuorum multitudine commouebunt: atque hæc cum fecerint gloriæ vitiorumque mancipia, cum orbes alios ſpe, cupiditateque hauſerint, in ſeptempedalem compacti arculam, cinis & vmbra, & iam nihil apud viuos, niſi nomen fient, apud inferos igni pabulum ſempiterno. At Ludouicus cùm non ſegne

otium domi triuerit sed, totum Orientem armorum suorum gloria, terroreque compleuerit; non genium suum seuera fraudauerit abstinentia, sed regia se, suosque tractauerit magnificentia; non solitudinis latebras scrutatus sese hominibus eripuerit, sed in luce Regni florentissimi, in supremi status splendore, in oculis & veneratione hominum vixerit, tamen regno exemptus temporario, regnum aliud loco immensum; gloria cœleste, duratione perpetuum inchoabit: quo agente? Conseruandæ integritatis vigilantia, quàm non alta toto Regno pax eneruauerit, non deportata in vltimas barbaræ superstitionis oras bella turbauerint; non quotidianæ regij apparatus deliciæ suffocarint. Sed hoc rudis fortasse, inquiet aliquis, exemplum tulerit antiquitas; nostra autem decoctæ nequitiæ tempora, quasi auem albam videntur hominem non pessimum videre, in omnium scelerum impunitate inaudita, in concessis fraudibus atque periuriis, in habendi cupiditate infinita. Mirum ni nostros etiam mores temporibus imputemus. Quid si rud m illam antiquitatem nostrorum vita prouocat, virtus superat? Quid si in hac sæculorum fæce auream illam B. Ludouici ætatem in Rege, in eius Nepote, in Ludouico nostro dixero renouatam? Quis nescit, quis non videt eum à grauiore noxa tam vehementer abhorrere, vt in sua innocentia Regni penè ipsius fortunas omnes collocatas esse existimet? existimet autem, imò sibi persuadeat, vt qui non studiosius Regnum quàm diuinam in mente conseruet gratiam: certus à sanitate capitis pendere membrorum omnium sanitatem,

Rem per se incredibilem testibus confirmare possum, quos nulla eleuet inuidia: cui enim potius de Ludouico credamus, quàm ipsi Ludouico? Aliorum testimonia vel gratia corrumpit, vel odium. nemo conscientiam suam decepit. Audite, Adoléscentes ingenui, vestræ ornamentum ætatis, exemplum innocentię, normam sanctitatis; & si quidem hæc oratio vestrum aliquibus non displicuit, auribus blandita sit hactenus; hoc quod dicturus sum altè in animum descendat; moriantur intra aulæ huius parietes quæ dixi cætera, hoc vnum si domum refertis, nę grande mihi operæ meæ precium erit Atque dum à me commemorabitur, cogitatè de Rege id dici, cuius & ad peccatum proritari potest cupiditas illecebris innumeris, & factorum turpitudo prolixa seruorum adulatione velari: pudeat vos in mediocri fortuna eius virtutem non imitari, cuius in aliis rebus similitudinem nemo vestrum est, qui vitæ periculis benè emi non existimet.

Continentia Regia singulare exẽplum.

Anno abhinc tertio, feria nascenti Christo sacra, cum satis constaret quod Templum obeundis pietatis officiis Rex destinasset, Matrona oris quàm animi melioris, diei celebritate ad exquisitam munditiem abutitur. Non ducam vestros animos per cerussam & calamistros, per mitellas & patagia, per auri, gemmarumque fulgorem, & cætera mundi muliebris, hoc est, blandi domesticique Dæmonis instrumenta: breuiter dicam, Regi se adolescenti venustissima mulier exornat. Tum benè manè in Ædem sacram, ô scelus! ô portentum! progreditur, locum occupat, quem Rex omni necessitate oculis intue-

ri,transire pedibus cogebatur. Opportunæ erant tendiculæ, si incautum deprehendissent; Ædem ingreditur Ludouicus, oculos acres & argutos statim in illam partem coniicit: sed quasi latentem in gramine serpentem manu tetigisset, subito resilit. Illa interim emissitiis oculis Regem lustrare, eminere in turba, popellum submouere, offerre se prætereunti, satis agere vt videretur. Ibat Rex inter circunfusum satellitium ore modesto, demissis oculis, aliquando etiam aliorsum spectantibus: quid multa? visa feliciter est mulier, ne videretur; & deprehensa discessit, quæ venerat deceptura. Vix Numen ex altari salutauerat Ludouicus, cum ad astantes conuersus: Has, inquit, mihi sæpius tetenderunt insidias; sed frustrà sunt; Deum testor, quiduis mihi perire mallem, quàm animum lethali noxa constringere. O vocem non vnius tecti claudendam angustiis, sed in concionem mortalium mittendam! ô dignam vocem cui omnes qui vbicunque sunt Reges, hominesque subscribant! ô dictum aureis litteris æternitati consecrandum! Pereant, inquit, humana omnia dum constent cœlestia; mihi vilis terra est diuinam conseruanti gratiam: securum se anguis putat si caput occultauit; quod est autem viuendi caput nisi bene viuere? mortem prouocauit veterum nescio quis, dum saluus esset clypeus; quis Reges protegit, nisi qui facit Deus? illum si mihi propitium conseruo, quis noceat? O animum verè integritatis thronum, Regiam innocentiæ, adytum sanctitatis! ô mentem admirabilem in adolescente, stupendam in Rege. Hic ille fons est, Auditores, omnium

Regis optimi virtutum; hæc illa regula qua ſingula vitæ momenta componit. Hic lydius lapis omnium Ludouici actionum certiſſimus explorator. Eius facta ſciant omnes, explicent ſinguli: deroget virtuti malitia, gloriæ inuidia, fama veritati: ad omnes obtrectatorum impetus quaſi murus opponetur Conſcientia; quicquid de Ludouico narrabitur, aut bonum eſt; aut non eſt Ludouici.

Felicem te! non Regno, non opibus, non poteſtate, ſed illis moribus, Rex Chriſtianiſſime: Felices nos tam Pio Iuſtoque Regi ſubditos! tu viam nobis ad virtutem ſternis, qui ea mentis exaggeratione ad pietatis Chriſtianæ culmen aſcendiſti; tu noſtræ felicitatis Aſylum es, qui ſummo bono penitus inhæreſcis. Cùm maiorum tuorum facta cum tuis comparanda delibauerimus, tuque illorum pleroſque iis ipſis virtutibus quibus excellebant, ſuperaueris; hæc tandem ſumma ſummarum erit, veram te omnium optimi ſanctitatem aſſecutum; illam, Ludouice, ſanctitatem quæ ipſum cœlo dedit, & perenni inter homines memoria conſecrauit. Perge quam inſtituiſti viam, Rex Magne, anniſque creſcentibus, illa religioſiſſima, illa ad omnem virtutem nata creſcat indoles. Purpuræ ſplendor, opum affluentia, imperij magnitudo, bona ſunt, ſed fortuita: nemini bonum eſſe caſu obtigit. Perfecta virtus in te non incidet, ne leui quidem opera, aut paruo labore comparabitur: ſed eſt tanti laborare omnia bona ſemel occupaturo. Felices nos, iterum dicam ac ſæpius, imperio tuo! felicem Rempublicam te ſaluo ſalui & ſecuri ſumus,

in te noſtrum omnium vota conſumũntur; te ſacram publicæ tranquillitatis anchoram, beatitatis portum, ſaluum cupìmus. Viue diu tibi, nobiſque, ſemper inuictus, ſemper auguſtus, ſemper, quod feciſti hactenus, LVDOVICVS.





PANEGYRICVS REGI CHRISTIANISSIMO DICTVS.

Ad xv. Kal. Decemb. Anno 1621.

Ecclesiæ nutritij Reges & Reginæ à Deo constituti sunt.



I QVANDO diuinitus instincti Prophetæ futuram in terris Ecclesiam vaticinatione ornarunt, eo certè tempore totam eius gloriam, amplitudinemq; æquasse mihi videntur, cum Reges Reginasque illius nutritios atq; alumnos fore dixerunt. Nam cùm in rebus humanis dignitàte Regia nihil excelsius perpetuus omnium gentium consensus adhuc repererit; cui domina naturę Diuinitas terrestres istos Deos tutores instituit, eam necesse est caduca omnia prætergressam nullis humanitatis nostræ regionibus ac terminis contineri. Et verò quid aut ad Maiestatem præstantius, aut ad venerationem augustius dici potest ea mentium nostrarum re-

gina, quæ ab omni concretione mortali seiuncta ac libera, Patrem, Deum ipsum, Sponsum, æqualem Genitori filium, Sororem in illis cæli palatiis gloriosè regnantem agnoscit, ipsa ad idem cognationis domicilium optima sui parte semper aspirans? Itaque non eius modo salutem atque incolumitatem, verum etiam omnia Majestatis ornamenta piis Regibus commēdari oportuit: vt scirent homines eam paululum à Deo discessisse, quæ primorum inter mortales curæ custodiæque commissa sit. Quod præpotentis Dei de sua fidelitate, Religioneque iudicium tanti fecerunt, vt par erat, optimi quique Principes, vt in ea tuenda, amplificanda, exornanda nulli vnquam operæ, nulli sumptui pepercerint. Natant adhuc, vt ita dicam, ipsa scriptorum monumenta eorum Regum sudore & sanguine, qui aut infinitos in sacris expeditionibus labores exhauserunt, aut suum, florentissimorumque exercituum cruorem pro sola sancti & solennis officij solutione oppignerarūt. Quid enim aliud quā factorum conscientiam secuti videntur heroës illi, qui non sibi, vt Romani felices orbis prædones; non ambitioni, vt Alexandri, vt Anniballes, vt Scipiones, gloriæ animalia: non lucri cupiditati, vt Arcades furori populorum omnium auctoritati; sed Fidei, sed Ecclesiæ, sed Dei voluntati pugnabant, vincebant, triumphabant? Quod si post nobilissimas victorias ex Africa, aut Asia, sanctum aliquod & illustre nomen, tanquam spolium retulerunt, fuit illud profecto non ambitionis trophæum, sed victoriæ additamentum; non pompæ ferculum, sed insigne virtutis; non

Ecclesia diuersis Regibus diuersa indidit agnomina.

inanis meriti ostentatio, sed vehemens gloriæ stimulus posteris admouendus. Mihi quidem Regum eiusmodi diuersorum cognomina diligentius intuenti, optimæ alicuius matris familias species versatur ob oculos, quæ filiorum solicitudine atque industria multas creditorum syrtes prætervecta, plurimis litium tempestatibus iudiciorumque procellis erepta, in eorum charitate, tanquam in portu suauiter conquiescit: atque vt quandam præteritorum laborum memoriam refricet, simul vt suorum beneficia non ad exigui commemorationem temporis leuiter adumbrata ostendat, singulos eo nomine, non sine blanditiis appellare solet, quod sua vnicuique pietas, & confecta feliciter negotia pepererunt. Ita communi omnium parens Ecclesia, quæ sanctissimi patrimonij iura maximarum gentium Regibus vindicanda, conseruandaque tradidit, hunc Catholicum, illum Fidei Defensorem, alium alio factis suis conuenienti nomine nuncupauit. In quo certè nomenclationis iudicio, maternæque blanditiæ priuilegio, neque postremum illum censeri decuit, quem diuinæ voluntatis prærogatiua Primogenitum constituerat: neque qui cæterorum omnium Princeps designatus esset, mereri tenue tantum aliquod, & humile cognomentum. Itaque & hic, quanquam in protegenda matre nunquam aliud quam filij officium facere contendit, illud semper assecutus est, iure vt primigeniorum dignus esset: & illa, quanquam eius pietati gratia in terris referri nulla poterat, præclari nominis appositione perfecit vt grata esse videretur.

Quid enim minus Francorum Reges (nam de illis agere me non erat quod admonerem) Religione, Fide, transmarinis bellis, beneficiis erga Romanam Ecclesiam meruerunt? aut quod eorum pietati testimonium illustrius impartiri potuit Ecclesia, quam vt eos Primogenitorum loco haberet, sanctissimoque agnomine tot iam ante sæculis honestaret? Nisi fortasse humani generis inuidentia, nobis pulchra videntur aliena, istud quod vim omnem reliquorum, dignitatemque & cõplectitur & excedit, minoris æstimamus. Quãtam, amabo, huic nomini amplitudinẽ inesse putatis, quo nomine nullũ habuerunt prim i Ecclesię Antistites magnificentius quod Imperatoris Romani maiestati consecrarent? Parthicos maximos, Dacicos maximos, Germanicos maximos, Senatus suos olim Cæsares appellauit: vno Christiana veritas contenta fuit nomine; sic quidem, vt cum Imperatorem, illum inter homines Deum, illũ mortalitatis pœnè cõmunis expertẽ, illũ perpetuũ Ecclesiæ patrem & tutorem, Christianissimũ nũcupauit, totã eius magnitudinem æquasse, omnes excubias, & custodias cõpensasse videatur. Neque ego certè vetera Christianorum Imperatorũ elogia magnoperè requiram, vt Nobilissimi, Sanctissimi, Dei Ministri, Pontifices etiã dicantur, dum istud sanctius atque diuinius, verũ reliquorum omnium compendium conseruabunt. Quanquam ea fuit Imperatorum aliquorum improbitas, & præuaricatio (dolenter hoc potius quam contumeliosè dicam, Auditores) vt partã à maioribus pietatis gloriã tueri nõ potuerint; sed ab iis, eorumque posteris tam præclari

Christianissimi agnomen Francis Regibus peculiare.

Olim Romano Imperatori concessum.

Sed aliquorum impietate deperditum, à nostris autẽ Regibus studiosissimè conseruatum.

nominis significatio, atque adeo nomen ipsum defluxerit. Nam quemadmodum interiectis obicibus, & fossis excauatis, quosdam amnes in aliú cursum contortos & deflexos videmus: ita post Isauricos, Copronymos, Balbos, Anastasios, immensas impietatis atque vitiorum voragines, quis putet vllam auitæ Religionis aquulam ad posteros permeare potuisse? Itaque eorum successores inani quadam honoris atque potestatis specie decepti, nomen Imperij retinere sati duxerunt; labentem pietatis gloriam reuocare non contenderunt.

Reges Frãcorum Imperatori Romano pares.

Longè alia Regibus nostris mens fuit atque iudicium, qui paria cum Imperatoribus honorú titulorumque insignia consecuti, de pompa illa, vt appellamus, sæculari & mundana detrahi nonnihil, quam quicquam de iure pietatis, & Christianissimi nomine decedere maluerunt. Nam Franciæ Regem definiunt Iurisconsulti Imperatorem appellari: maiorem in Regno suo, quam in Imperio Imperatorem ipsum habere potestatem; Regibus omnibus tanquam ste l s Solem excellere; atque adeo vbicunque terrarum Regis nomen præcisè vsurpatur, Francum intelligi: ambulanti Imperatori non à tergo vt asseclam, sed ad latus vt parem comitari. Addunt alia veteres historię haud parum gloriosiora, Imperatorem neminem Francici nomine, quasi à deuictis Francis iure gloriatum: Francorum Reges omnium primos auro natiuo & Gallico nummos cudere cepisse, qui in orbe Romano essent vsui, eosque sua, non vt cæteros Imperatoris imagine signasse, quod ne magnis quidem Persarum Re-

gibus narrant esse concessum. Sunt hæc quidem & eiusmodi alia ad hominum commendationem illustria: sed ea partim Regum moderatione singulari neglecta, partim diutina vsus intermissione obscurata: nomen autem Christianissimi, tanquam optimam hæreditatem, omnique patrimonio præstantiorem, auidissimè omnes omnibus sæculis arripuerunt, tenuerunt, conseruarunt. Quod non fecissent diuinæ mentis atque consilij homines, nisi vanitati veritatem, ambitioni Religionem, humanis rationibus diuinam prætulissent voluntatem. Verum Deus Opt. Max. qui nemini vnquam homini liberalitate cessit, eam huic agnomini potestatem indidit, vt & in pietatis commendatione, summus inter homines splẽdor; & in Regia magnificentia, eximia pietas eniteret. Qui autem abiecta Religionis medulla, extimum gloriæ corticem ambierant, ij contumeliam suam vindicante Numine, & quod spreuerant perdiderunt, & cui firmius inhæsuros se sperauerant, non tenuerunt. Sed ne quis in istorum miserias insultare; & de eorum exuuiis contra eosdem gloriari nos existimet; sentio tacita omnium vestrum cogitatione hoc à me flagitari, vt iis omissis, demonstrem Francos Reges iure vt qui ante eos optimo illustre Christianissimorum agnomen possidere. Quod vt apertius fiat, necessarium esse arbitror vt euoluamus complicatam eius verbi notionem, & quæ in eo latent, tum ad pietatem sancta, tùm ad famæ celebritatem magnifica eruamus.

Equidem sic existimo, sic mihi persuadeo illum vnum Christianissimum & esse & appellari

Christianissimi agnomen

Catholica fidei tum professionẽ, tum defensionem cõplectitur.

debere qui Catholicus sit integerrimus, idemque fidei & Ecclesiæ defensor acerrimus: quorum alterum Religionis, alterum etiam bellicæ fortitudinis est vtrumque perfectæ demum consummatæque virtutis. Enimuero si Platonicos & Peripateticos nominamus eos, qui Platonis atque Aristotelis sacramento addicti eorum decreta pro oraculis, præcepta pro moribus, facta pro regulis habent: is pari saltem iure Christianus dicetur qui Christi dogmata omnia comprobat, non vni faciliorem quam alteri credulitatem indulgendo. Præterea qui sic animo sit affectus, eum oportet si doctrinam profitetur, varias aduersariorum calumnias soluere: si tractat Reip. gubernacula, inimicorum furorem atque amentiam legibus & suppliciis coërcere; si ducit exercitus, non hostium modo vim atque impetus refutare, verum etiam vltro lacessere, & ex iniquis possessionibus exturbare. Illis ergo qui non temerè, neque leui coniectura, sed sine vlla dubitatione constanterque crediderit, Catholicus: hæc qui studiosè, fortiter, magnificè fecerit, Fidei Defensor: qui diu laudabiliterque in vtrisque versatus fuerit, Christianissimus appellabitur.

Reges Frãcorum semper Catholici.

Quis autem omnibus sæculis, omnibusque populis, tam fuit vnquam veritatis inimicus, tam à ratione atque ipsa humanitate relictus, vt Francorum Reges spretæ violatæ ue fidei Catholicæ accusarit? Videte quam honestè, quam non insolenter gloriari possimus, Auditores, quantum potero voce contendam vt hoc Ecclesia Catholica, aut si qui restant gloriæ nostræ

æmuli, obtrectatoresque exaudiant. Per annos pœnè mille & trecentos à Clodouæo, qui signum Francis ad benè de Deo credendum sustulit, Reges sexaginta è tribus stemmatis numerauit Gallia, quorum nullum, non duos, non vnum habuit aut testis temporum historia, aut falsitatis artifex inuidia, quem desertæ fidei non modò suspicione, sed ne infamia quidem posset aspergere. O pietatem ore pleno laudandam! ô fidem singulari gloria & prædicatione efferendam! Tot Regibus in priorum locum succedentibus, tam diuersis ingeniis, tam contrariis moribus, cum alium alia suò traheret cupiditas, & in perpetua voluntatum dissensione viuerent, neminem vnquam repertum, qui cum vel odio maiorum, vel rerum nouarum appetitione eorum acta rescinderet, in illorum fide vel litterulam immutaret. Stant quidem ipsa per se fidei mysteria, neque alienis indigent adminiculis; ea tamen in hominum mentibus ipsa sæpè temporis diuturnitas obliterat: in Francorum Regibus duodecim & amplius sæcula perennarunt. Religionis, tanquam Solis lumen propagatione minuitur, oppositu corporis interrumpitur: Francorum pietas vna atque perpetua hæredum participatione splendescit. Minimis occasionum momentis maximæ Religionis inclinationes fiunt: præmiorum spe solicitati Francorum Reges nunquam de obseruantiæ erga Ecclesiam gradu dimoueri, nunquam de fidei statione decedere potuerunt. Et certè monstrosum hominibus visum fuisset, naturæque instituto contrarium, si aliud parens Ecclesia, aliud Primogenitus eius filius,

ſenſiſſet vnquam : ſi leui opinionum aura concuti, Hæreſeon flatibus labefactari potuiſſet cum liliorum capita nulla ventorum violentia deprimi, nullis turbinibus inflecti poſſe dicantur.

Ferdinandus Hiſp. Rex Catholici agnomen conceſſu Iulij 2. primus hæreditarium fecit ſuperiore ſæculo.

Da mihi modo regnum vllum cum huius noſtri conſtanti fide vlla ex parte conferendum. Non prouoco illud quod ex Saracenæ ſuperſtitionis tenebris, & intolerabili ſeruitute tandem aliquando emerſit : &, vt ſolent qui reſumptis viribus ſiue pudore, ſiue iracundia ferociores in pugnam redeunt, per nouas victorias & parta de Mahumete trophæa, ſepultum & inter mortuum multis ante ſæculis Catholici nomen excitauit. Non illud appello quod Magni olim Gregorij cura paternaque ſolicitudine, quod feliciſſima ſanctiſſimorum hominum legatione ritus Barbaros, & totam illam Idolorum noctem exuit, atque in Petri cymbam receptum Reges quamplurimos ad optatum ſempiternæ felicitatis portum tranſmiſit : nunc autem inſanis hæreſeon fluctibus, & turbulentis opinionum tempeſtatibus deintegro redditum, maximum miſerrimumque ſalutis æternæ naufragium, niſi quis Deus tabulam obiecerit, expectat. Non contendo cum Bulgaris quorum Ducem primum Chriſtianum Michaëlem fuiſſe iamdiu ſtirpe Carlouingiorum Regum apud nos imperante accepimus. Non certo cũ Polonis qui Mieziſlaum primum Chriſtianarum partium Principem Ottonis magni temporibus, Religionis, morumque integritatẽ amplexatum eſſe concedunt. Non debet cum inferioribus hiſce Regnis Francorum pietas & gloria committi:

Angli ad fidem venerunt anno 596. regnante in Gallia Childeberto.

Anno Chriſti 866. Imperante Lothario II.

Anno Chriſti 965.

committi : maiora postulat, Imperium ipsum cum quo de Religione, virtute, rebus maximis omnibus dimicet, desiderat. Roma illa terrestre Dei domicilium, arx fidei, caput Religionis, quàm contrarias inter se, discrepantesque Cæsarum suorum naturas experta est? Vix abiecta vanissimorum Numinum superstitione, Imperium in fide Christiana sanctè, piéque fundauerat Cōstantinus, cùm antequam radices ageret Arriana impietate conuellit Constantius : reuocato Idolorum cultu penitus euertit Iulianus. Post hunc orbis Imperium partiúntur Valētinianus, & Valens: ille in Occidente Reipublicę Christianæ cicatricem aliquantulum obducit : hic per Orientem tanquam vnguis in vlcere Catholicos omni diritate atque immanitate lacerat; sic quidem vt excitatum in rem orthodoxam incendium, Imperatoris morte funestissima, & ipsius penè Imperij ruina fuerit restinguendum. Iam extrema mala cogitatione informatis, iam vos horror ab hæretica barbarie totos perfudit : necdum tamen ad Monothelitas, ad Iconoclastas, ad Trium Capitulorum impugnatores, Catholicorum scopulos, fidei charybdes, exitiosa prodigia, & humani generis pestes nostra deuenit oratio. Itaque noluerunt, vt apparet, in Imperio filij paternæ pietatis hæreditatem capere; fratres à fraterna Religione desciscere ausi sunt; coniuges ipsæ declinantem de suo statu Rempublicam reuocare cogebantur: quas eiusmodi conuersiones rerum, ac perturbationes vidit vnquam Francia in Ecclesiæ Romanæ fide iacta semel per nobilem illud Remigium anchora, fundata; & aptè constituta?

Gregorij Magni de Regum Fracorum religione & fide nobile testimonium.

Accipite huius laudis, ne profanos in re sacra aduocem, fundum testem Gregorium: audite ab ipsis aris, & infulis Patrem Patrum, Pontificem Maximum, sacrorum Regem diuinissimum: Gregorius Magnus loquitur, quis non credat? insignis Ecclesiæ doctor loquitur, quis contradicat? Ecclesiæ caput, Dei in terris vicarius, Deus terrenus loquitur, quis tenuissimam admittat dubitationem? NON IMMERITO (inquit ad Brunichildem) CONTIGIT VT CVNCTA GENTIVM REGNA PRÆCELLERET, QVIPPE EARVNDEM GENTIVM CREATOREM ET PVRE COLIT, ET VERACITER CONFITETVR Satis magnificè: Cedo quid amplius? QVANTO COETEROS HOMINES (inquit ad eius filium Childebertum (REGIA DIGNITAS ANTECEDIT, TANTO CÆTERARVM GENTIVM REGNA REGNI VESTRI PROFECTO CVLMEN EXCELLIT. Accipite autem quibus gradibus ad illud Maiestatis fastigium ascenderit. ESSE AVTEM REGEM QVIA SVNT ET ALII, NON MIRVM EST: SED ESSE CATHOLICVM QVOD ALII NON MERENTVR, HOC SATIS EST. Quid diceret si Francos Reges Catholicorum præsidium, Pontificum Asylum, fluctuantis nauiculæ anchoram fore præuidisset? SICVT ENIM MAGNÆ LAMPADIS SPLENDOR IN TETRÆ NOCTIS OBSCVRITATE LVMINIS SVI CLARITATE FVLGESCIT, ITA FIDEI VESTRÆ CLARITAS INTER ALIARVM GENTIVM OBSCVRAM PERFIDIAM RVTILAT AC CORVSCAT. Atqui

primæ stirpis Reges infirmam, ac velut nascentem adhuc pietatis lucem, tantum quodam quasi crepusculo ostentabant, quæ per Carolinum atque Capetianum stemma in Carolis, in Pipinis, in Robertis, in Ludouicis, Sole iam alto, & radiis explicatis, cæterarum gentium Reges quasi stellulas præstrinxit. QVICQVID ENIM (pergit Pontifex) REGES SE CÆTERI GLORIANTVR HABERE, HABETIS: SED IPSI IN HAC RE VEHEMENTIVS SVPERANTVR, QVONIAM HOC PRINCIPALE BONVM NON HABENT QVOD HABETIS. Nimirum in reliquis mundi partibus virtutum flores illa errorum pruina perdiderat: Franciam pretiosissimum Ecclesiæ hortum ver diuinum rosis & liliis adornabat. Cætera corporis membra pestifero frigore obriguerant: Franciam cor eiusdem nobilissimum calor salutaris animabat. Omnia sponsæ cælestis ornamenta asperla maculis, fracta, dissipataque splendorem suum & vsum amiserant: Franciam sacratissimi capitis flammeum & coronam perennis decor illustrabat. Hæc ipsa profectò Paulus I. significare volebat cum Pipinum FVNDAMENTVM ET CAPVT CHRISTIANORVM; eadem Bonifacius nonus cum Carolum sextum SVPREMVM REGEM TOTIVS CHRISTIANITATIS appellabat. Sed nimis iam diu causam exploratam verso, cum res ipsa prætteritique temporis custos historia, conseruatæ apud Francos Reges fidei Catholicæ grauissimum dicat testimonium. Reliquum est, quod expectare vos video, Auditores, vt quos Ca-

tholicos fuisse semper vidistis, eosdem fidei defensores esse demonstrem. Quæ quidem oratio vobis eo gratior futura est, quòd eam in hoc consessu non vt doceam instituo, verùm vt iucunda nostrorum Principum recordatione ad eorum amorem ac venerationem magis magisque accendam.

Reges Frãcorum fidei defensores.

Ac primum satis constat Clodouæo Regum Christianorum coryphæo, Arrianorum profligatori, Romanæ sedis cultori eximio, Christianissimi agnomen tanquam hæreditatem à Remigio Patre optimo, testamento relictum. Fuit enim Francæ virtutis tanta granditas, & amplitudo, vt statim atque in Christianæ pietatis possessionem pedem posuit, secundos & tertios gradus dedignata, ad primos euaserit. In eius posteà Regnum, & religionem qui successerunt, non tantum priuatis Antistitum Epistolis, non Rescriptis summorum Pontificum, non voce Conciliorum atq; oraculis, sed Græcorum etiam Imperatorum confessione gloriosi illius nominis participes extiterunt. Scimus enim Childebertum II. Imperatoris Mauritij literis Christianissimum compellari. Sed quoniam Imperij huius fundatorum gloria nonnullorum è posteris ignauia deflorescere videbatur, Romani Pontifices ad Carolum Martellum, eiusque filium Pipinum, de re Christiana optimè meritos, quasi futuræ dignitatis prærogatiuam transmittendum putauerunt. Nam cum ab illo Gregorius III. auxilium aduersus Longobardos postularet, supplicibus litteris iterato Christianissimum vocauit: idque nimirum post nobiles illas, & orbe toto decanta-

Agnomen Christianissimi nostris Regibus iam inde à Clodouæo hæreditariũ.

tas de barbaris victorias : post trecenta septuaginta quinq; Saracenorum millia Turonicis campis vno die, vna pugna, vno impetu cæsa: cum sub eorum tyrannide gemeret Africa, pars orbis terrarum maxima: cum Hispania Romanis olim viribus inaccessa regio, apud illos in fœdissima seruitute esset, & penè dicam, ergastulo : cum Mahumetis sacrilegia Romanis altaribus inferre minarentur, atque ad Vrbem ipsam sibi aditum patefacere Francorum internecione cogitarent : tum enimuerò repertus vnus est Carolus qui torrenti se illi opponeret, & vt veteres Galli exundantes fluuios arreptis obiectisque clypeis coërcere posse sperabant, sic ipse viuum ac spirans Christianæ Reipub. scutum, tantam, tam formidolosi latrocinij molem sustinuit, fregit, comminuit. Secutus Carolum Pipinus, religionem, fortitudinem, nobile agnomen à Patre accepit, regnum in familiam intulit: moxque ineunte principatu asylum Stephano Pontifici factus est, vice Constantini Copronimi, ad propulsandas Aistulphi Longobardi Regis iniurias. Hunc summum diuinæ legis Antistitem qua veneratione *Anno 753.* suscepit Pipinus, qua obseruantia coluit, quibus officiis demeruit? cum obuij pedes exosculatus, prohiberi non potuit, quin in equo sedentem ipse pedibus ad frænum prosecutus in Regiam deduceret. Quo ex tempore facta Gallia est ara Pontificum, arx bonorum, portus naufragorum, miseriæ perfugium, præsidium innocentię. Quot summorum Dei vicariorum vestigiis consecrata Gallia est, cùm schismaticorum atque tyrannorum iniuriæ nostra fierent emolumenta? cùm

tria suprà viginti schismata Reipublicæ Christia-
næ perniciosissima Regum nostrorum auctorita-
te, armis, pietate componerentur? Quis Caro-
Ann.773. lum Magnum alterum Constantinum, alterum
Ecclesiæ Romanæ parentem aduersus Longo-
bardos armauit? Hadrianus Pontifex. Quis Ca-
rolum Caluum aduersus Saracenos, & importu-
Ann.876. nos quosdam Marchiones interpellauit? Ioannes
Octauus Pontifex. Et quoniam rerum maxima-
rum exempla à Ludouicis potissimum Regibus
Ann.816. sumenda sunt, à quo Stephanus Quintus Eccle-
siasticam pacem firmius stabiliri cupiit? à Ludo-
uico Pio: ad quem cùm repentè post sumptas rei
Christianæ habenas venisset, Pontificatus non
diuturni optimam partem posuit in Gallia. Quis
Ann.878. Lamberto Comiti, Adelberto Marchioni nobi-
libus & factiosis hominibus cessurus ad Ludoui-
cum Balbum venit in Gallias? Ioannes Octauus
Pontifex. Quo Gelasius Secundus schismatico-
rum Frangipanum seditionibus agitatus, tan-
An.1118. quam in portum confugit? In Gallias ad Ludo-
uicum Crassum. Vbi Innocentius II. innocen-
tiam suam, & legitimam electionem aduersus
Antipapam Anacletum comprobauit? In Galliis
An.1130. Ludouico Crasso. Quo loco tranquillitatem re-
perit Eugenius Tertius rebellium Romanorum
impotentia vrbe sacra eiectus? In Gallia apud
An.1147. Ludouicum Septimum. Quod præsidium tutum
habuit Alexander Tertius furente & orbis Ro-
mani gladios in eum acuente Friderico Ænobar-
An.1162. bo? Galliam, & sinum Ludouici Septimi. A quo
Gregorius Nonus auxilium contrà vim & furo-
rem Friderici Secundi postulauit? à Ludouico

nono cum ei scriberet Francos Reges in fide mansisse,& afflictorum Pontificum perfugium semper extitisse. Vos appello montes Apennini, atque Alpes, quæ exultantes in equis Reges sæpè Francos vid stis inter liliata vexilla, & florentissimos exercitus, sedem Pontificibus, Italiæ pacem, Ecclesiæ dignitatem, Diuo Petro patrimonium, possessionesque restituere, augere, conseruare. Te nobile septimontium veteris amplitudinis index & testis; teque Roma gloriæ, virtutis, Imperij domicilium obtestor, quæ Francorum Regum fidei, religionis, iustitiæ, probitatis, atque integritatis trophæa tenes, non superbè erecta ad caducam hominum commendationem, sed ad memoriam Dei Angelorumque sempiternam. Quid aliud clamant vestra iuga & valles, quid domicilia, & solitudines, quid vici atque itinera, nisi vallum illud montium ascensu transgressioneque Francorum sæpè superatum, vt Italia pace atque otio frueretur? Quid loquuntur clarius quàm vnde olim tumultus, trepidationes, vrbium solitudines, regionum incendia oriebantur; inde placationem tumultuum, compositionem seditionum, pacem à Barbaris, tranquillitatem à Tyrannis, securitatem ab omnibus prouenisse? Quæ cum ita sint, videtur-ne Ludouicus idem Septimus perperam gloriatus, cum Henrico Anglo Thomam Cantuariensem Archiepiscopum repetenti (ne sola Ecclesiæ capita Regum Francorum custodiæ commissa existimetis) respondit animosè, non esse illud in sua potestate ex quo Franciæ regnum suscepisset: induisse se cum paludamento liliato miserorum clientelam: fuisse

apud maiores suos id in vsu semper, vt confugientes ad se afflictos, maximeque pro iustitia exulantes reciperent, fouerent, defenderent. Quid? Regis olim Bohemi, & Vngari Legatum Carolo VII. adulatum putatis cum Christianam domum, Christianitatis columnam appellauit? Quid? Froissardo externo homini & historico valdè bono non credent exteræ nationes, profitenti Franciæ Regnum fidei fontem esse & excellentiæ: Romæ, Francorum Regem Regum summum & Principem haberi per quem Ecclesia sit illustranda! Quid? Clarissimis Louaniensibus Academicis leuitatis & mendacij notam inurent gloriæ nostræ obtrectatores atque æmuli, sanctè apud Pontific. Max. profitentibus Reges Franciæ, præ omnibus aliis Regibus & Principibus aliarum terrarum & Regum, meruisse appellari dextrum brachium Catholicæ, & militantis Ecclesiæ?

Expeditiones Fracorum Regum aduersus infideles & hæreticos.

Hoc illud est quod alio colore Honorius Tertius efferebat, Franciam Christi pharetram esse lectissimis sagittis abundantem. Procedat enim in aciem & puluerem vera Castrorum Mater Ecclesia, Roma capiti galeàm imponet; latus ense succinget Imperium; lorica pectus muniet Hispania; scutum obtulisset vetus illa, pia æquè ac fortis Anglia: Gallia autem, quanquam ad tegendum scuti loricæque loco esse potest, ad nocendum tamen & lacessendos hostes pharetram & sagittas ministrabit. Hac armatura, hoc apparatu quò bellum feret, vnde expeditionem inchoabit? Vultis ab Oriente & Syria? Pharetram opinor consulet, & Claromonte in Gallia referet ad Concilium trecentorum & decem Patrum de bello sacro suscipiendo, asserendis in libertatem

filiorum Dei Christianis Palestinis, sacra regione ad Saracenorum manibus vi & armis recuperanda: sagittam eliget Vgonem magnum Philippi Franci Regis fratrem, fortissimosque è Francis exercitus. Aliquo post tempore auxilia mittet, Ludouicos Septimum, & Nonum, non sagittas, sed amentatas hastas: cum hic vltimus in hostium potestatem redactus, sæpeque iam ad cędem designatus, constanter tamen in vinculis equestrem ordinem Mahometano Duci conferre recusaret, palamque profiteretur Christianum militem, quid Francum? quid Regem? ad infidelem accedere non debere, nisi vt decretorio ferro eius iugulum exhauriret. Quo stridore tot tantaque tela emissa sunt? vt Regis Franci vexillum vnum (inquiebat Iberorum Legatus) & missus in Orientem dux vnus plus terroris Turcico Imperio allaturus sit, quàm centum millium armatorum exercitus. Quid vero cõsecuta sunt? Vt quò Francorum virtus & fortitudo, eodem Christiana pietas penetrauerit. Qua Pharetræ ipsius gloria? Vt etiamnum apud remotas illas & barbaras gentes Christiani omnes communi nomine Franci appellentur. Vultis in Septentrionem tendat? Saxonum indomita gens, & peruicax Christi contemptrix Ecclesiæ iugo subdenda penitus est: Francorum Rex Carolus, iam Magnus, nondam Imperator (Deus sancte qualis sagitta!) aduersus eam è Pharetra emittitur; atque idem tres & triginta totos annos admirabili fortitudine, constantia, patientia quotannis pugnat, vincit, triumphat. Quo fine? Nullam quietis partem cepit telum, donec in intimis singulorum præcordiis Christi cultum & fidem de-

Christus nullum verè suum militem, nullum ducem præter Francum inuenit.

Paul. Æmil. lib. 7.

figeret. Vultis Iudæos sollicitet? educitur è Pharetra Dagobertus, vir acer, qui Iudæos omnes ad præstitutam diem aut religionem, aut regionem cogit vertere. Vultis domesticos hostes exterminet? Ecce telum igneum Robertus, qui nefarios Manichæos Aureliis medio foro, spectante tota Gallia viuos exurit, Idemque postea Leuthericum prauè de fide sentientem, doctis rationibus Rex Antistitem confutat. Cuius in opinione cum Berengarij hæresis, tanquam in semine lateret: non immerito perfidiosi hominis, omniumque augustissimo fidei mysterio repugnantium primus oppugnator & hostis dictus est Rex Christianissimus. Quem deinde pestiferæ opinionis virus effundentem, Henricus non magis Regni, quam Religionis hæres, indicto silentio ita cōpescuit, vt mirū sit vllo postea tempore impias illas voces ex impurissimi pectoris gurgustio prodiisse. Ecce iaculū ingens, quod ipsam Pharetram implere potuisset D. Ludouicus, qui militiæ Regiæ tyrocinio Tolosates iustis armis persecutus, Albigensium hæresim gloriósissimè profligat: media ætate blasphemos Iudæorum Talmudistarum Commentarios TANQVAM CATHOLICVS REX, ET PRINCEPS CHRISTIANISSIMVS addicit incendio. Certè sagitta fuisset electa Ludouicus vndecimus Pij secundi literis & cohortationibus aduersum Turcas vehementer inflammatus, nisi vicinorum Insularium ambitio, & subditorum Principum perfidia tam gloriosa consilia interuertisset. Quibus autem rationibus Pontifex Regem sapientissimum ad id bellum excitabat?

Sic eum appellat Innocentius IV.

Proposito maiorum exemplo & rebus diuinè gestis atque virtutibus. Siquidem contra infideles pugnare inquiebat & vincere, Terram Sanctam recuperare, seruare fidem, Ecclesiam Romanam colere, Regum Franciæ proprium est. Postea verò sedatis tumultibus externis prodiit ab eadē Pharetra telum vehemens Carolus nonus, qui nouitiæ atq; peregrinæ infidelitatis fibras omnes vno die, vno edicto, vltore ferro, quando non poterat mitius, amputauit. Quo quidem tempore lilia Gallica, quasi fuligine absterſa, iucundius floreſcere ſperabāt, cum eandem iterum pestem hydra periculosius renascens ore teterrimo inhalauit; tum enimuero confodiendo pestilenti portento educta est lectiſſima ſagitta, iaculum nobile, telū aureum LVDOVICVS decimus tertius.

Ludouicus XIII. Rex verè Christianissimus.

Video vos ad istud nomen quasi proſpero quodam sidere afflatos, alacritores erectioreſque. Quem enim audito nomine Ludouici cogitatione informatis? Opinor Fidei scutum, Religionis tutelam, hostem perfidiæ, perduellionis vindicem, Hæreseos domitorem. Eant nunc, Dei hominumque odia, & Catholicorum fortunis atque capitibus insatiabili tyrannide immineant: Constitutum diuinitus, & beata ſæculorum duodecim ſerie ſtabilitum in Francia ſtatum euertere conentur: perpetuis ſeditionibus, & rebellionibus ſe, nosque exagitent, & quasi vniuerſam ſub ictu haberent Galliam, efficiantur formidabiles: cum nostras vrbes rapinis, adyta sacrilegiis, templa incendiis exhauſerint: cum occiſione, inflammatione, euerſione, depopulatione, vaſtitate Galliam parentem optimā infelices viperæ diſcerpſerint:

cum aduersus legitimum Regum Imperium impunitatis asyla, perfidiæ præsidia, perduellionis propugnacula extruxerint, munierint, cœlo terraque inuitis retinuerint; existet aliquando Rex ille qui Francos auitæ pietatis admoneat, veteres Religionis iniurias vindicet, extorqueat à furiosorum manibus arma sacrilega, subditos ad officium, contumaces ad obedientiam, fidem ad optimam Galliarum partem, pacem, otium, tranquillitatem ad Regnum vniuersum reuocet, & reducat. Meministis anno superiore, Audit. hoc ipso die, hoc loco, hoc regiarum scholarum aditu multa à nobis de Regis laudibus commemorari: scio vestros qui tum aderatis animos ad eius admirationem, amorem, venerationem non sine sensu quodam voluptatis excitatos: absens autẽ aliquis orationem meam non ad natiuum colorem veritatis, sed oratorium assentationis fucum factam, & compositam putasset; nisi eodem tempore ea fecisset is qui laudabatur, quæ omnia Isocratis myrothecia & Sophistarum arculas consumere potuissent. Et vero ille ipse dies summa Dei prouidentia, Regis Ludouici pietate vltimus errori atque amentiæ, primus Ecclesiæ Beneharnensi post quinquaginta tenebricosissimę superstitionis annos felix fortunasque Iobelæus illuxerat. Ille dies, Auditores, fidem, & illud augustissimum fidei Mysterium ex ergastulo semiruti magalis in libertatem, & nobilius, vnde exacti fuerant cum Deo Catholici, templum asseruerat. Atque vtinam Euangelistæ Lucæ sacro die Cœlestium aliquis in hunc cætum, vt olim Romam Castores, eius triumphi Euangelia per-

Expeditio Beneharnica anno 1620.

tulisset! Quis mihi tum pulmo, quæ vox, quæ verba sufficere potuissent, vt vestrum meumque ornandi Regis optimi ardorem sequerer, augerem, inflammarem? Quid si nos potius Deus aliquis eadem hora, ex hoc loco ad Palensem illam supplicationem rapuisset; si nostris ipsi oculis vsurpassemus, Regem, Principes, Curiam, exercitum, admirabili magnificoque ordine tota vrbe procedentes, & pedibus sequentes summum Religionis pignus, diuinissimam Hostiam; ea tectam vmbella quam paucis ante diebus recusauerat Ludouicus: cum palam offerentibus responderet, non posse se vt Dominum & Principem in eam vrbem ingredi, in qua nullum haberet locum, vbi principatum illum omnipotenti Deo referret acceptum. Si quis etiam vestrum eorum temporū testis oculatus, nobis omnibus renunciasset, illud anni tempus, illum ipsum esse diem, quo die ante annos quinquaginta Ioannæ Reginæ edicto Episcopi omnes suis sedibus exacti, verumque & incruentum Catholicæ fidei sacrificium remotum fuerat atque ablegatum: qui tum plausus, quæ acclamationes fausta Regi, tam pio, tam Catholico, tamque Christiano precantium toto cœlo personuissent? Si tamen vocem ire liberam pati potuisset admiratio, & præstricti tot miraculorum euentu quodam fatali corporis stupor, & suauiter manantes gaudio lacrymæ. Facite etiam si vultis fatidicum aliquem, & vatem in ipso admirationis articulo interuenire spectantibus, & plenum Deo in hæc effata prorumpere. Quid defixi hæretis, spectatores, quid obstupescitis? mensis vix vnius pere-

Eximia Regis pietas in supplicatione Palensi.

An. 1570.

grinatio, vnius pacificatio prouinciæ, paucorum recuperatio oppidorum, restituta bona Ecclesiæ Sacerdotibus & Præsidibus summam vobis admirabilitatem faciunt? Magnatum ista rerum prælu-dia sunt, & difficilioris omina victoriæ: velitatur hic Ludouicus, seque ad grauiora prælia vincendo exercet. Anno sequente classicum maioribus tibiis canet, quando reatum maiestatis vrbium mœnia solo æquabit, & aratrum ibi securus agricola imprimet; vbi modo immensæ fossarum voragines, & regia aduersus Regem cœlestem terrenumque propugnacula æternam perfidiam machinantur: quando mensium vix trium curriculo, trium Prouinciarum lustratione, à perditis, & desperatis hominibus vrbes plus quinquaginta auctoritate, deditione, vi, terrore nominis armorumque recuperabit: quando quadraginta & amplius leucas illo Regio, illo Christianissimo exercitu occupabit vno eodemque tempore, quo toto terrarum spatio vix longæui senes, quasi per nebulam meminerint fieri sacrum vllum more institutoque Romano. Video te prima fax nefarij belli Engeriacum, seu mauis San-Ioannis Angelitani vrbs appellari, mox D. Ludouici pagus futurus: interest enim vt omnia suo te nomine agnoscant sæcula; in qua turpificata, deformata, euersa, vt in grandi codice, leget posterorum ætas, qui fidem Deo fefellerit, Regi seruare neminem: vtriusque autem iniurias vindicari quo lentius, eo grauius, quo tardius, eo diuturnius. Si hæc atque alia diuinus aliquis prædixisset, ieiunam, & puerilem orationem meam vestra certè, Auditores, ex-

Expeditio Vasconica.

polo fisset admiratio, & vnum aliquem è docta illa antiquitate oratorem sibi dari argumento supparem postulasset. Quanquam vereor vt is apud mentes nostras fidem inuenisset, cum prædicta illa quæ iam facta scimus, tamen fieri vix potuisse credamus. Et vero nisi ea nobis narrarent ij qui interfuerunt, nisi testes omni exceptione maiores confirmarent, nisi ad vniuscuiusque nostrum oculos fama prouocaret, nisi de Ludouico dicerentur, quis vnquam aut vno anno à multis Regibus, aut ab vno Rege multis annis fieri posse speraret? Vidit numerosissimus exercitus frequentem in aggeribus Ludouicum qua vultus alacritate, quo robore corporis, qua animi firmitate? Quanta decerni prudentia, qua celeritate confici, qua solicitudine omnia ritè administrari curat? qua pietate pacem & veniam à Domino exercituum exorat? qua mansuetudine perditos homines ad resipiscendum inuitat? qua clementia victis, supplicibusque perduellionem condonat? Quis tot victoriis immoderatè & insolenter vidit elatum? quis infelicibus quibusdam eruptionibus, vt est Mars belli communis, fractum & abiectum deprehendit? quibus oculis aspexit animosa illa nobilitas læsos in acie, Trajani, Gratiani, maximorumque Imperatorum exemplo inuisentem, & morituris grauiter illacrymantem.

Gregorij Papæ XV. de Ludouico nostro illustre testimonium.

Atque ne laudes istas non à veritate prolatas, sed adulatione fucatas, liberiores in iudicando posteri existiment; producendus testis est aliquis, affectus nostri, quo aut priuatam Regis, aut

Gentis vniuersæ gloriam auctam cupimus, penitus non particeps. Atque ille quidem aduocetur, si placet, trans Alpes ab Italia, ab ipsa Vrbium domina: loquatur is qui sacri clauum tenet Imperij, & Reipub. Christianæ tractat gubernacula: sequatur in exornanda præconiis Gallia priores Pontifices Gregorius, non sanè parcius, quam ardentius in iis promerendis maiores suos Ludouicus æmulatur. Catholicum Franciæ Regnum sub Childeberto dicit Gregorius Primus: Christianissimum sub Carolo Martello Gregorius Tertius appellauit: Erit-ne aliquid quod ad hæc elogia possit addere Gregorius Decimus quintus? Reperietur Nam vbi illi honorum tituli ad posteros quasi hæreditario iure propagati fuerint, priuatum Ludouico addetur agnomen, vt BELLI FVLMEN, PACIS CLYPEVS, DECVS ISRAELIS, ORBIS GLORIA, MVNDI ORNAMENTVN à Pont. Max. à summi Dei sacerdote, ab omnium gentium oraculo nuncupetur. O verè illustrem vereque Regium splendorem! O diuinam atque immortalem laudem! O vtilem! O necessarium parenti primogenitum! Vis Ecclesia catholica schismaticorum discessionem castigare, Hæreticorum furorem frangere, Saracenorum atque Turcarum spiritus contundere? BELLI FVLMEN est Ludouicus. Christianos Principes pia, & æterna pace deuincere postulas, omnibusque studiis bonum publicũ promouere? PACIS CLYPEVS est Ludouicus. Christianum populum cæteris infidelium gentibus dignitate, amplitudine, gloria, optas excellere? DECVS ISRAELIS est Ludouicus.

douicus. Orbem terrarum ſinu complexa amplisſimo extremis etiam hisce ſæculis vigere deſideras? ORBIS GLORIA eſt Ludouicus, Hanc aſpectabilem rerum naturam pulchriorem ornatioremque videre appetis? MVNDI ORNAMENTVM eſt Ludouicus. Tolle fulmen, pace cæterorum dicam, ſacra bella languebunt: abiice clypeum, nulla ſatis erit firma pax: exime decus hoc, iacebit Chriſtiana maieſtas; hanc gloriam oblitera, deformatus & incultus orbis erit: hoc ornamentum mundo eripe: ſolem & oculumerueris. Ita verò non poteras, Ludouice, maiores tuos Catholicos ſanæ atque integræ fidei principes ſequi, niſi delecti à Deo Iſraëlis decus eſſes? Non imitarere fortiſſimos Reges, qui in amplificanda tuendaque fide vitam fortunaſque poſuerunt, niſi tu ſacri belli fulmen, & ſacroſancti fœderis clypeus exiſteres? Parum erat Chriſtianiſſimi agnomen aut à maioribus accepiſſe, aut poſteris relinquere; niſi illo dignum te reddidiſſes, vel ſi nouum à te inciperet?

At te Religionis candidiſſimæ Gallia quis non regnis omnibus iure optimo anteponat tam pio Rege felicem? Vna iam tu nauis es bonorum omnium, quis hoc remige ſcopulos, hoc gubernatore tempeſtates pertimeſcat? Luximus elapſis iam ante menſibus generoſiſſimorum Ducum, lectiſſimorumque militum naufragia: tuumque imprimis Henrice Principum fortiſſime, vehemens Francæ virtutis ſcintilla, alterum belli glorioſiſſimi fulmen, ſecunda clariſſimi exercitus anima: cuius nondum acclamationes tibi in Legatum generalem electo datæ reſederant, cum funeſtiſ-

Henricus Dux Menius ad Montem Albanum ictu ſclopi occiſus.

ſimus globus actus in oculum, eximium noſtri ſæculi lumen extinxit. Ite Manes optimi, maiorumque veſtrorum animos ad Catholicam fidem tuendam natos inter piorum cœtus requirite. I felix Vmbra; & hoc te ſaltem ſolatio refoue, quod ſtans occubuiſti vt Imperatorem decuit; quòd ingens omnibus tui deſiderium reliquiſti: quòd mortem tuam ira Dei iuſtiſſima, quòd Regis, quòd Galliæ vindicabit. Nihil agis hæretica veſania, nihil promoues: ſi veterem illum furorem furere, ſi Galliam deintegro cædibus atque incendiis implere, ſi terram, crudelemque tyrannidem in Catholicos renouare deſtinas, bonos viros his funeribus exiſtimas poſſe terreri? Non eſt tibi commorandum in ſingulis; ſi omnes vis opprimere: tota tibi Gallorum cadaueribus implenda Gallia eſt, quibus extinctis ſaxa ipſa & pēdentes templorum ruinæ rebellionem tuam accuſabunt. Interim ſaluus Rex, ſalua Reſp: viuit Ludouicus, viget res Catholica: pugnat Rex Chriſtianiſſimus, vincit Chriſtus, vincetque, ſi quid Francorum, ſi Pontificis, ſi Eccleſiæ, ſi fidei ipſius preces valebunt, diuturna ſtabilique victoria.

Hoc eſt omnium noſtrum, hoc orbis vniuerſi præeunte tuo Pontifice Deus Optime Maxime, non ambitioſum vt ſperamus, non maius Rege Chriſtianiſſimo votum: primùm vt domeſticos, ſempiternoſque hoſtes perdomet: deinde nobile aliquod ſuæ victoriæ addat corollarium: Orientem adiungat Occidenti, Europæ Aſiam, Galliæ Palæſtinam: relegat maiorum ſuorum veſtigia, & fatalem quaſi propagandæ fidei neceſſitatem

hoc regni sui tempore sibi impositam arbitretur. Etenim à Clodouæo, quem non solum Christianum Franci viderunt, sed etiam Catholicum senserunt cum Alatico suo Visigothi, vicesimus imperium Gallicum tenuit Carolus Magnus, cuius in Schismaticos, in hæreticos, in Paganos, gloriosissimos labores nulla tacere potuit posteritas. Ab hoc iterum vicesimus regnauit Diuus Ludouicus, cuius adolescentiam Tolosates hæretici, iuuentutem Saraceni Palæstini, extremam ætatem Afri Mahumetani experti sunt. Hunc ipsum quoque vicesimus excipit noster Ludouicus, illi priorum, non audacius dico quàm verius, si ætatem, si tempora, si res gestas spectamus, inferior. Atque vtinam quando istis Antichristi emissariis Reges omnes Christianissimi obiecti fuerint: ter ab hoc, quater-ve vicesimus, Antichristo ipsi, & perfractis orci repagulis Ludouicus aliquis Christianissimorum vltimus opponatur.



GRATIARVM ACTIO PRO IMPETRATA PER LVDOVICVM XIII. A GREGORIO XV. P. M. BB. Ignatij & Francisci Xauerij Consecratione.

CELEBRATA FLEXIÆ AD VIII. Kal. Aug. Anno 1622.



VDOVICO DECIMOTERTIO FRANCORVM ET NAVARRÆ REGI CHRISTIANISSIMO, ECCLESIÆ PRIMOGENITO, PATRI PATRIÆ, IVSTO, PIOQVE PRINCIPI, SEMPER FELICI, SEMPER AVGVSTO gratias agimus, habituri si liceret immortales. A quo enim potius nomine tam læto die orationem hanc auspicemur, Auditor. quàm

ab eo quo nullum gratius post Deum Sanctosque vestris auribus accidere potest? Aut à cuius hominis laudatione celebritatem hanc commodius aggrediamur, quàm eius à quo post sacrorum Antistites tota profluxit? Cum enim annis abhinc plus triginta SS. Ignatij, Francisciquc gloria donorum cœlestium crebritate, miraculorum amplitudine, populorum pietate in dies augeretur; multi se Reges, Principes viri ac fœminæ, Gentes Resque publicæ in istam dedicationem interposuerunt. Verùm sapientissimè, & prouidentissimè constituit Deus, vt Diuorum cultu non spreto, sed prorogato, Principum incredibili contentione, & precibus non repudiatis, sed extractis; ad tempus illud deueniretur, quo tantum, tamque sanctum negotium, & susciperet Rex Christianissimus, & vrgeret Ecclesiæ Primogenitus, & conficeret Ludouicus. Quod si quis ambitiosius à me quàm verius dici existimet, videat etiam atque etiam quam mihi boni viri opinionem apud se relinquat, quem in tam graui causa, tam nobili clarissimorum virorum concessu, cum de Regis Optimi Maximi gloria agitur, res aut obscurare detorquendo, aut augere dicendo suspicetur. Et quanquam nemo ab historico, nedum ab oratore iurato res vnquam exegit; tanti tamen ad hanc causam interest certo nosse cui beneficium debeamus, & quam posui veritatem comprobare: vt necessarium visum sit à publicis sanctissimisque Consecrationis ipsius actis, eius ordinem, & Principum qui eam promouerunt studium replicare.

Superiore sæculo exeunte cùm vniuersæ So-

Hanc consecrationem multi Principes petierunt, impetrauit unus Ludouicus.

cietati nostræ visum esset optimi sui parentis nomen & res sanctissimè gestas ab interitu vindicare, Gaspar Petrosa Societatis eiusdem per Hispanias Procurator, ab Camillo Caietano Apostolico apud Regem Catholicum Nuntio supplex petiit, vt vitæ Ignatij sanctitas, & miraculorum veritas ritè ac legitimè probaretur. Quod cum perstudiosè ab delectis Iudicibus factum esset iis in locis in quibus aut natus, educatusque fuerat, aut prima sanctioris vitæ rudimenta posuerat; eius acta quæstionis ad Clementem Octauum Pont. Max delata sunt: qui cùm ea suis examinanda ponderibus sacro Rituum Collegio commisisset, iamque maiora meditaretur animo, pulcherrimos eius conatus mors ipsi quidem matura, sed orbi Christiano luctuosa intercepit. Clementi Leo successit Vndecimus, horti Medicæi flos delibatus: sed qui tantum Ecclesiæ concessus videretur, vt vbi languidulam efflorę suauitatis afflasset auram, acerbissimo interitu homines admoneret, quæ spectatissimè floreant, ca celerrimè marcescere. In locum demortui admotus est ad sacra gubernacula Paulus Quintus Ad eum statim à Poloniæ Rege Sigismundo, Maria Augusta, Margareta Hispaniarum Regina, aliis Principibus, Catholicis etiam Regibus Philippis Secundo & Tertio, Præsulibus innumeris literæ super ea re supplices adferuntur. Addit petitioni pondus Henricus Magnus, ille Galliæ Alexander, Philippis omnibus maior, proque suo iure flagitat, vt eius Societatis quam in aula, in oculis, in sinu ferebat, parens atque auctor Regiæ beneuolentiæ fructus è cœlo caperet honestissimos;

Quis, tot tantorumq; virorum precibus tam iustis, tam diuturnis amantissimũ filiorum patrem, Ecclesię sacerdotem, Diuorum Pontificem cessurum non arbitraretur? Quis enim obex tam gloriosi Paulo ipsi negotij cursum retardare potuit? Temporis diuturnitas erat necessaria beata pacis atq; otij tranquillitate roborata? Ipsos sexdecim annos Petri nauem paucis quibusdam turbinibus ac fluctibus, secundis vt plurimum ventis gubernauit. Rerum gestarum cognitio scientiaque requirebatur? At cœlo terraque penè cogentibus Ignatium atq; Xauerium publica iam voce beatos & esse & haberi debere, pronuntiauerat. Quid, inquam, examinatis testibus, confectis tabulis prohibeat quo minus qui Beati fuerant nuncupati, Sanctorum nomine augerentur? Laboriosi fortasse ritus, quibus perficiendis senis imbecilli corpus exantlatum atq; exhaustum par esse non poterat? Sed erat mente pro tot curis & laboribus adhuc vegeta, ætate pro tanta administratione non exacta, corpore pro vitæ occasu benè constituto. Certè validior aliquis aries ad impellendum supremi Antistitis animum desiderabatur. Moritur tamen rę infecta Pontifex, & agente maximè Francorum Legato, in Pauli locum Gregorius Decimus quintus subrogatur. Ad huius cognominis memoriam spei aliquid vestris animis oboriri arbitror, Audit. & beneficum toti quidem Ecclesiæ, sed maximè nomini, Regnoque Francorum vocabulum augurari. Nam si à primo repetimus, Childebertum, & Brunichildem eximiis honorum titulis magnus ille & rebus gestis, & sanctitate Gregorius exornauit. Gregorius III.

Christianissimi agnomen secundo Regum nostrorum stemmati, etiam antequam imperarent, donauit. Quartus plusquam ciuiles inter Ludouicum Pium, eiusque filios dissensiones extincturus, in Franciam venire non dubitauit: Septimus paterna auctoritate peccantem Philippum, reduxit in viam Itaque ex quo post ereptum terris Paulum Quintum ad sacra Reipublicæ Christianæ gubernacula accessit Gregorius Decimus quintus, erexit sese, & veteres, vt loquitur, cogitationes noster Ludouicus reuocauit. Anno igitur proximè exacto, quo ætatis suæ vicennalia agebat, omnibus precibus atque humili obsecratione à Pontifice, vixdùm à creationis pompa & tumultu respirante, petiit vt Beatus Ignatius solenni illo atque augusto ritu toti Ecclesiæ colendus proponeretur. Additæ Cardinalium duorum litteræ Rupifucaldij, & Retiensis, qui sæculum purpura, purpuram vita & virtutibus conuenustant, quo animi ardore, quanta voluntatis contentione, quàm incredibili desiderio felicem petitionis suæ exitum Rex piissimus optaret, declarabant. Non erat difficile volentem impellere, Sanctissimæ voluntati cumulatè satisfacit Pontifex. Diceres è specula prospexisse Ludouicum, dum Gregorius aliquis ad supremam sedem ascenderet: aut expectasse Pontifices, dum id Ludouicus aliquis Rex Francorum postularet: vtrumque demum tam illustris facti gloriam cum altero communicatam voluisse. Aliquanto post tempore Maximilianus vtriusque Bauariæ Dux religiosissimus, idemque Princeps fortissimus, & Ferdinandus Imperator designatus, idem à Gre-

gorio per litteras petierunt, quod iam antea Ludouici precibus fuerat condonatum. Itaque qui præcesserunt tempore, prima quadam, & rudi deformatione nobilem illam tabulā inchoarunt: qui subsecuti sunt, perfecti iam operis laudatores suffragatoresque extiterunt: solus autem extrema lineamenta, & pigmentorum florem attulit Ludouicus.

Quid hic potius mirabimur, Auditores, Principis nostri auctoritatem? iustitiam? pietatem? Quid enim grauius quam vnis litteris Regem vnum adolescentem impetrasse, quod plurimi ætate prouectiores, rerum gestarum multitudine fortasse superiores obtinere non potuerūt? Quid iustius quam id agere vt non tantum inter homines suum cuique, sed etiam vt cœlestibus ipsis honores debiti tribuantur? Quid sanctius quam in suis conniuere, alienas amare, & consecrare virtutes? Hæc enim veneratio certa pietatis propriæ nota est, & futuræ olim sanctitatis prærogatiua. Nam in rebus humanis nemo verè iustitiam probat, nisi qui sit ipse iustus; nemo temperantiam amat in alio, nisi qui temperatè viuat; nullus Imperator præclara militum facinora coronis & honoribus cōpensat, nisi qui veram fortitudinem & exercere soleat & æstimare. Certè sacrilega veterum superstitio haras, & lupanaria transtulit in cœlum, & quod perditissimo cuique placebat, diuinitatem accepit de flagitio, vt daret è cultu licentiam, laudem ex consuetudine. Christiana vero pietas habet virtutis atque honestatis incitamentum in cœlo, quodque vita & actionibus quotidianis exprimit, id in optima vniuersi parte

Hac in re plurimum Regis virtus atque auctoritas spectata est.

collocat. Nobis enim similes colimus singuli, aut iis quos colimus, volumus esse quam simillimi. Denique Diuos facere, & diuum esse, felicitate plurimum, virtute, animoque perparum interest. Sed ne quis de curriculo propositi deflectere, orationemque ad assentandum transferre me putet, quanquam hoc loco nihil iucundius aut me dicere, aut vos audire conuenit, quam Regis optimi prædicationem: moderabor tamen meo vestroque desiderio, & totam hanc causam ab vnius hominis laudatione ad vniuersi generis rationem, quantum potero, traducam. Quæro igitur ex vobis, Auditores, quid causæ esse putetis cur hanc Ludouicus noster Sanctorũ virorum consecrationem & studiosè susceperit, & ardenter promouerit, & feliciter expedierit? Non dubito quin taciti apud vos huic meæ interrogationi satis singuli faciatis, proque mentis vestræ solertia subtiliter multa, pro Regis gloria magnificè plurima, pro Sanctorum causa piè omnia cogitetis. Subsequatur orationis meæ tarditas ingenij vestri celeritatem; dumque rerum à vobis solertius inuentarum cogitatione pascemini, paucas à me eius facti rationes, obuias cuique, & fortè ab aliquammultis neglectas accipite. Sic igitur existimo Regem Christianissimum id sumpsisse negotij, primum quod eo honore Sanctos illos cóli dignum iudicaret: deinceps quod eam procurationem Regum Francorum propriam esse duceret: deinde quod illud Ecclesiæ, reique Gallicanæ, & temporum difficultas exigere videretur. Hæc tria dum breuius, quam res tantæ dici possint, expedio, quæso quod facitis, diligenter attendite.

Ignatius atque Xauerius illustre par Heroum, vicina nostris temporibus sæcula nobilitarunt omnino tria. Quartum ab anno millesimo, felici ortu; quintum, vita singulari, ac prope diuina; sextum autem quod iam traducimus, merita cō secratione. Annis ante aliquot in lucem erupe rat Martinus Lutherus fatale portentum prodigiumque Reipub. Christianæ cui procurando sapientes illos quasi aruspices submisit Deus, vt, quemadmodum est in fabulis, quicquid orbe toto luctifica Ate pestifero spiritu atque contactu fœdauisset, id omne istorum hominum beneficio in integrum restitueretur. Et illum quidem anno superioris sæculi primo & vicesimo, cum profanam strenuè militiam exerceret, ænea glande fracta tibia claudicare permisit Deus, vt rectius via salutis incederet, quique tormenti impetu de suo gradu deiectus fuerat, aduersæ deinceps fortunæ procellis agitatus, firmior in vno pietatis vestigio insisteret. Sic enim retulerunt optimi virtutum æstimatores, Ignatium in suscepto semel piè sanctèque viuendi proposito tam fuisse constantem, vt eum nulla auræ popularis gloriola detorquere, nulla inuidorum obtrectatio abducere, nullæ inimicorum machinæ retardare potuerint. Nam ab eo tempore Deum cogitanti, ad cœlum magnis itineribus properanti, Dei gloriam omni corporis animique contentione, quasi rem suam promouenti, corporis incommoda deliciæ spiritus erant, inque rerum externarum detrimento lucrum interioris hominis computabat. Hoc virtutis iacto fundamento, quod alij tectum, & colophonem putant, quæ pericula

Hunc honorem virtutibus, & præclarè gestis Heroe. illi sunt promeriti.

Ignatij eximia, quanquam ignota vulgo sanctitas.

non adiit, quæ maria non tranauit, quas molestias non exſorbuit, quos labores non exantlauit; vt ſopitam in hominum mentibus fidem, iacentem ſpem, extinctam charitatem commoueret, erigeret, inflammaret? Quantæ charitatis eſſe vobis videtur, Auditores, conſecratam Chriſti veſtigiis terram, loca Dei ſanguine purpurata, ſolum ignotum, mendicum hominem petere, vt peregrinorum cohortes ſolatio leuaret? Ad litterarum ſtudia animum appellere annos triginta natum, & benè barbatum virum, inter vagam, & inſtabilem cirratorum turmam in deuorandis ignotæ linguæ rudimentis ſerio & ardenter ineptire? In his difficultatibus vitam mendicato trahere copioſum olim & nobilem virum, collectis pecuniis fraudari, ipſumque illum furem in extremo diſcrimine conſtitutum, omni ope, cura, induſtria, ſuſtentare? Qua in re non miror id à te factum Ignati, ſed quod improbiſſimus plagiarius, poſt tam atrocem iniuriam in extrema naturæ neceſſitate, tuam vnius opem implorare atque appellare auſus ſit, illud profectò mihi diuinæ cuiuſdam virtutis, poteſtatiſque veſtigium repræſentat. Quid dicam de turbido illo & impuro ſtagno, in quod ſumma hyeme, confectum laboribus, vigiliis, ieiuniis corpuſculum collo tenus immerſit, vt flagitioſum iuuenem ad libidinum ſuarum diuerſorium illac euntem, oppilato ponte reflecteret? Erat hyems teterrima, concreta denſiſſima glacie aqua, ſæuus & in medullas penetrans aquilo: Viuat tamen, inquit Ignatius, in animo noſtro cœleſtis ignis, dum flammæ tartareæ fomitem impudicus iuuenis ſubmini-

ſtrat : ardeat in nobis diuinæ zelus gloriæ, quam venereus dęmonis flatus in huius improbi mente penitus extinxit : caloré concipiat corpus ab animo, quo alieni pectoris glacies liquefacta, & dilapſa diffundatur. Tēpeſtate perfrigida nudū ſtatuas æneas amplexantē Diogenē inanis gloriolæ fumus concalfecit: ergo in sūmo diuinę glorię periculo delicatis artub⁹ obrigeſcā? D. Frāciſco ſuā curanti ſalutē immanes niuiū cumuli mitē vaporariū fecerūt: ego alieni capitis diſcrimen luto & frigore redimere cūctabor? Quid autem ſordidū eſt ſi peccatū excipis? quid lutulentum, ſi libidinum maculas eluis? quid vile & abiectum ſi cœlo, ſi Deo laboras? Age mergamur in aquas toto corpore, vel ſi neceſſe eſt demergamur, dum extet atque emineat è cœno integritas, ex aqua cādor, è lacu puritas. Ibis interim tu adoleſcens impudice, & libidinum tuarum ardore incenſam inferorum fornacem acrius excitabis : dum ego piacularis hoſtia detonantem iræ diuinæ tempeſtatem ſuſtinebo. O dictum ſæculorum memoria dignum ! O factum æternitati conſecrandum! Audit. Pudet me tui temeraria factorum iudex poſteritas: tu Ennenſem lacum raptus impudiciſſimi teſtem & theatrum tantum non conſecraſti: & ſtagnū iſtud, quo ex Plutonis faucibus anima diuino redempta ſanguine emerſit, memoriæ noſtræ inuidiſti. Tu pontem Danubio impoſitum ad arcendos barbararum gentium impetus, ſeruatis etiam reliquiis ab obliuione vindicaſti: & hunc quo perdito iuueni aditus ad dæmonem interclusus eſt, ne vno quidem ſæculo extare voluiſti. At manet, manebitque æternùm

in ſuprema illa rectè factorum mercede atque memoria: priuſque diuinam rerum omnium cognitionem obliterabit æternitas, quam Ignatij meritum atque gloriam. Omitto eius facta cætera quibus vitæ non annos, nòn dies, non horas, ſed momenta ſingula vir ad omnia ſumma natus illuſtrauit. Sui vero inſtituti Socios quibus imbuit præceptis, quibus ornauit virtutibus, quo ſacramento obligauit? Impendi ſibi, ſuperimpendi cæteris: Dei gloriam, eamque maiorem continuè, ardenter, conſtanter quærere: nullis induſtriam ſuam locorum, temporum, perſonarum, vrbium, Regionum terminis circunſcribere: in nationum diuerſitate amorem eximium; in perpetua hominum conſuetudine Angelicam puritatem; in doctrinæ ſplendore demiſſionem animi ſingularem conſeruare: rebus humilibus non deiici, illuſtribus non extolli, aduerſis non obrui: ſcire abundare, & penuriam pati; benè agere, malè audire. Hæc ſunt eius, quam ſecundum Deum erexit, Societatis inſignia, hæc genuina militum cœleſtium ornamenta, vt iſtos vitæ morumque characteres qui habuerit, is verus germanuſque Societatis noſtræ ſit Religioſus: quibus eæ notæ defuerint, etſi externa ſpecie nomen, habitumque præferant, non magis tamen Ignatij ſint, quam mures montium, terræ Pygmæi, monſtra naturæ. Seligere me vnum ex omnibus recens tranſacta iubet celebritas, in quo tanquam in ſpeculo Ignatij præcepta atque exempla poſſimus intueri.

Franciſci Xauerij Is eſt magnus ille Xauerius, quem quo nomine hoc loco appellem, neſcio. Dicam diuinæ fi-

dei buccinatorem, charitatis foculum, gratiæ miraculum? Nuncupabo noui orbis solem, Barbaræ feritatis domitorem, Indorum Apostolum? Appellabo Thaumaturgum, Alexicacum, Auerruncum? Quid est in eius factis non heroicum, in verbis non cœleste, in portentis non diuinum? Quæ maria zelo potius quam ratibus non transmisit? Quam barbariem non mitigauit? Quas Regiones nō aliquo sanctitatis vestigio cōsecrauit? Testis est ignotus Mathematicorū ingeniis orbis ille, quem non passibus sed cōcionibus, non pedibus sed Idolorū deiectione; nō corpore sed diuini honoris ardore peragrauit. Testes ij populi, quos barbarū nescio quid stridentes, in vnam cōuenire Christi linguā coëgit. Testes illa maria quæ vnius hominis ad frugem conuersioni intentū tulerūt: quę baptismo tingēdis Christianis vix suffecerūt: quæ naufragū, innixum tabulę desertū, solum, ad portum detulerunt, rogantem vt eo periculo non liberaretur, nisi ad grauius aliquod reseruandus. Hic ego non cōmemoro cōcitatas Dæmonis inuidia tēpestates Francisci precibus placatas: duobus in nauigiis eodē visum tempore: vno populi vnius sermone vtentem, ad omniū intelligentiam venisse, quod olim Apostolis concessū: enuntiata per anticipatā cœlitus cognitionem futura: reuocatos ad vitam homines numero viginti: & eiusmodi sexcenta, quibus immortalem sibi alicuius diuinitatis gloriam apud barbaros comparauit. Non enim ista sanctum fecerunt, imo ne declararunt quidem nota vndecunque certa, & propria Xauerium. Intima res est sanctitas, quam non pulsę ex humanis membris vitiligines,

ingentes in fide propaganda labores.

non exacti è possessis corporibus mali atque iniusti hospites, non calcatæ illæsis pedibus ardentes prunæ, non redire iussæ in antiquum hospitium animæ pepererunt: sibi res suas agit, se Deo probari, non hominibus, expetit: carbunculus est, plus lucet in tenebris: Gygis annulus est palà intra palmam abscondita hominem tegit: Luna est, cum minus videtur splendere, Solem propius aspicit. Eam igitur cum ab omni parte absolutam assecuti sint de quibus diximus Ignatius atque Xauerius; dubitabit vllus quin & à Deo sint in cœlum admissi, & ab hominibus vt certi verique cœlites sint colendi? Quid? Hercules, Æsculapios, Triptolemos, Cereres, Bacchos veterum superstitio beneficiorum memor consecrauit: istos, Deus bone! quantum orbi fructuosos & salutares, quasi adscriptitios ciues in cœlum receptos negabimus? Deos Ægyptij suos in hortis seminarunt; nos in cœlum insitos homines non venerabimur?

Id negotiũ à Rege Christianissimo suscipi & perfici maximè decuit.

Verum illi licet in humanis corporibus vitam imitati cœlestium sola Dei ope, suaque industria consecrationem istam sint promeriti: nunquam tamen essent assecuti nisi eorum virtutem sanctitatem, diuinitatem hominum aliqui gratia & fauore adiuuissent. Ita & homines, si fas est dicere, patrocinium eorum suscipiunt, quos hominibus patronos Deus esse voluit: & qui nos in fidem suamq; capiunt, gratiam pœnè exigunt, & beneficia fœnerantur. Itaque mens ea Ludouico diuinitus iniecta est, vt cum honore illo dignos esse constaret cœlestes homines: is eam potissimum susciperet procurationem, qui & iure meritissimo aggre-

mo aggrederetur, & felicissimè perficeret. Cuius enim erat Christianarum virtutum culmen consecrare, nisi Regis Christianissimi? Quis potius Heroas illos Ecclesiæ dare debuit, quàm Ecclesiæ Primogenitus? Quid enim sæpius, ardentiusque fecerunt Francorum Reges? Cuius alterius Principis opera, aut in cuius regno crebrius eiusmodi decretæ sunt consecrationes? S. Suuibertum Carolus Magnus primis Imperij annis sanctum haberi, colique impetrauit, Alexander Tertius Ludouico Octauo scripsit, decreuisse se Diuum Bernardum canonisandum ad gloriam Dei, & exaltationem Ecclesiæ, & totius Regni eius. A Sancto Ludouico vitam & Regnum Philippus Nepos accepit; vitæ benè actæ, & Regni optimè administrati gloriam apud homines Bonifacij Octaui Pontificis consensu reddidit. Eius Sancti Regis frater Carolus Siciliæ Rex, mundo & Ecclesiæ Ludouicum Tolosatem Episcopum dedit: cui dubium non est quin Regia familia Sanctorum honores concedi fecerit. Quid dicam de splendido illo sapientiæ sole Thoma Aquinate, quem quia eruditionis angelicæ radiis Galliam præcipuè illustrauerat, non alibi quàm Auenione in Gallia, non ab alio quàm ab Gallo Pontifice Ioanne Vicesimo Secundo decuit consecrari. S. Iuo Trecorensis Presbyter, Aremoricæ corona, iustitiæ Christianæ sceptrum, Suadæ medulla, Aduocatorum aquila, Astrææ Antistes, alienas in terris causas dum agit, patronos in cœlo reperit; & contestatam non litem, sed virtutem Philippo primùm suo Regi, Rex deinde Clementi Sexto obtulit, vt in Diuorum cultum & iura recipere-

Hæc est prima Canonisatio solenni ritu facta.

An. 804.

An. 1164.

An. 1297.

An. 1317.

An. 1323.

An. 1347.

An. 1482. tur. Eumdem honorem S. Bonauenturæ Ludouicus Decimus impetrauit. S. Franciſcum Paulenſem de Ludouico Vndecimo, deque Regno

An. 1519. vniuerſo optimè meritum, Franciſcus Primus, eiuſque Mater, & Coniux per Leonem Decimum toti Eccleſiæ venerandum propoſuit, annis ante meliorem Ignatij vitam admodum duobus. Et id ſeu conſuetudinis, ſeu pietatis ius à maioribus acceptum non conſeruarit Ludouicus?& religionem in eo ſuam deſiderari patiatur, cuius exemplum nemini non præſcribet impoſterum?Sciebat videlicet, vt data ad Pontificem Epiſtola teſtatur: veniſſe ſe in ius Eccleſiæ Primogeniti, in nomen Chriſtianiſſimi, mererique Fidei Defenſoris agnomen, iam ante à maioribus iure poſſeſſum, niſi illud impius in alio Regno Hæreſiarcha funeſtaſſet.

Societas Ieſu in Gallia ſi-nu nata & educata.

Atque illi quidem ſuperiores aut Galli fuerunt plerique, aut in Gallia diu vixerunt, quibus optima ſanctitatis nutricula honorem in terris à Deo reddidit præſtitutum Noſtri autem Indigetes naturalem in Hiſpania, diuinum in Gallia ſpiritum hauſerunt, vt clementiore cœlo ea ponerent virtutum fundamenta, quæ ſua deinde ſponte in viuam, ſpirantemque ſanctitatis baſilicam creſcerent. Audi inuidia, audi hæreſis, peſtifera fax ſeditionum, odium bonorum: tu Societatem noſtram peregrini nominis, quaſi lacerna dedecoratam, in hominum contemptum conaris adducere: Hiſpanias tu nobis, & nobilem Cantabriam obiicis rana de Lemano lacu, lutra de Rupellenſi gurgite, cùm Societatis noſtræ in ſinu Galliæ, in vrbe Regia fundamenta ſint poſita. Habuerit illa

licet parentes externo Principi subditos, natione tamen Gallam se profitetur. Parisiis enim concepta, nata in Monte Martyrum, inde Romam deportata adoleuit aliquandiu : tum excrescens in dies ramis hinc inde diffusis orbem vniuersum opacauit. Atque vt in patria quædam arbores aut nullos, aut perniciosos fructus præbent, quæ peregrino insitæ solo vberrimos atque iucundissimos pariunt : sic Ignatius quod in Hispania non potuit de spe omni, conatuque depulsus, id tandem feliciter inchoauit in Gallia. Itaque debet Galliæ Christianus orbis quicquid vtile, magnum, gloriosum ą b Ignatij filiis perpetratum est. Ex Gallia, tanquam ex equo Troiano, profecti sunt qui vitia dedocerent, qui ignorantiam eiicerent, qui Idololatriam euerterent, qui hæreseon impetus refutarent. Adiuncta sunt Ecclesiæ Catholicæ vastata erroribus loca ac solitudines : reducta in Petri ratem regna atque Prouinciæ : reuocata ad capitis venerationem resectorũ membrorum abalienatio, per eximiam cœli Gallici temperationem. Non hoc nesciebas Ludouice, optime bonorum tuorum æstimator, quum Pontifici scribebas Dei filium Ignatium Parisiis bonas artes hausisse, ibi sui instituti Socios congregasse, in Monte Martyrum prima tam felicis partus extare cunabula. O gloriosum montem ! quem ego non cum Ida confero, commentitio illo Iouis ortu percelebri. O beatam illo vnico partu Galliam! quam nulla vnquam Rhea tot Deorum mater æquarit. O nos felices qui in paterno Societatis nostræ solo educati, pleriq; & nati, lac Religionis nulla peregrinitate corruptum epo-

tamus. Quid vobis videtur? Auditores, satis-ne validas habebat causas Ludouicus, quibus impelleretur ad illud suppliciter postulandum? Ignatij merita, Regum Francorum, etiam in exterorum hominum cultum beneficentissimam propensionem, Societatis nostræ in ipso Galliæ meditullio, in prospectu Regum ipsorum, in oculis Regiæ Luparæ non ingrata incunabula?

Ecclesiæ temporum difficultates Ludouicum ad huius Consecrationis postulationem incitarunt.

Sed altiora quædam spectat mente diuina vir: humanas istas rationes leue apud se momentum habere permittit: quare & eas affert non vt protulisse, sed ne perdidisse videatur. Adeste animis, qui corporibus hunc consessum celebratis: accipite veram, legitimamque causam cur petitionem consecrationis istius in animum induxerit Ludouicus. PRIMOGENITI ECCLESIÆ FILII TITVLVS, inquit, TAM ALTE IN ANIMO INFIXVS MEO, QVAM BONO IVRE A MAIORIBVS MEIS VSVRPATVS, QVI ME DIES, NOCTESQVE STIMVLAT AD CATHOLICÆ FIDEI AMPLIFICATIONEM, ET HÆRESEOS PERPETVAM EXTIRPATIONEM, FACIT VT EO VEHEMENTIVS B. IGNATII SOLENNEM CONSECRATIONEM EFFLAGITEM, QVOD EIVS MIHI PATROCINIVM PRÆSIDIO FORE SPEREM AD ILLVD EFFICIENDVM, CVIVS CAVSA IN VITAM HOMINVM MISSVS A DEO EST, QVODQVE AB EO INSTITVTVS ORDO TAM ARDENTER, TAMQVE VTILITER EXEQVI PERSEVERAT. Quid in his primum verbis retexam, quid mirer, Aud. equidem

nescio : ita singula momentis suis æstimanda rapiunt atq; absorbent admirationem meam. PRIMOGENITI ECCLESIÆ FILII TITVLVS. Regem se & Imperatorem Francorum, Regum gemmam, Regni nobilissimi animam esse non meminit, vt ab Ecclesia nomen accipiat, vt eius se profiteatur filium, à qua diuinæ vitę originem, & Regni æterni hæreditatem accepit. STIMVLAT ME AD CATHOLICÆ FIDEI AMPLIFICATIONEM. Deus immortalis! nihilne est in Regno quod prius collocare appetat Ludouicus? In tam malè affecto corpore alia non sunt membra quæ medicam curantis manum desiderent? Apud plurimos Principes politicam gubernationem Dei cultus sequitur; apud non improbos comitatur: Regem Christianissimum, Ecclesiæ Primogenitum solus impellit, trahit, abripit: non Regni, sed fidei, non potestatis, sed pietatis amplificationem flagitat: cæteræ dotes quasi consectarię, & pedissequę, proximè quanquam longo interuallo consequuntur. Sic enim existimo, sic res ipsæ, & facta declarant habere iustum Ludouicum insitam animo libram quandam, cuius in alteram lancem Dei cultum imponat, in alteram temporalia, vt appellant, Regni negotia: propendere autem illam semper vt primum in ea figat vestigium. HÆRESEOS EXTIRPATIONEM ardenter cupit. Audite rebelles, audite perduelles: non Hæreticos, sed Hęresim; non vos, sed nefariam pertinaciam; non subditos suos, sed furorem, sed amentiam, sed sacrilegium tolli vult atque extirpari. Quis vos è Gallis barbaros, è subditis perduelles, ex hominibus belluas effecit?

Quo poculo Lemanica illa Circe vobis mentem atque ſenſum eripuit? Itaque vt peſtem illam infrà mortuos amandet in S. Ignatij clientelam ſe dat. Sapienter tu quidem, Ludouice, præſidium è cœlo aduocas, vt in partibus tuis Deum habeas, ne tuorum certantium otioſus ſpectator ſedeas. Ille igitur qua manu enſem tibi tradidit vt pugnes, eadem vires, animumq; augeat, vt triumphes. Sic enim ſacrorum annalium monumentis refertur, oppreſſis aliqua tyrannide Catholicis, auxiliares è cœlo miſiſſe copias Deum perſæpè, & noua quaſi in cœlo aſtra collocaſſe. Antiochenam Eccleſiam Iuliani deſertoris crudelitas affligebat: de repentè S Babilæ cineres reuiuiſcere, & ſacrilegum illum perfugam oppugnare. S. Ambroſium Mediolani Arrianorum ſæuitia opprimebat, ſubito Geruaſius, Prothaſiuſq; par Martyrum excitari, & magni Antiſtitis, certæque fidei cauſam quaſi ſuſcipere. Pariſiis peſtifera Danorum barbarorum lues ſæuiebat, ſacra omnia profanaque depopulabatur: tum enimuerò vindex Germanus exugere, & plus eſſe in mortuis, quàm apud viuos roboris, virtutiſque demonſtrare. Vaſtabant Africam Gildonis importuna barbaries; ecce recens mortuus Ambroſius adeſſe, & Maſcezili Honorij Legato incruentam facere victoriam. Par enim eſt vt quæ Deum homineſque oppugnat, impietas, diuinis, humaniſque armis debelletur. EIVS REI CAVSA, inquit Ludouicus, MISSVS IN MVNDVM IGNATIVS EST. O nobilem viuendi cauſam? O glorioſum inter homines agendi finem! HOC AGIT AB EO INSTITVTA SOCIETAS. O

Illuſtre Chriſtianiſſimi Regis

ſacrum & grande vitæ noſtræ teſtimonium ! O ſingularem inſtituti noſtri laudationem ! Quid agis inuidia, quid contra moliris ? Genuinum tu in moribus noſtris frangere? tu actiones honeſtiſſimas limis intueri ? tu ipſas etiam cogitationes noſtras ad importunæ tuæ vertiginis calculos reuocare non erubeſcis ? vt quos Princeps ſapientiſſimus diuinæ vocis oraculo edomandis errorum monſtris, procurandis Hæreſeon portentis, exterminandis vitiis inſudare proclamat, eos tu perturbatæ Reip. & nequitiæ non tolerandæ audeas accuſare ? Macti eſte Socij, hoc Regiæ probationis tecti clypeo pugnate : omnes maleuolorum impetus oppoſito tanti teſtimonij quaſi muro repellite ; operam veſtram, vitam veſtram, ſanguinem Regi, Regnóque Chriſtianiſſimo probate : ei Regi quem Eccleſia Catholica verè Primogenitum agnoſcit ; quem Gallia Patrem ſalutat quem orbis Dominum colit; quem hæreſis hoſtem, flagellumque ſuum pertimeſcit. Eius vos Regis Numini, Maieſtatique vouete, quo neque Auguſtus vnquam felicior, nec melior Traianus, nec maior Conſtantinus, nec religioſior Theodoſius extiterunt.

de noſtra Societate iudicium.

Hoc agimus Ludouice, agemuſque quamdiu Franci, quamdiu Catholici, quamdiu Religioſi, quamdiu Ignatij filij vixerimus. Tu Societatem noſtram quæ in regno tuo verſatur, innumeris hactenus ornaſti beneficiis : hoc vno vniuerſam complexus es; vt qui vel Perüanas peruadent ſolitudines, vel in intimam Sinam penetrabunt, aui dè accipiant Ignatium communem parentem inter Sanctos relatum volente, agenteque Ludo-

uico Decimo tertio Rege Christianissimo : hoc loquentur historiæ, sciet posteritas quoties Sanctum nominabimus Ignatium, Ludouici meminerimus. Id vnum est quod tanto beneficio rependere possumus, æquare gratiam neque possumus, neque tua esset, si possemus. Tuum est, Sanctissime Ignati, filiorum nomina explicare; tuum est sanctitatis tuæ assertori habere gratiam : patrocinium tuum nobilis ille cliens flagitat, in tuo fauore perfecti triumphi spem repositam arbitratur : Deo pugnat non sibi; neque tam Regno quàm fidei vincit. Da illi vel gloriosam pacem, vel bellum prosperum: & si quando Regius eum animus, & inconsiderata gloriæ cupiditas inter acies, inter arma, inter pericula, longius prouehent, quicquid esse poterit discriminis longius propulsa : vt confecto bello diuturno, profligato hoste pertinaci, fama, terroreque sui nominis circumquaque diffuso triumphet, quietamque post hac vitam, annos plusquam Nestoreos regnet, & viuat Ludouicus.



LITERÆ SVMMI PONTIFICIS AD REGEM CHRISTIANISSIMVM.

Quibus ardentem eius pietatem & zelum in amplificanda Religione Catholica commendat.

GREGORIVS PAPA XV. Dilecte in Christo Fili noster.

Salutem & Apostolicam Benedictionem.

EXIMIA Regiæ vestræ virtutis facinora, quæ Christianorũ in se omniũ oculos conuerterunt, magnam inter armorum vestrorum gloriam, & spem triumphorũ paternæ nostræ

Epistola hæc mense & anno quo data notatur, in lucẽ excusa typis

prodiit Parisiis gallico sermone, eamque historiæ temporũ cõpilator in tomum 7. Mercurij Gallici sic coniecit, vnde in latinam linguam conuersam hic damus. Ludouicus ætatis Regiæ tyrocinium in sacro bello gloriosè ponit.

solicitudini lætitiam afferunt Nam cum audiamus nõ sine incredibili animi mœrore hæreticã prauitatẽ aliquibus in locis sine metu securè desidere, in aliis iniquissimæ tyrannidis vim, potentiãq; exercere: nũc tandẽ Deo exercituũ gratias agimus, quod tam idoneo ad bellum tẽpore Maiestatem Vestram ad arma hæc sacra pro Religionis Catholicæ dignitate tuẽda excitarit. O præclarum militiæ Regiæ, & Christianissimo Rege dignũ tyrocinium! Quam nouum est, & laudabile ætatem illam, quæ à cæteris per socordiã in ludis & voluptatibus conteritur, à te totam in pace inter discordes populos conciliandа, regẽdis exercitibus, expugnãdis hæreticorũ propugnaculis, nõ sine Dei numine, cuius regno Reges subsũt, nõ generosius, quã felicius exigit? Quid? credibile est ipsis adolescentiæ initiis opus à te susceptũ tam magnũ, atq; difficile: & cũ cæterorum volũtates labores & pericula retardarint, iis te vehemẽtius ad eam gloriã incitatum?

Fruere (Dilectißime Fili) ea fama, quam tuum tibi peperit nomen, & Deum tecũ pugnantem sequere: vt quemadmodum nunc te omnes pro Belli fulmine, & Pacis clypeo habẽt, sic nemo sit imposterũ qui te decus Israëlis, & Orbis gloriam esse non existimet. E summo Apostolicæ dignitatis culmine, quo diuina bonitas humilitatem nostram sine vllis meritis perduxit, mente & animo vestris exercitibus intersumus, & diuina remedia crebris precibus præparamus. Et quanquã dubiũ non sit quin vltimam ei negotio manum fortiter, & constãter, virtutis tuæ inuitatu sis impositurus; tibi tamẽ vt spero graue non fuerit ad illud nostra exhortatione magis, magisq; inflãmari: vt omnib⁹ appareat quãta cũ cura veræ Religionis, *& gloriæ tuæ progressum suscipiamus. Hactenus certè Deo plurimũ obligatus es ob immẽsa eius in te beneficia, quæ vt sperare, & optare fas est, augescent imposterũ: estque credibile admodũ tuam illam mentẽ excelsam,*

Ludouicus Belli fulmen & pacis clypeus.

& exaggeratam cœlesti quadã disciplina esse imbutam, nõ humanæ sapientiæ præceptis, vt qui optimè semper intellexeris Regnorũ fundamenta veritate vnius orthodoxæ fidei niti. Neque enim nisi Dominus custodierit ciuitatẽ, Magistratus vllus, aut Principatus potest stare securus. Æstiment sapientes qua fide Regium tuũ solium tueri poßint ij, qui Diuos ipsos suis templis eiecerunt, qui nullũ non mouerũt lapidem vt eos è sacro albo eraderent, imò cœlo ipso, si fieri posset, exturbarent: sit-ne ab iis vlla speranda fidelitas, qui temerè, atque impiè maiorum instituta, Regũ cõsuetudines, decreta Pontificum, Ecclesiæ ritus, cæremoniasque conuellunt. Ii sunt Reipub. Christianæ tumultus, & Fráciæ *labes, ac pestis, quã* Regum *supremus Imperator adolescentiæ tuæ opprimendã reseruauit. Vide nunc hoc armorũ tuorum aditu suspẽsos* Europæ *vniuersæ animos, id vnum expectantis vt tuis quãprimum auspiciis Oceano sese cõmittat: vt qui lo-*

Regnorũ fundamẽtum est orthodoxa fides.

Ad Rupellanam obsidionẽ Ludouicũ Pontifex adhortatur.

cus portũ, ac perfugiũ hæreticæ rebellioni præbet, in sempiternũ victoriarum tuarũ trophæum cõmutetur. Scio equidem Regiam *tuam indolẽ neque periculorũ metu, neque laborũ fastidio, neque vlla leuitate à suscepto posse dimoueri; sed & memineris Sãctos pro quorũ gloria certatur, adesse Principi, qui* Religionis *causã amplectitur, & vt cõmilitones in eius quasi exercitu merere. Habebis sine dubio fauentẽ in illis vndis* Deũ, *quas aliquando soli instar sub pedibus indurauit: quarum diuulsi hinc inde fluctus, & velut in mœnium molẽ excitati liberum assertis in libertatẽ agminibus iter aperuerunt. Tum vero ingẽs nobis oborietur fiducia. fore vt Regno tuo benè stabilito, & impietate debellata triumphis aliquando tuis* Orientẽ *addas* Occidenti: *maiorũ tuorũ gloriam æmulatus qui* Romanorũ Pontificum *cohortationes, non minus religiosè, quã ipsa* Dei *præcepta susceperũt. Eo te* Sanctißimus *ille Ludouicus inuitat, cuius tu & no-*

Ludouicus noster S. Ludouici imitator.

mine gloriaris, & facta imitaris: primi prosapiæ tuæ Principes excitant, qui Apostolicæ Cathedræ auctoritatem defendendo; Religionem propagando firmißima Regiæ domus fundamenta iecerunt. Sequere dilectißime Fili, Mundi ornamentum, cæli mandata: effunde iram tuam in gentes, quæ Deum non nouerunt, vt thesauros diuinæ pietatis in cælo reconditos habet Maiestas vestra, cui Apostolica auctoritate cum intimo affectu benedictionem nostram impartimur.

Datum Romę apud SanctamMariam Maiorem, ſub annulo Piſcatoris die 4. Septemb. Anno 1621. Pontificatus noſtri anno primo.



LITERÆ REGIS CHRISTIANISSIMI AD SVMMVM PONTIFICEM.

PRO IMPETRANDA Canoniſatione B. Ignatij Soc. IESV Fund.

CVm Rex Chriſtianiſſimus rogatu admodum R. Patris noſtri Generalis, pro ea beneuolentia, qua Societatem noſtram proſequitur, ſuſcepiſſet promotionem Canoniſationis B. P. Ignatij, tanta deuotione in eam exarſit, vt ex illo tempore B. Patrem acceperit in Patro-

num, & tutelarem. Itaque cum literas iam exarasset ea de re ad Sanctiss. Dom. N. Paulum V. eius audita morte alias destinauit, & propria manu scripsit ad eius successorem Gregorium XV. quarum exemplar sic habet, latinè ex Gallico fideliter expressum.

SANCTISSIME PATER.



V M nulla gubernatio felicius initiũ possit ducere, quã ab alicuius negotij diuinã gloriã spectantis gestione, Vestræ Sãctitati nõ erit iniucundum, si postulatio mea, qua primũ cõpello recentẽ vestrũ Pontificatũ, agat de illo opere quod nõ minus paternã vestram pietatẽ declarabit, quam Religionis igniculos diuinitus in me immissos accẽdet. Ab ineunte siquidẽ ætate per PP. *Soc. Iesu in fide, bonisq; morib⁹ institutus,*

Patres Societatis Iesu Lu-

eos semper

cos sẽper conſcientiæ meæ in ſacris confeſ-ſionibus rectores adhibui: qua in re vt mihi cumulatiſsimè ſatisfecerunt, ſic beneuolentiæ meæ fructum vniuerſo eorum Ordini cupio eſſe communem. Itaq; cùm, vt accepi, cauſa Canoniſationis B. Ignatij eiuſdem Societatis Fundatoris probè ſit cognita, & publicis inſtrumentis conteſtata, nihilq; ad tam ſancti operis conſummationem deſideretur, quàm rata V. Sanctitatis voluntas, oro, quæſoq; vt eum in Sanctos referre, & ſacro illo honore toti orbi colendum proponere dignetur. Sperò equidem à V. Sanctitate beneficia non mediocria, ſed nullum expecto maius hoc vno; quod præter vtilitatem quam inde conſequar, veſtrũ etiam Pontificatum felicitate cumulabit. Diuina certè prouidentia quæ animos noſtros inflammat, eorumq; motus pro arbitrio regit, huc pietatis ſenſum ab annis iam aliquibus conceptum, ante hũc diem in publicum prodire non permiſit: opus tam eximium V. San-

ſu Ludouico Regi cumulatè ſatisfecerunt.

ctitati, mihi verò petitionis huiuſce quæ Primogenito Eccleſię filio maxime conuenit gloriam reſeruando. Atq; hic titulus eam alte animo infixus meo, quàm bono iure à maioribus meis vſurpatus, me dies noctesq; ſtimulat ad Catholicæ fidei amplificationem, & hæreſeos perpetuam extirpationem, facitque vt eo vehementius hāc conſecrationem efflagitem, quod eius mihi patrocinium affore ſperem ad illud efficiendum, cuius cauſa in vitam hominum miſſus eſt, quodq; ab eo inſtitutus Ordo tam ardenter, tamq; vehementer exequi perſeuerat. Id ſanè Regno meo percommodè accidit vt Diuinus ille vir Lutetiæ Pariſiorum literas didicerit: eodem loco ſocios ſibi primos adiunxerit, in Monte Martyrum prima Societatis ſuæ cunabula collocarit. Quare nouum Dei fauorē paratum habebo, ſi V. Sanctitas ad meam poſtulationem concedit, breui vt inter Diuos Cœlites referatur. Atq; vt primā hanc à me profectam videt, ſic obnixe contendo

Ludoui cus fidei Catholicæ propagationē, & hæreſæos extirpationem vehementer exoptat.

vt principem locū teneat inter eas actiones quas bonas sanctasq; à vestro Pontificatu expectamus: quem cupio Deo esse acceptißimum ad sui nominis honorem & gloriam, Ecclesię ędificationem, & Christianorum omnium vtilitatem.

Parisiis 14. Febr. 1621.

His literis adiunctę erant ad eundem Sanctissimum literæ Illust. Cardinalium Rupifucaldij, & Rethiensis: nec non & Excellentissimi Ducis Luynęi, quibus testificabantur quanto desiderio Rex Christianissimus Canonisationem B. Patris exoptaret. Has Regis literas, & alias cum Orator Regis Christianissimi Suæ Sanct. in manus dedisset, & postulatum Regis ipsi copiosius exposuisset: Pontifex collaudata Regis pietate, & ostensa voluntate gratificandi, respondit in eum modum, quem in literis ad Re-

gem datis posuit: quarum tenor hic est ex Italico sermone, latinè expressus.



GREGORIVS PAPA XV.

DILECTE IN CHRISTO fili noster.

Salutem & Apostolicam Benedictionem.



Anta pietate, & religione plena est V. Maiestas, tantoque desiderio fertur in diuini cultus augmentum; vt dubitari non possit, quin diuina inspiratione incitata, eo animi affectu à nobis Canonisationem B. Ignatij Societatis Iesu Fundatoris postularit. Sed quoniam inter eas actiones quæ ad Summos Pontifices referuntur, ea quæ solennem cælestium hominum Consecrationem respicit, primum semper locum obtinuit, iique

in ea nunquam nisi ex Spiritus sancti ductu progressi sunt: rem tantam sine grauissima consideratione decernere non possumus. Quia tamen Vestræ Maiestati satisfacere cupimus, cuius merita, & auctoritatem plurimi facimus: nobis erit iucũdissimum posse omnibus quidem eius precibus annuere, sed isti maxime petitioni, quam primam esse voluit. Quare confisi diuinam bonitatem nobis demonstraturam quid hoc in negotio sit agendum, credimus etiam fore vt eam cordi nostro voluntatem inspiret, quæ sit ad ipsius gloriam, & vestræ Maiestatis consolationem: cui abundanter de nouo paternam nostram benedictionem largimur. Romę 22. Martij Anno Domini 1621.

ANno deinde consequenti cùm & impetrata, & perfecta Romæ esset ea Canonisatio, voluit idem Rex optimus eius suæ pietatis toto suo

Regno in iis vrbibus in quibus Societas habet domicilia, extare celebre aliquod monumentum: atque datis ad Prouinciarum Præsides literis hanc ipse solennitatem indixit. Exemplum verò earum, quas ad D. Du Bellay Vice Sacra Andegauensium Propræfectum dedit, hoc est è gallico latinè redditum.



DOM. DV BELLAY
V. I.

PER ANDEGAVENSEM PROuinciam V. S. Propræfecto.

LVDOVICVS REX.




Vm hactenus religione peculiari B. Ignatium Societatis Iesu institutorem, & B. Franciscum Xauerium sumus profecuti, quos & specialiter patronos elegimus, & eorum Canonisationem à Sanctißimo D. N.

Gregorio XV. ipso Pontificatus exordio pro singulari gratia & beneficio humiliter expetiimus: cumq; nostræ postulationi annuens Summus Pontifex maxima ceremonia die 12. mensis Martij Romæ in Ecclesia S. Petri eos in Sanctorum numerum retulerit; insuperq; concesserit vt quibuscunq; in vrbibus Domos & Collegia habet præfata Societas, semel eius Canonisationis Festum celebretur, plenariam in eum diem peccatorum remissionem liberaliter indulgendo: Nos, qui huius Festi, vtpote per Nos obtenti, pars magna sumus, volumus quoq; eam solennitatem quanto maximo fieri poterit apparatu transigi. Qua de re Illustrem tuam Magnificentiam duximus admonẽdam, quatenus id fieri cures in vrbe nostra Flexia, quæ ad ditionem tuam noscitur pertinere. Hoc igitur opus in tua fide reponentes, Deum tibi propitium precamur.

Datum Santonibus 2. Maij 1622.



IN SOLA SCRIPTVRÆ SACRÆ HISTORIA Veritatem reperiri.



ORATIO V.



VOCEM æternæ veritatis anni huiusce decursu audituri, VIRI ORNATISSIMI, qua commodiore via in sacram intrabimus Academiam, quàm per assertam veritatem, & ab eorum qui illam in iniustitia detinent, iniuriis vindicatam? Nam cùm in rebus humanis nihil suauius, nihil naturæ nostræ sit conuenientius, quàm simplex sine fuco, & fallaciis veritas; illorum qui ingenij monumentis ad posterorum commendationem grassari voluerunt, repertus est nemo, qui non humanitatem profiteri suam in veritatis affectatione voluerit. Sed quoniam tenuissima res est, & diuinæ quodammodo naturæ citima; hominum autem ple-

rique in solis corporibus terreno principiorum genere confectis mentem defigunt: euanescit aliquando; & subtiles indagantium conatus eludit, Cum enim illam ad exemplar meditationis suæ in aspectabilem immersæ materiam formare contendant: mirum non est si alieno in loco vestigata non appareat, pro se autem speciem quandam affectatæ virtutis supponi promittat. Ridiculum profecto vanitatis genus, expressam in cogitationum tuarum admiratione, tanquam in speculo imaginem osculari, & cum deceperis ipse te, amātibus veri posteris inane simulachrum, quod de Helena fabulantur, relinquere. Et id quidem si soli peccarent Philosophi qui in naturę indagatione versantur, esset ferendum, Auditores: cum in ea materia posteritas quæ incauta fuerit, errorē à maioribus accipiat non perniciosum, quæ acuta & subtilis eundē nō difficili negotio corrigat. Historicos autem qui se rerū gestarum memoriam omni æuo propagare profitentur; qui futura secula præteritorum recordatione ad virtutem & felicitatem informare moliuntur; qui eximia maiorum facinora quasi paternā atque auitam possessionem nepotibus tradere se gloriantur; eos vmbram pro corpore, laruam pro persona, mendacium pro veritate proponere; id vero tam est iniquum atque intolerabile, vt illos non iam ex albo scriptorum expungendos censeam, sed infra homines, si fieri posset, amandandos. Quippe qui nostra nec inutili, nec inerudita curiositate abusi, nos in eum sæpenumero traxerūt errorem, in quo insistere vitę exitiosum est, à quo emergere naturæ arduum atque difficile. Stulti sanè ho-

Historici veritatis negligentes vitæ humanæ plurimum nocent.

mines si nescierunt, improbi si viderunt vitæ nostræ oculum historiam esse, historiæ veritatem: hanc illi qui eripiat ducem hominibus dare, non qui ad bonam, beatamque vitam deducat, sed improuidum ac deuium qui in scopulos, voraginesque præcipitet. Hanc deceptæ mortalitatis errationem tanti supremus omniũ gubernator æstimauit, vt eam suæ quoque prouidentiæ partem faceret, certamque, ac definitam viam omnibus aperiret in qua vestigium ponere salutare esset, decurrere gloriosum. Illa est, Audit. immortalis sacrarum literarum auctoritas & amplitudo, quibus omnia benè beateque viuendi subsidia tam diligenter explicantur, nihil vt desiderare possis; tam eleganter, vt alibi commodius nihil reperias; tam porro certo, tam sine vlla mendaciunculi suspicione, vt cœlum, terramque commoueri facilius sit, quam leuissimum diuinæ legis apicem præteriri. Hæc est inexpugnabilis arx veritatis, receptaculum virtutum omnium, castellum recti atque honesti: hæc est delapsa de cœlo ad cognitionem omnium regula, qua omnia veri, falsique iudicia diriguntur: hæc est arca medica, quæ publico medetur errori, & mendacij pestem exsecat, tanquam strumam sapientiæ. Nolo equidem diuinorum codicum laudes oratione cõsequi, quibus huius lycei parietes quotannis personant: sed quoniam ex Euangelicæ historiæ floribus annuo studio sertum conficere aggredior, non erit, arbitror, alienum hoc in consessu demonstrare penes solam sacram vtriusque instrumenti historiam residere veritatem: fluere autem res profanas mẽdaciorum sordibus lutulẽtas. Ac ne quis vestrum

materiæ benignitate perculſus tacitis cogitationibus, nihil facilius in hac erudita ſapientium Theologorum corona effici poſſe exiſtimet; rem ita tractabo quaſi contra Iulianos & Porphyrios ſempiternos Chriſti hoſtes ad barbaros & ignotos iudices, qui neque gratia tangantur, neque odio, controuerſiæ recentis actio afferatur. Dico, inquam, etiam alienorum iudicio, qui modo homines fuerint, hiſtoriam quam canonicam appellamus, quam pro diuina veneramur, ab omni falſitatis ſuſpicione penitus eſſe remotam: hiſtoricorum autem profanorum ſcripta, præter aliquos inſigniores locos notis veritatis inuſtos, aut voluntate falliendi, aut quadam quaſi neceſſitate neſciendi, erroribus eſſe corrupta.

Quod vt melius conficiatur à nobis, reuocate cogitationem veſtram ad tres illos ſapientium filios, qui coram Dario, & Senatu Perſico de re omnium fortiſſima copioſè, vt illis temporibus, prudenterque diſputarunt. Nam cum eorum primus vinum, furioſiſſimum emotæ mentis tyrannum: Reges alter, illos mortales Deos, quorum quò capacior eſt volūtas, eo infinitius imperium, plurimum poſſe contenderet: Zorobabel decoctæ vir ſapientiæ, vino Regibuſque, Mulieres primum, audaciſſimam, ambitioſiſſimam, imperioſiſſimam hominum nationem: deinde quaſi ſe corrigendo reprehenderet, mulieribus ipſis prætulit victricem omnium veritatem. Figuram hāc Audit. in veſtrorum animorum conſpectu pono, vt cum ſcriptores externos vitiis & rerum imbecilliorum ſimilitudine deteriores fieri oſtendero, ſempiternæ veritatis maieſtatem in ſacris codici-

bus, potentiamque adoretis. Quid est igitur in alienis monumentis quod cum vino conferamus? Opinor fabulæ non ad exempli fidem allatæ, sed ad aurium oblectationem comparatæ. Nam & earum primi artifices Poëtæ bicipitem suum Parnassum Baccho æquè ac Phœbo consecrarunt: neque aliter quam vino quasi equo vectos in eo spatiari se gloriantur: & eæ cum sui dulcitudinem in auidas aures semel infuderint, tot errorum vapores emittunt in ingenium, vt opposita eiusce-modi caligine ad purum, syncerumque veritatis splendorem nequeat penetrare. Fabulas autem hic appello, non Poëticas illas corporum mutationes, non Gorgones & Harpyas aniles ineptias. Sed confictas ad similitudinem veri narratiunculas, quæ grauioribus cibis quasi pulmentum adiunguntur ne nauseam pariant: quibus non reficitur quidem legentis animus, sed titillatur cognoscendi gustus, vt ad eum reliqua historiæ series cum suauitate affluat & illabatur. Habet nãque talibus condimentis opus veritas vt sapiat; & quo minus suapte natura potest, subsidio sibi mẽdacium aduocat. Putatis-ne, Audit. cùm in celebri illo totius Græciæ conuentu Herodotus subito & improuisus apparuit, minus eum placiturum si puram putam veritatem splendida & suaui oratione popularibus suis enuntiasset, quam cum aspersas dulcibus mendaciis cantilenas recitauit? Non placet illud voluptatis aucupium Ctesiæ, qui fabulatorem eum & mendacem appellat, eique repugnantia scribit in omnibus. Eximiè profecto, & ad posteritatis vtilitatem luculenter, si quæ scribit Ctesias, aut ipse vidisset, aut idoneo-

Historiæ profanæ fabulis corruptæ sunt.

rum teſtium relatione didiciſſet. Hoc ipſe quidem profitetur: ſed cum Indici fontis miracula commemorat, cuius aqua in aurum mutetur, limus concreſcat in ferrum: è quo confecti gladij in terram depacti grandinis & tempeſtatum ſint auerrunci: cum in fluuio quodam mel è petra ſcaturire facit; cum Pygmæos deſcribit barba ad pedes ante demiſſa, capillo in tergum ad genua vſque pendente, quibus ſuccinctis pro veſte vtantur: cum populis incerti nominis octonos in manibus, pedibuſque digitos aſſignat, aures autē ad cubitos vſque protendit quæ totos humeros conueſtiant: nos videlicet barones ſtupemus, & illam fabellarum dulcedinem ad inſaniam vſque vanæ credulitatis, ad furorem concipiendi mendacij percupidè haurimus. Puderet me hoc loco vini illius mentionem facere, & eius imbecillitatem vobis demonſtrare, ſi eius farinæ homines puditum eſſet hiſtoricorum ſibi nomen, & gloriam vendicare.

Scriptores externi ſpe & metu, peccant in hiſtoria.

Sed quoniam depoſita eſt ea controuerſia, & tam pernicioſæ ebrietatis profligata lis: veniamus ad id aliud quod in rebus mortalium publicis principem amplitudinis locum dicitur obtinere. Aſſignatur is Regi in cuius manu vita, morſque hominum eſt: cuius ſalutem, quiete, infelicitatem vota ciuium laboreſque procurant, cuius palatia priuatæ domus ædificant, miniſteria familiæ conficiunt, menſæ delicias ſubditorum ſudor & parſimonia inſtruit: pro cuius capite omne periculum adit tota ſi fieri poteſt Reſpub. ad cuius nutum prouinciæ & imperia commouentur. Huic rerum humanarum Deo non exter-

næ tantum operæ, non corporum membra, non priuatorum facultates, sed ipsi etiam animi, voluntatesque subduntur. Quod sentiunt ad iudicij ipsius libellam exigendũ est: quod cupiunt ad voluntatis illius regulam dirigendum: quod metuunt in eius arbitrio est. quod sperant ab eo expectatur. Vt autem spe, metuque omnis hominũ vita continetur, qui vtrumque in alterius potestate collocauit, is sui iuris esse desiit & in impotentis domini transiit seruitutem. Ad hoc igitur Regum caput scriptorum peccata refero quę Regum ipsorum amore & metu, quæ innata adulandi libidine, quæ insita patriæ charitate, quæ hostium publico, aut priuato inimicorum odio committuntur. Hic iam non disputo liceat ne historico virgulam censoriam ad Principum vitam extendere, & de eorum factis iudicare, quos Deus in ceru cibus nostris imposuit vice sua adorandos. Scio equidem Regum famam non minus sacram esse quam vitam: & eos immani se obstringere sacrilegio, qui de Principum existimatione vel minimum detrahunt. Quia tamen humanum aliquid & ipsi patiuntur, magnasque virtutes magnis sæpè vitiis dedecorant; hoc dico, historicos qui vtrumq; spectant, suppressis improbè factis, laudabilia tantum in commentarios referre; vnde posteriorum ætatum scriptores tamquam ex puro fonte hauriunt; hinc fieri vt parte tantum meliori quidem, sed tamen vnica homines in cognitionem posteritatis trãsmittantur. Quis enim nostrum Herodis Ascalonitæ flagitia, domesticas turbas, furorem atque amentiam fama accepisset, si Nicolai Damasceni sola historia ad nos per-

uenisset? quam ab eo scriptam non ad posteritatis cognitionem, sed ad gratificandum Regi suo, testatur Iosephus, dum eius hominis nequitiam, & importunissimam tyrannidem leui quasi orationis declinatione euitat, parricidia, calumnia in innocentes adhibita obtegit; quædam magnificè gesta omni laudum genere prosequitur, cōtraria verò diligenter excusat. Quanquam si rebus iniustis potest aliqua iusta esse defensio, hoc eius consilium, si humanæ vitæ, non scriptionis solius ratio spectatur, omni excusatione nō caret; cum, vt sunt, hominum ingenia, nuda veritas omnibus telis & iniuriis sit exposita. Neque enim est, vt aiebat ille, tutum in eum scribere, qui potest proscribere. Sensit id Cremutius Cordus in Senatu Romano postulatus Tiberio Principe, quod editis Annalibus, laudatoque M. Bruto, C. Cassium Romanorum vltimum appellasset. Nam inedia vitam finiit vir æternitate dignus, & capitale habuit sub improbo Imperatore boni ducis laudasse virtutem.

Adulatio vt principum hic historicorum scopulus.

Quid dicam de adulatione magnæ fortunæ peste, quam necessariam fecit hinc imperantium superbia, qui stupent inter mentientes, ipsaque consuetudine pro veris blanda audiendi perducti ad ignorantiā sui, tam magnos se, quam audiunt, credunt: inde assecIarum extincta libertas, & fides in obsequium seruile submissa, dum nemo ex animi sui sententia loquitur aut scribit, sed adulandi certamen est, & vnum amicorum omnium officium, vna contentio, quis blandissimè fallat. Ita omnium ingenia assentatione aut corrumpūtur, aut corrumpunt. Proh Deus immortalis! tamne

est cœca, tam sui amans hominũ natura vt alteri potius quam sibi de se credere velit: & ei quidem qui si lucellum olfecerit, nihil gloriosum non affingat, si pœnam timuerit, nihil turpe nõ taceat? Egone vt existimem Berenicem, cum eius coma vanissimis Poetarum versiculis tantum laudabatur vt etiam inter sidera cõsecraretur, caluitium, deformitatemque suam in speculo non sensisse? Putem-ne Alexãdrum sibi Deum videri potuisse, cum is fulmine armatus vulgari pictorum assentatione formaretur, cum iustissima Apellis indignatione: non enim credent posteri, aiebat, Alexandrum fulmen emisisse, hastam vibrasse ignorabunt. Peto à vobis, Audit. si quis Deus Cyrum illum magnum ab inferis excitaret, isque se, vitamque suam in Xenophonteis scriptis legeret; tam-ne esset impudens, vt talem fuisse se qualis describitur, peieraret? At, inquies, boni Principis imaginem sæculis dare voluit Philosophus; & qui neminem reperire potuit, vnum illum dicendo fecit optimum. Esto id sanè Heroëm igitur de Poëticis aliquẽ vt Agamemnonem, vt Hectorem, vt Æneam eligere debuerat, in quo anticipata fictionis cognitio de veritate non præiudicasset, non hominem suopte præstantem ingenio, cui aduentitium splendorem qui addit, is & historiæ fidem detrahit, & veram gloriam obscurat. Atque vt ad propagandam sui cum laude memoriam ingeniosa est ambitio, aliquam multi factis & virtute florentes reperti sunt, qui post trophæa per orbem terrarum sparsim erecta, commentarios de rebus etiam suis scripserunt, qui vel perennarent ipsi, vel historiam scripturis

vberem rerum segetem ministrarent. Alio quodam vanitatis genere laborauit Alexander Mammææ filius, qui literatos viros sibi perpetuo adesse iubebat, vt singula publicè, priuatimque gesta ipso docente addiscerent, si fortè ipsi non adfuissent, eaque petebat vt si vera essent, in literas mitterent. Quibus gloriæ, si sic loqui fas est parasitis, quorum vt plurimum quo vita deterior eo gloriosior pagina fuit omnem habere fidem, est, vt dicam leuiter, ipsam prodere veritatem.

Amor & odium pestes veritatis historicæ.

Ad eundem sui amorem, tanquam recti synceríque sermonis scopulum, appellunt quos priuata gratia, quos publicum aut domesticum odium transuersos agit. Nam vt animi sensus in verba deriuatur, & perquam libenter sese prodit concepta interius affectio; vbi amare, vbi odisse aliquem occœpimus, benè aut secus eius dicta omnia factaque æstimamus, eisque colorem damus quęcunque motus animi subministrat Herodoto quid causæ fuit cur inter innumerabiles fabulas, diceret etiam Corinthios subterfugisse nobilem illam pugnam ad insulam Salamina? odium gentis à qua spretus illusúsque fuisse dicitur. Quæ res Xenophonti probra & conuicia suggerit quibus Menonem continenter incessit? in offensa erat apud Platonem cui Meno amicus fuisse dicitur Quid Philistum coegit verbis cùm Dionysio iuniore digladiari? concepta cum ipso discordia. Timæus autem honestiore velo suam offensionem obtegens Agathoclis tyranni dotes ingenij, & præclarè facta vel dissimulat, vel in contrarium detorquet. Quid ita? Quia eius im-

manitatem execratur, & bonus videri affectat, improbos omni ex parte vituperando. Imprudenter profectò; nam dum hominem putat depingere, monſtrum facit, nulla, vt ille ait, virtute redemptum à vitiis; dum hiſtoriam promittit, dat calumniam. Huic ſuppar apud Latinos Salluſtius vir omnium libidinum, illo ſuo truci & violento dicendi genere aliorum vitiis perpetuo iraſcitur, quaſi inuideat: Ita ex aliorum inſectatione nequitiæ ſuæ integumenta venatur E diuerſo eundem Xenophontem ad prædicanda Perſarum inſtituta, eorundem Perſarum quam expertus eſt, magnificentia impulit. Timęum quoque Tauromenitanum ad Timoleontis encomium potius quàm hiſtoriam, perduxit eius in patrem ſuum Andromachum beneuolentia; vt qui regia eum dignitate, cum poſſet, non ſpoliarit. Atque illa leuitatis & mendacij parens animoru[illegible]ctio, tam eſt omnibus ad videndum expoſita, [illegible] Varro ſcriptor grauiſſimus, hiſtoricos aſſeruerit quaſi data opera, & quaſi ex induſtria per multa diſſentire. Id cum diceret vir ſapientiſſimus; aſpiciebat opinor ad Hellanici & Acuſilai diſcrepantes in genealogiis ſententias: meminerat Heſiodum ab Acuſilao, Hellanicum ab Ephoro ſæpenumero mendacij coargui: requirebat apud ſe quid cauſæ eſſet cur Ephorum Timæus, Timæum ſequentes hiſtorici, Herodotum denique omnes reprehenderent: fortaſſe & Timæum accuſabat quod in rebus Siculis cum Antiocho, cum Philippo, cum Callia concordare non eſſet dignatus: Sed idem vitij genus in iis qui Atticas Argolicaſque ſcripſerunt hiſtorias animaduertebat. Illud

certè queri videbitur quod vt quiſque illorum aduerſus virum aliquem aut populum illuſtrem affectus erat, ita ſibi de illo credi, eleuata auctoritate cæterorum, poſtularet, aut eorum profectò deridebat amentiam, qui patriæ charitate occupati, ambitioſa domeſticarum rerum oſtentatione fucum poſteritati facere ſperauerant. Quaſi tam hebes aliquis vllo ſæculo reperiatur, vt Græcorum laudes ab Athenienſi poſſe obteri exiſtimet: aut à ſcriptore Romano Romani nominis dedecus tradi poſteris expectet. Quis enim ſempiternam ignominiæ notam amicis atque parentibus inuri debere arbitretur? amicis dico, & parentibus? imo certè ignotis quibuſdam hominibus, quos naturali quadam animi propenſione, neſcio vnde concepta, diligimus. Nam ſæpè hiſtorias voluentibus accidit vt cùm duo Reges de ſumma rerum decertant; repentino quodam & improuiſo fauore in vnius potius quàm alterius caſtra tranſeamus, & ei victoriam, felicitatemque cupiamus; cùm magnanimi, liberalis, pulchri etiam ducis, res benè geſtas eleganter expoſitas legimus, proſperos illi ſucceſſus gratulemur, meliores optemus, aduerſam eius fortunam inuiti ſpectemus, mortem præſertim ſi in præclaro quodam conatu extinctus eſt, tanquam recens funus lacrymis & miſericordia proſequamur. Nos igitur otioſi ſpectatores quorum minimum intereſt quis occidatur, quis triumphet, motu illo quem vanum & inanem eſſe ſcimus, ad ignotum hominem amandum, & ei bene cupiendum impellimur; & tam erunt ſui potentes hiſtorici vt in deſcribendo vno homine tanquam in adornanda

Sparta non laborent ambitiosius? Ita certè comparatus animo fuit Titus Liuius vir alioqui grauissimus, qui post bellorum Punicorum narrationem respirare se profitetur, tanquam rerum non gestarum scriptor, sed gerendarum socius & adiutor extiterit. Idem quoque cum omnia sua deberet Augusto Cæsaris hæredi, tamen in bello ciuili exponendo id facere non potuit, quod Cato in gerendo, vt neutri addictus parti pro æquitate, reque publica certaret; sed spretis amici sui partibus Cn. Pompeium tantis laudibus tulit, vt Pompeianum eum Augustus ipse appellaret. Tantum valuit ad obliterandam recentium beneficiorum memoriam clarissimi Imperatoris virtus, dignitasque tractata.

In omnibus historicis naui aliqui & contrà veritatē peccata repe-riuntur.

Dicat hoc loco fortasse aliquis colligere me vitiosos historicos, cùm aliquos ingenio, fideque præstantes fuisse sciamus, quos neque potentiorum gratia, neque ciuium amor, neque alia res vlla ab officio reuocauit. Quis enim vnquam Polybio mendacij crimen impegit? Quis Thucydidem in ipsa diuturni exilij iniuria malè Atheniensibus, malè Cleoni, malè ipsi Brasidæ suæ calamitatis auctori præ ira, aut odio dixisse criminatur? Cur autem credamus viros optimos, atque integerrimos quos elegit antiquitas vt præcedentium ætatum formam & imaginem sibi repręsentaret, tantæ fuisse leuitatis, ne dicam impudentię, vt temerè, nullo proposito præmio, pro historiis fabulas, pro veritate mendacia, pro rerum gestarum exemplis Milesiarum vanitatem humano generi vellent obtrudere? Audio: virtutem sapit hæc oratio. Sed non sapiebant Græca, Romana-

que pectora quibus mentiri, & temporis voluptatisque causa fingere concessum semper fuit. Plato certè ei quem ciuitati à se excogitatæ præficit, leuitatem illam imperat pro necessaria: mendaciunculis autem partem illam orationis aspergere qua factum exponitur, de quo rei in iudicio controuersantur, præcipiunt dicendi magistri non vanis circulatoribus, sed optimis viris, oratoribusque perfectis. Atque vt moremur in historicis, Iunio Tiberiano Vrbis Præfecto in familiari sermone sanctè affirmabat aliquando Flauius Vopiscus, neminem scriptorum quantum ad historiam pertinet non aliquid esse mentitum. Prodebat quinetiam in quo Liuius, in quo Salustius, in quo Cornelius Tacitus, in quo denique Trogus manifestis testibus conuincerentur. Et quoniam Thucydidis integritas opposita mihi est, ad momentum temporis Flauio Iosepho subscribere me profiteor, affirmanti eum in multis tanquam fallacem accusari, licet scrupulosissimam sui temporis historiam conscripsisse videatur. Nemo enim ab historico iurato res vnquam exegit. Cæterum cum aliud sit mentiri, hoc est scienter alios in errorem inducere, aliud mendacium dicere, hoc est quod tu verum, quamquam falso existimas, pro vero venditare, in quo nihil à boni viri officio discrepat: cum plerosque veterum in conscribenda historia mentitos esse demonstrauerim, superest vt efficiam probabiliter, qui mendacium non dixerit esse neminem.

Qui de re omnium fortissima apud sapientes Persas tertius disputauit, vinum & Reges mulieribus posthabuit. Sed illa humanæ naturæ por- *Rerũ multarum ignoratio.*

falsa commemorandi necessitatem historicis imponit.

tio cum propter sexum imperfectum, & rudem, & vt cum Philosopho principe, pace eius conditoris dicam, penè monstrosum, multis abundat vitiis: tum illud præcipuè innatum habet, vt omnis expers scientię in perpetua rerum magnarum incuria & ignoratione delitescat. Itaque isti generi persimiles facio scriptores eos, qui licet maximè velint incorruptam historiæ fidem ad posteros propagàre, falsum tamen æquè ac verum sine discrimine ex mera ignorantia pronunciant. Quorùm maximam partem esse persuadet tum fabularum nebulis implicata primorum sæculorum antiquitas : tum humani ingenij angustiæ, quæ veritatem omnem nec indagare possunt, nec continere: Denique nonnullorum credulitas aut etiam mala fides, qui pia præcedentium scriptorum dicta suis ponderibus examinare negligunt, ad obuia quælibet adhærescunt, eaque nobis pro certis, exploratisque obtrudunt Id primus ille asseruit luculentus scriptor, & elegans : Bene habet : quid deinde ? In eadem est sententia fide æqualis sæculo inferior ille alius. Cedo quid postea? aliter quidem narrauit ille, hic alter: sed Neoterici penè omnes primum illum sequuntur, Præclarè, sed cur illum potius quàm hunc ? quia vetustior est Atqui in pluribus narrationibus fabulæ præiudicium est antiquitas. Quia grauis suorum temporum testis, & integer. Quid suorum temporum scriptoribus fidei debeamus, quæretur postea : iam dico tam grauem non esse, tam integrum quisquis est, vt aliorum relatione falli, credulitate sua fallere non potuerit. Quia plures eum sequuntur. Heus tu, velut in Senatu Roma-

no capita numeras? ſcito in bonis rebus plures eſſe qui meliores, & quæ pars veritatem habebit, fore maiorem. Audio: ſed ab alia parte ſtare veritatem, volo mihi luce meridiana clarius demonſtrari, vel hunc ſequor, & ſi errandum eſt, pecco cum pluribus. Tua igitur ſapientia eſt, inter ſtultos inſanire? tu viam amas popularem in qua directè itur ad lapſum: Oſtende me labi. Oſtende tu potius eum quem ſequeris certum eſſe ducem, nunquam erraſſe, ne errare quidem potuiſſe. Fateor equidem in tanta ſcriptorum copia, alios aliis longè locupletiores eſſe, & religioſiores: ſed cum vtrique ſint homines, id etiam detur oportet, in omnibus vni alicui credere ſtultum eſſe, alteri in nullo, iniurium. Atque id quod de eiuſmodi ignorantia diſputo, nolo tantum videri pertinere ad tempora ſcriptoribus ipſis vetuſtiora; vt cum de Alexandro quærunt vino-ne, an veneno perierit? cùm de Themiſtocle, an Tauri ſanguine, an toxico ſibi mortem conſciuerit: quibus in hiſtoriis certum modo habemus viros illos interiiſſe quo caſu, & ratione? id in omnium opinione relinquitur. Sed ad illos etiam hiſtoricos referri debere contendo, qui res ſuo tempore geſtas deſcribunt. Non dubito, quin hoc dicto veſtram, Audit. tentauerim patientiam, vt vix quicquam cauſæ appareat cur nemo veſtrum importunitatem meam explodat atque exſibilet. Si tamen hoc ab humanitate, modeſtiaque veſtra impetrauero, vt ad punctum temporis vos à diſſentiendo ſuſtineatis, dicam audacter quod ſentio, ne æqualibus quidem ſuarum hiſtoriarum ſcriptoribus temerè eſſe credendum.

Suorum temporum scriptores fidei perparum merentur.

Quod vt conficiam non tenebo vos diutius in Regum profanorum temporibus, quibus explicata vitia in suo regno fuerunt: sed rem totam Dionis Cassij nobilissimi atque integerrimi viri penè verbis quàm breuissimè repræsentabo. In quo homine nemo vnquam aut doctus facundiam, aut laborem accuratus, aut rerum cognitionem aulicus, aut Reip. administrationem Princeps, desiderauit. Nam in Græcia disciplinarum omnium parente natus, vixit sæculo non inerudito; duodecim annorum otium literatum & nobile in scribendo posuit: in Imperatorum consilia, & familiaritatem admissus, ipsos etiam dignitate pene attigit: patrem denique Consularem, iterato Consulatu superauit, maximasque prouincias summa cum potestate administrauit. Sic ergo disputat auctor grauissimus, licet in populari Reip. statu non pauci gratia & odio ducti, provt animus erat historiam scriberent, fuisse tum tamen in publicis commentariis, & scriptis ad Senatum, Populumque literis speciem aliquam veritatis: at mutata Rep. cepisse pleraque agi occultè: publicè autem gesta ad Imperatoris eiusque amicorum obsequium fuisse deprauata narrando: inde fieri vt multa conficta diuulgentur, multa quæ verè acta sint lateant in obscuro, denique secus omnia quàm euenerint edantur. Huc accedit ipsa Imperij amplitudo; & negotiorum moles sanè infinita in tot prouinciarum administratione, tot gestione bellorum, tam crebra sociorum pacificatione, quæ præter eos qui conficiunt ipsi, nemo alius satis explorata habet, plerique ne auditione quidē accipiunt. Quamobrem

necessarium sibi esse res Romanas prosequenti ea in historia ponere quæ sunt ab aliis recensita, siue illa veritate nitantur, siue fuerint corrupta mendacio. Ita scriptor religiosissimus dum timet apud posteros offendere, culpam omnem in maiores traiicit, & impositam sibi fallendi necessitatem à prioribus historicis non sine iusta indignatione conqueritur. In eadem naui fuisse Nicolaum Damascenum Iosephus nos nuper admonuit: sed hic ipse censor aliorum, nondum eruditis omnibus persuadere potuit illam Herodiani templi structuram; quam tamen ita describit, quasi faciundo ipse operi præfuisset. Quid dicam de Ecclesiastica historia, in qua mentiri licet sacrilegio proximum sit, scriptores tamen magna ex parte hæretici, non immerito nobis suspecti esse debent de calumnia. Equidem Eusebianam de Constantini gestis historiam ita legere soleo, vt Nazarij, aut Eumenij Panegyricum; neque parcior in Iuliano laudando mihi videtur Ammianus Marcellinus, quam Mamertinus Consul, aut certè in Tiberio suo Velleius. Zozimum vero si quis roget quid in assidua Christianorum Imperatorum vituperatione secutus sit, aliam, opinor, instituti sui rationem reddet quam aut in dialogis Lucianus, aut Iulianus in Cæsaribus?

Historicorum nostræ ætatis leuior est auctoritas.

Atque vtinam in solis antiquiorum monumentis expressa legeremus eius vanitatis vestigia, neque tam turpis iudiciorum corruptela nostrum etiam sæculum inuasisset! vtinam in ea quam institui veritate comprobanda plus mihi laborandum esset, neque id quod habuimus ipsi in manibus, quod oculis penè vsurpauimus, vobis

in testimonium afferre possim? Ante annos enim plus minus octo in viuis esse desiit is, qui regiis stipendiis alebatur ad historiam Henrici Magni conscribendam. Nihil isto loco exprobrandi causa, sed cōmonendi gratia dicam. Optimos & religiosissimos viros audiui qui dicerent, se præliis, & vrbium expugnationibus interfuisse, quæ longè secus quam euenissent, ab historico narrabantur. Nominabant, quin etiam duces nonnullos quibus victoriæ laudem assignat historicus, quos omnium cōsensu illo die, neque locum illum, neque arma vidisse constaret. Dicas scriptorem illum non priuatis tantum pecuniis redemptum, sed regio etiam stipendio ad tentandam omnium patientiam fuisse conductum. Nuper autem cum furore & hæresi armatam rebellionem iustissimis armis coërceret Ludouicus noster Principum maximus, & factis ostenderet, quid summa pietas cum summa fortitudine coniuncta posset; quæro à vobis vllusne vestrum certo norit quid ad Montem Albanum, ad Pessulanum quid toto illo Vasconum & Pictonum tractu fortiter, & gloriosè, quid contra ignauiter & perfidè gestum sit? Admouebantur ad vrbes castra regia, in ipso Galliæ sinu sublatis vexillis, ardentibus animis contra perfidiam iustitia dimicabat: stabat Rex adolescens in procinctu quotidie, quasi in aliquo virtutis & gloriæ theatro, palmas & triumphos non tantum causæ bonitati, sed etiam glorioso Regis amātissimi tyrocinio votis publicis cupiebamus; suspensi erant omnium animi expectatione victoriæ: iam litteræ, iam nuntij, iam veredi à castris, iam submissi ab vrbibus exploratores, qui

quid eo loci fieret curiosè indagarent, ciuibusque suis fideliter rescriberent. Quid deinde? quid expectatis aliud, Auditores, quam exploratissimam non factorum modo, non dictorum sed ipsarum etiam cogitationum cognitionem? At ego sanctè & verè affirmo toto illo tempore plus nos desiderio credidisse, aut timori, quam rebus: plus fidei, famæ, quam veritati dedisse. Tollite illa spectabilia, vt expugnationē oppidorum atque castrorum, vt æquata solo mœnia, vt pactas cum hoste inducias, quæ nemo homo facta ignorare possit: cætera quædam minus splendida, digna tamen historiæ luce, quæ satis constanti rumore aures nostras peruagata sunt, dico vana pleraque, alia obscura, omnia incerta fuisse. O incredibilem hominum stupiditatem! ô intolerabilem gloriæ in tantis facinoribus iacturam! In castris, in ipsis aggeribus nesciit miles quid in Regis, quid in Comitis stabuli, quid in alterius ducis statione ageretur. Tendebat vnus ad meridionalem vrbis portam, alter ad occidentalem, & quasi totis disiuncti essent prouinciis, quid hic vinceret, quid amitteret ille, nesciebant. In hac rerum obscuritate quæ totæ sunt opinabiles, Polybium mihi, aut Tacitum, aut Comminæum constitue: quam multis illi diuinationibus, quam crebris coniecturis non quid factum sit, sed quid fieri debuerit, aut potuerit, more poëtico repræsentare cogentur?

De Mercurij Gallici fide iudicium.

Scio equidem currere per vulgi manus quendam Mercurium, qui Europam annis singulis peragrat, & si quid noui euenit, nostro nobis sermone declarat. Sed & Mercurio fabulari, & via-

tori licet impune mentiri. Certè rogatus à me aliquando maiorum gentium aulicus, nobis omnibus notus, cuius potiſſimæ in motibus ciuilibus partes erant, quantum fidei ſpecioſæ illi ſaturæ deberemus: quod, inquit, ad res noſtras attinet quas ipſe aut geſſi, aut oculis ſpectaui, epiſtolas germanas habet & veras: in multis aliis & fallit, & fallitur. En quicum in tenebris mices! quem perplexæ atque difficilis viæ ducẽ eligas! Videre mihi videor ſexcentis, ab hinc aut mille annis virum aliquem peritum & eloquentem animum ad ſcribendam huiuſce temporis hiſtoriam appellere, & excuſſis amicorum bibliothecis in obſcuriore cuiuſdam forulo, puluere ſituque obrutum nanciſci librum cui titulus ſit Mercurius Gallicus anni 1623. hic & tum hominem lætitiis omnibus geſtientem εὕρηκα exclamare, ſuſtollere oculos, librum oſculari. O me beatum! ô gemmam antiquitatis! ô theatrum hiſtoriæ! videſis, illorum temporum ſcriptor eſt, non audita narrat, ſed viſa. O litteras! ô narrationes! noſtro illum ſæculo putem impoſuiſſe ſecurum ſui? tot reuinci potuit teſtibus quot tum homines viuebant in terris, & tam nauiter impudens ætate non imperita, non ſimplici eſſe potuerit, vt vel latum vnguem à veritate diſcederet? ô felicem Mercurium! magno ambitu flagitatur à doctis diurna libri vſura; ægrè conceditur in horam, gratulantur omnes de lucro. Quid plura? nobilis hiſtoria Mercurij relationibus tanquam ſacro Stilbonis igne illuſtratur: in orationis ſeriem Mercurij digreſſiones, pœnè dixi errores inſeruntur, quaſi gemmæ in annuli pala: nihil certum habetur niſi

quod dixit Mercurius: nemini venit in mentem contra mentem loqui potuisse Mercurium. O historiam omni exceptione maiorem! ô homines! ô tempora quibus eximium illud veritatis oraculum Dei prouidentia reseruauit! Ridemus, Audit. errorem in quem posteros inducimus, & maiorum fraudes quibus nos ipsi pari modo ludificarunt, non sentimus.

Sacrae diuerso historia puram continet veritatem quia à Deo inspirata est.

Sed multa satis vt opinor superque dicta sunt de externis scriptoribus: de auctoritatis humanę infirmitate nimis fortasse multa. Abripit iam & quodammodo absorbet orationem meam historiæ sacræ nulli vnquam mortalium satis adorata maiestas. O viri magna veritas, & præualet. Eam igitur in scripturis diuinis integram, incorruptamque repeririri duplici ratione cõficio, & quod à Spiritu sancto veritatis omnis, scientiæque fonte purissimo syllabatim dictatæ sint, & quod à fidelissimis amanuensibus, virisque sanctissimis exceptæ, celeberrimo gentium omnium cõsensu admissæ, dignitatem suam hactenus cõseruarint. Quæ duo dum efficio breuius quam res tantę dici possint, peto à vobis, Viri ornatissimi, vt conceptam ex profanorum vitiis molestiam suscepta mecum sacrarum litterarũ recordatione abstergatis? Atque imprimis horret animus, & refugit meminisse, repertos aliquando homines: (si homines dicendi sunt qui in humanis corporibus belluarum more sentiũt) qui Spiritum sanctum aut non probè scire quæ fierent, aut quæ sciret non enunciare fideliter, ore sacrilego pronunciarent. Enimuero si illi diuinitatem abrogare voluerunt, & in rerum creatarum ordinẽ redigere,

indiuiduæ Triadi fecerūt iniuriam. si cum Deum faterentur, aut ignorare aliquid, aut temerè & falso loqui posse putabant, nefariam ipsi diuinitati contumeliam intorserunt. Quotus enim quisque cum Deum cogitat, sibi non informat mentem quandam æternam atque prouidentem, auctorem naturæ mortalis, ipsam tamen à concretione mortali separatam, actu sempiterno omnia mouentem, omnia sentientem: sua luce instructam, cu tenebræ nihil furentur: sua præditam intelligentia, cui temporum vices nihil eripiant: sua perpetuitate constantem, in qua neque desideretur futurum, nec præteritum euanescat. Huic naturæ qui ignotum aliquid posse esse contendat, is oportet aut à se Deum concipi non meminerit, aut hominem esse se nesciat. Iam verò mentem illam plenè atque perf.ctè omnia intelligentem, existimare suppressa re ipsa aliud aliquid alteri effari, mutare quæ circunstant pleraque, narrare fabellas, quæ placeant: quid autem tamdiu circum rodo quod deuorandum est? primam veritatem, cui tam est contrarium fallere posse quam falli, Deum ipsum fingere, mentiri, decipere, quid aliud est quam eum cum abiectissimis & leuissimis homulis c[illegible]are? Itaque cum nemo iam homo im[illegible]tum quicquam de diuinitatis amplitudine cogitare possit: nemo Christianus tertiam Trinitatis personam à diuinitate extorrem facere audeat; quis dubitet codices ab intellectu diuino conceptos, è cœlo missos, in quibus humani nihil sit præter chartam, & atramentum, vnicum eumque amplissimum veritatis esse thesaurum? Hæc opinio ab

omni sæculorum memoria in Iudæorum mentibus tam altas egit radices, vt cum præter alia rituum sanctissimorum mysteria depositū istud à Deo accepissent nō studiosius aras&focos,quam sacra volumina; non religiosius Templum Salomonis, quam Mosis Pentateuchum; non ardentius vitam, quam legem conseruarint. Venit postea in præclaræ illius custodiæ partem populus Christianus, hoc est omnium gentium atque nationum consentiens in Christi doctrinam fides ex iisdem haustam codicibus, quorum sancta, & nullis humanarum cogitationum maculis corrupta auctoritas vsque ad occasum , interitumq; mundi, conseruante Deo in Ecclesia perennabit. Sed quid ago ? animum incitatum ad supremæ veritatis commendationem non sustineo, qui cō-cepta iam inde ab initio dicendi promissa ita præterire debui, vt tamen intuens,respectansque relinquerem. In vos ego culpam hanc confero, Audit.nam dum vos mihi Theologorum sapientiam præsentia vestra;amicorum audientiam,nutu atque oculis;Christianæ Philosophiæ apicem, nec tacita,nec occulta assensione præstatis;quasi apud Christianos dico, & Theologos , qui dicta mea, tanquam in profana curia Iulianis & Porphyriis probaturum me promisi.

Itaque ne ab instituto digrediar,nolo diuinam Spiritui sancto attribui naturam: illum ego falso nostrarum literarum auctorem appellaui:eiusce-modi volumina hominibus restituo, à quibus illa vestro consensu abiudicatā : concedo cætera de quibus inter nos controuersamur. Sed vicissim dum hæc causæ meæ firmamēta reiicio, volo dari

Scripta est à prophetis & viris sanctissimis.

mihi scriptores illius historiæ viros fuisse notæ sanctitudinis qui Deum hominesque dum viuerent piè semper, augusteque coluerint. Quanquam ne istud quidem aduersariis debere volo, sed causæ meæ bonitati, sed rationi, sed veritati. Nam si quid in rebus humanis certum atque definitum dici potest, id certè est, canonicæ vt appellamus, scripturæ auctores, vates & futurorum præscios extitisse. Cum enim tot ante sæculis ab eis prænunciata legamus quæ suis temporibus ad verbum in Christo perfecta, aut in eius asseclis nunc etiam impleri oculis ipsi nostris vsurpamus: nemo sapiens, vt opinor, negabit eos sine humanis disciplinis præoccupatam quandam futurorum notionem habuisse. Vanum quidem sit & importunæ plenum arrogantiæ si dicam cum Iudæo Platone, prophetarum istorum maiorem fuisse dignitatem quam vt se miscerent humanæ Reip. & mundi ciues essent: sed sublimiores omnibus rebus quæ sensu percipiuntur, migrasse in mundum qui sola mente potest intelligi, vbi domicilium sortiti, adscripti sunt Reipublicæ specierum corporis expertium & nulla ex parte corruptioni subditarum. Sed neque patiar infra humanam naturam detrusos pro Magis & dæmonũ mancipiis haberi. Nam etsi rebelles Spiritus posteaquam superbissima perfidia eximias diuinæ gratiæ dotes decoxerunt, naturæ suæ amplitudinem non amiserunt, atque ea haud paulo quam humana capacior est: id tamen habet cum illa commune quod eius scientia præteritis tantum præsentibusque continetur. Quare neque homines quantacunque sint ingeniorum celeritate

præditi

prædjti, neque dæmones cum tota illa sua incredibili sagacitate, quicquam etiam leuissimum quod in arbitrij nostri potestate sit positum, futurum postea certo præsentire possunt, hæc est Dei solius Opt. Max. cognitio, qui vt in futurorum productione causis inferioribus potentiam suam commodare debet vt existant præsentia, sic in æterna cognitione præscientiam illis suam applicare debuit, vt essent futura. Itaque cum aliquem videmus futurum enuntiare non temeraria quadam præsagitione, non furore atque amentia; non solerti prudentiæ coniectura, sed constanti atque moderata animi anticipatione, vel Deum in humana specie loqui, vel hominem diuino instinctu & afflatu concitari fateamur necesse est. Ea re potius quàm miraculis àpud plerosque Christus Dominus magiæ suspicionem ab se se amouit, & fidem diuinitatis suæ fecit. *Quia vidimus*, inquit Lactantius, *in eo facta esse omnia quæ nobis vaticinio Prophetarum annunciata sunt, quod neque Apollonio, neque Apuleio, neque cuiquam magorum potuit, aut potest aliquando contingere. Prophetæ fuerunt ante Christi carnem*, clamat Augustinus, *nondum erat homo Christus quando misit Prophetas, quisquis eum dicit magum fuisse: si ergo magicis artibus fecit vt coleretur & mortuus, nunquid magus erat antequam natus?* Quod cum ita sit putamusne tam beatos homines vt Dei afflatum suscipiant, tam sapientes vt susceptum aliis enuncient, tam fideles vt enunciatum vsque ad eius gestionem & vltra posterorum vtilitatibus conseruent, facinorosos posse esse & improbos? Quid? Dei hospitium vitiorum maculis turpe sit

& impurum? in eodem hominis animo & Dei sermo commoretur, & nefaria libido velut lutulentus sus volutetur? non eligat sibi pectus instinctus Dei, sed temerè in superbos mitis, in turbulentos quietus, in inuidos benignus, in voluptarios sanctus incurrat? Et quoniam præclarè dictum est à sapientibus, vitæ vniuscuiusque nostrum speculum esse orationem, neque alia vulgo solere loqui homines quàm quæ sentiant, sentire autem ea in quæ insita propensione ferantur; studeo ex aduersariis scire quid vnquam scriptores nostri à virtute, à ratione, ab æterna lege alienum effutierint? quæ scelerum vestigia in libris impressa reliquerint? Qui paginis omnibus superbos, auaros, libidinosos execrantur: qui genuinum frangunt in crudelibus & sanguinariis: qui literis pene omnibus leuioribusque interpunctionibus, tanquam obelis, sacrilegos simulachrorum cultores configunt; qui Dei vnius cultum, qui animi demissionem, aduersæ fortunæ tolerantiam, alienæ leuamentum, rerum humanarum contemptionem, omnibus versibus inculcant, nõ optimi dici possunt, & existimari? Quid? ea peccata quibus historias suas infecerunt profani, quis in istis vel leuiter adumbrata esse criminabitur? Dederunt, credo, Regum suorum gratiæ, & charitati patriæ illas Saulis, Achabi, Manassis Sedechiæ, Ieroboam non historias sed tragœdias; non actiones, sed calamitates; non narrationes, sed criminationes. Aut lectorum velificati deliciis anicularum fabellas infercierunt, quasi rimas explerent, qui casus quidem nonnullos naturæ ordinem superantes narrarunt à Deo profe-

Scriptores sacri nihil vnquam rationi contrariũ scripserunt.

In iis peccata profanorum non reperiuntur.

ctos, nullum qui corrumperet aut dissolueret. Non est mihi credite, fabularum præstigiis, & verborum captionibus nata illa casta & verecunda, illa plena grauitatis, & simplicitatis oratio, quæ sic omnia persequitur vt nihil redundet: ita pressa est, & temperata vt nihil omittat necessariũ: tam porro sancta & prudens vt se videri malit hominum mentibus, quàm sensibus accommodatam.

Iucundissima historia sacra veritas.

Quæ quidem non ideo dicta velim vt quæ duæ res ad historiæ iucunditatem plurimum possunt, materiæ subiectę benignitas, & orationis vbertas atque suauitudo, eas in sacris codicibus desiderari putetis. Sic enim existimo, sic mihi persuadeo, è libris omnibus qui nostris manibus teruntur innumerabiles, nullum reperiri in quo eloquentia, & illa flexanima, & omnium regina oratio sit suis numeris absolutior. Ipsa autem narrationum segete, quid est aut varietate vberius, aut maiestate grandius, aut specie ornatius? Philosophari cupis, & illa rerum naturalium principia infinitis Philosophorum disputationibus ventilata cognoscere? Ea sacræ historiæ fundamenta sunt ineunte Genesi perspicuè conscripta, atq; simpliciter enodata. Mauis terrarum situs, vrbium positiones, fluminum decursus, quasi in tabula videre: Sequere peregrinantem Abrahamum, laborantem Iacobum, transmittentem cum populo suo Mosem, Iosue eidem populo possessiones viritim distribuentem, Manassen & Sedeciam ignominiosè deportatos, Zorobabelẽ postliminio patrię restitutum, Tobiam perductum reductumq; feliciter. Armorum sonitu, & tubarum clangoribus excitaris? Stat in assiduo procinctu contrà

importunissimos hostes armata Machabæorum gens, omnibus Fabiis & Deciis gloriosior: quæ sæpè Deum imperatorem experta est, Angelos autem sub signis habuit pro sociis atque auxiliis. Hosticum ingreditur cum instructissimis copiis Iesus Naue, & promissam à Deo terram peragrat non passibus, sed victoriis, non pugnis sed triumphis. Quid illa nobilis Iudicum dictatura difficillimis temporibus ad Hebræorum salutem administrata? quid salutares Saülis atque Dauidis in vicinos circunquaq; Palęstinos excursiones? quid sparsa per Regum historiam prælia; in quibus debellata improbitate, pietatem sæpius triumphare gratularis? Viros loquor & exercitus. Nam admiratione obstupefactus omitto dicere de Iahele fœminarum fortissima, de Iuditha viduarum fidentissima, de Hestere Reginarum felicissima, de Machabæa matrum generosissima. Hic ego totam antiquitatem prouoco, vt apponat si quid habet iucundius aut illa Isaaci iam iam mactandi cùm suppositicio ariete commutatione; aut Iosephi & fratrum agnitione dulcissima, aut inseparata vtriusque Tobiæ felicitate. Sunt qui non minus in legenda historia, quàm spectandis histrionibus flere ament, & horrorem in rebus tragicis summa cum animi voluptate concipiant. Audiam lubens, quales ij futuri sint cum eluuionem illam legent quæ vninersitatem generis humani absorpsit & exhausit: Cum Iobum ex Rege opulento merum humanæ societatis carcinoma in sterquilinium videbunt abiectum, vxoris iniuriis, amicorum criminationibus, dæmonum crudelitati mancipatum. Cum spectabunt Pharao-

nem (Deus ſanᴄte! hominis nomen hoc eſt, an impietatis?) poſt terribilem plagarum decem admonitionem, poſt denſiſſimas tenebras ſpeᴄtrorum imaginibus exaggeratas, poſt ignis ſimul atque grandinis portentoſum imbrem, poſt filiorum natu maximorum vna noᴄte, vno impetu, tota Ægypto luᴄtuoſiſſimam internecionem, luᴄtari tamen adhuc, & congredi cum Deo velle: in profundos interim maris Erythræi gurgites cùm expeditiſſima equitum manu abripi ſempiterno corporis, animique naufragio. Cum infamem præpoſteris libidinibus Pentapolim ardore ſulphureo, igne cœlitus emiſſo deflagrare animaduertent: cum Regis Moabitici filium dignum patre meliori adoleſcentem, ante quatuor Regum oculos produᴄtum cernent, ibique Meſam ex Rege popam, ex patre viᴄtimarium, ex ciue parricidam, ex homine belluam, ad omne facinus proieᴄtas manus, filij ſanguine cruentare, & natum regno, iuuenem pro tuendo regno trucidare! Omitto Samſonis glorioſiſſimam ſeruitutem, Abimelechi parricidia, mortem Athaliæ, cæcitatem Sedechiæ, ſæuitiam Iehu, & ſexcenta eiuſmodi: neque hæc enucleare neceſſe erat aliud agentibus. Eo reuocor vnde digreſſa eſt oratio; vt cùm in decurſu dicendi oſtenderim adeptos eſſe ſcriptores noſtros omnes hiſtoriæ veneres: negem tamen ſubieᴄtos fuiſſe iis vitiis, quibus cæteri commentarios ſuos obſcurarunt.

Rerum veritas ignota ſacris hiſtoricis non fuit.

Nam quod de ignoratione obiici poteſt, quæ nemini vni grauis eſſe debet, cum vniuerſis imputetur: indaget ipſa quantumlibet inuidia omnes ſuſpicionum latebras, rimeturq; ecqua labis

eius vestigia in iis scriptoribus deprehendi possint quique literis mandarunt, aut egerunt ipsi, aut agi viderunt? Excipio paucissimos, vt Mosem scriptorũ omnium qui ad nos peruenerunt principem, qui cùm ipsa mundi nascentis incunabula retractaret, omni necessitate debuit anteacta sæcula propheticè replicare. Vt Lucam, & Marcum qui ab oculatis testibus acceperunt: quorum fides eo debet esse sanctior, quod ne litterula quidem Matthæo & Ioanni perpetuis Christi assectatoribus repugnant. Reclamat hoc loco Iulianus, contradicit Porphyrius, & per sanè frigida atque ieiuna calumnia, pauculos obiiciunt locos qui aliter ab aliis Euangelicæ veritatis præconibus concepti videantur. Religiosior, si Deo placet, Faustus Manichæorum Antesignanus offendi se queritur duorum maximè Euangelistarum dissensione, & eorum infinitam, sibiq; interminabilem litem prætermittere profitetur. Sed audax sim & ridiculus, si in arenam hanc aduersus hostes tam importunos descendere appeto, quam iam inde à primis temporibus Augustinus, quam Hieronymus, quam similes multarum palmarum athletæ, hac etiam victoria consecrarunt. Demonstrabant illi scilicet liuore & ignorantia cæcatam esse aduersariorum aciem, qui aut fateri nollent, aut agnoscere quæ ab vno essent omissa, ab alio referri; quæ vnus transiret leuiter, ac tantummodo perstringeret, explicari ab alio copiosius, dicere autem aliis contraria, neminem. Erubescat hîc iterum, si quid habet boni sanguinis debellata iamdiu inuidentia, sacro se stylo quotidie iugulari sentiat error, & imperitia: triumphet

Magno consensu idem omnes enunciant.

in ætatum omnium laude & memoria ſyncera & incorrupta veritas, quæ in tanta hiſtoricorum ſacrorum copia, in tam multiplici rerum geſtarum diuerſitate, cùm aliæ obſitæ antiquitatis obſcuritate forent inuolutæ, aliæ portentoſum aliquid, & iudiciorum noſtrorum infirmitati non ſatis credibile præ ſe ferrent, aliæ à profanis auctoribus ſecus narrarentur, quamplurimæ penitus ignorarentur, neminem vnum eſſe permiſit qui narratiuncula vna, qui ſententia, qui apice ab alio diſcreparet. Hæc omnia ſi non dictaſſet vnus atque idem Spiritus, librarij illi ſic conſentirent, cùm in exteris hominibus, vix duos reperire ſit qui eandem hiſtoriam eadē ratione perſcribant?

Admirabilis in ſacra ſcriptura interpretatione Septuaginta virorum conſenſus.

Quanquam quid miramur eam fuiſſe auctorum in hiſtoria ſcribenda conſenſionem, cùm in interpretanda ſingularis fuerit, ac verè diuina? Proh Deus immortalis! fuit-ne in illa vnquam ſæculorum memoria factum vllum, aut præſtantius ad Scripturæ ſacræ amplitudinem, aut ſanctius ad Interpretum ipſorum venerationem, aut illuſtrius ad hiſtoriæ commendationem? Selecti ex vniuerſa natione duo & ſeptuaginta viri religione, doctrina, ætate grauiſſimi, ſic vtriuſque linguæ periti vt perfacile poſſent, ſic in patriam religionem animati vt vellent fideliter, ſic tamen animo, ſenſuque diuerſi, vt pro ſua quiſque opinione ſacros codices è natiua in peregrinam linguam transferre cuperent: includuntur ſeparatis ſinguli domiciliis in iiſque cum muſis ſuis omnibus habent rationem. Videte quæ cuſtodia tenues aditus obſeruet, ne quis externus ad eos aſpirare poſſit? quàm ſerio, quàm diligenter ca-

ueant satellites ne suas inuicem lucubrationes conferant? Erras Ptolemæe, & vehementer erras, si quid vnum à tam multis, simile à diuersis, consentaneum à discrepantibus ingeniis expectas. Côuocentur in vnam potius omnes aulam, symbolam conferre iubeantur singuli, quàm benè hic, quanto melius ille sentiat examinetur à pluribus: etiam tum discessio erit facienda, & vix vnquam ad eam loci vnius explicationem venietur, in qua communis consensus neminem habeat repugnantem. Atque prius illud consilium, quoniam ab vsitata rerum gerendarum ratione plurimum discrepat, neque illa sapientiæ corcula vllius perperam facti vel per suspicionem insimulare possumus; disiuncti absque dubio sunt ab inuicem, vt cùm singuli pensum translationis suæ confecerint, collatis simul omnibus, aut eligatur reliquarum optima, aut è singularum perfectionibus vna aliqua absolutissima componatur. Itaque, quod benè vertat, opere confecto, re bene gesta, alieni successus ignari, sui amantes, ex illis educti musæis Alexandriam reducuntur, vbi coram Rege, & selecta Ægyptiæ sapientiæ medulla messem diuturni laboris explicant.

Singuli locis separati, eandem omnes explicationẽ ediderunt.

Credes-ne Iuliane id quod vidit Ptolemæus? tibi persuadebimus Porphyri quod Demetrius, quod Menedemus præsens est admiratus? Aduoco vos in hunc consessum omnes quorum aures sic occupauit peruicacia, vt in ęquabili sacrę Scripturæ harmonia dissonantiam reperiri vobis penitus sit persuasum: quod dicturus sum, non Ethnicis Christiani, non hæreticis Catholici, non Ecclesiæ doctores rudibus & impolitis; sed illorum

temporum Reges, Sacerdotes, populi, omnibus retulerunt. Tam mirabilem, videlicet, ac stupendum, planeque diuinum in eorum verbis fuisse consensum, *vt cum ad hoc opus separatim singuli sederint, in nullo verbo quod idem significaret & tantundem valeret, vel in verborum ordine alter ab altero discreparet; sed tãquam si vnus esset interpres, ita quod omnes interpretati sunt vnum erat: quoniam reuera erat Spiritus vnus in omnibus. Et ideo tã mirabile Dei munus acceperant, vt illarum scripturarũ, nõ tanquam humanarum, sed sicut erat, tanquam diuinarum etiam isto modo commẽdaretur auctoritas, credituris quandoque gentibus profutura.* Habetis factum verbis Augustini relatum, reliquorum sententia; cui singularis eruditionis atque prudentiæ scriptores quamplurimos assentiri video, abiisse in aliam partem paucissimos. Id narrat Iustinus purpuratus Martyrio Philosophus Consentit Irenæus Antistes doctrinæ & sanctitatis antiquæ. Testatur idem apertè Cyrillus Hierosolymitanus vir instituendis rudibus singulari Dei beneficio concessus. Hoc profitetur Epiphanius, qualis vir & quantus? Hoc Iustinianus Imperator, id est, grauissimorum virorum Senatus compilando iuri Romano præpositus. Quid hic Clementem Alexandrinum, quid Ruffinũ, quid Philonem Iudæum commemorem? quid innumerabiles alios? quorum omnium consentiens in hunc consensum oratio, non scripturæ auctoritatem, sed ipsorum dicto fidem conciliat. Susceperunt igitur illam prouinciam permittente Iudæa, plaudente Ægypto, & velut vetera sibi spolia ab Israëlitis restitui gratulante: spectante au-

tem & ad operis euentum erecta tota Græcia; tot voluminum in peregrinam linguam conuersionem elucubrati sunt iuuenes fortasse aliqui, quorum sermo, vt natura, effert se se iucundius atque vberius: Senes qui politiore iudicij lima & crudeli stylo superflua omnia resecant: docti, qui cum suum singuli iudicium venditare consueuerint, alieno cedere indignum putant atque inglorium: Iudæi qui dignitatem gentis vniuersæ in Regum suorum exaggerata commendatione ponere debuerunt, linguam explicare aggressi sunt sensibus quam verbis vberiorem, cuius vna vocula, puncti vnus inclinatione leuissima, salua interpretum fide multos, eosq; maximè diuersos sensus efficere possunt: illos autem accentus & apices, doctrinæ vniuscuiusque est diuinare, prudentiæ eligere. Et post eorum quidem inuentionem Masoretharum Rabbinorum subtilitate, tutior fuit interpretatio, & adstrictior lingua. Verum antea cum liber esset campus in quo doctorum industria decurreret, Theodotion, Aquila, Symmachus tres viri, tres è suo sensu explicationes deprompserunt: Philo maximam historiæ sacræ partem, Iosephus totam persecutus est: sed & hic adiectione, aut commutatione, & ille allegorica interpretatione veram, natiuamque sententiam corruperunt. Et septuaginta homines natura dissimiles, iudicio impares, doctrina inæquales, dissipati, solitarij, interdicta studiorum communione, interclusa locorum obscuriorum disceptatione, vnum sentiunt, vnum scribunt, vnum eloquuntur. Hoc si antea suasit Demetrius, si petiit Ptolomæus, si Eleazarus impera-

uit, si promiserunt interpretes ipsi, profecto insanierunt. Proh Deus immortalis! vtrum ego ipse desipio, & apud tam eruditas aures, fabulas canto, an historiam omni fide cōprobatam enarro? Id scriptum reliquit Clemens ille Alexandriæ natus & educatus, qui & ab eo euentu interpretationem hanc quasi Græcam prophetiam appellare non veretur. Vidit ad Pharum reliqua adhuc domiciliorum vestigia Iustinus philosophus: annuam celebritatem in huiusce rei monumentum institutam celebrauit cum Alexandrinis Philo Iudæus: hæc exemplaria diutissimè apud Serapeum recondita habuit Alexandria, non Christo gratificata, qui nondum natus erat: non Iudæis obsequens, quos omnibus domitos cladibus pro despicatissimis habebat: non auitæ Ægyptiorum superstitioni velificata, quam Sacri libri paginis omnibus conuellunt atque confodiunt. Itaque ferrum hic recipe Iuliane vel inuitus, qui hunc ictum nulla declinatione vnquam effugies. Tam enim noua, tam inusitata, tam peruagata scriptorum cōsensio si intra humanitatem stetit, solæ nostræ litteræ talem habent prærogatiuam veritatis: si autem quid experta diuinum est, vt Menedemus confirmauit, euicimus profecto ab ipsa veritate esse deductas.

O eximium atque incredibile Christianæ religionis robur ac firmamentum! ô diuinam literarum nostrarum sanctitatem! quæ non tantum benè viuendi præceptis nihil à ratione discrepans, nihil cum natura cōiunctum non tradunt: verum etiam ea in quibus falsitas nihil admodum incommodaret, religiosissimè proferunt. Finga-

mus enim commentitiam esse nobilem illam castigati Pharaonis tragœdiam, Hebræorum autem filios sponte sua, propensissima Regis voluntate ab Ægypto digressos nouas in Palæstina sedes armis & viribus quæsisse, vt olim Græci se in Galliam infuderunt, in Græciam Galli: minus-ne in hominum natura erunt insitæ leges eæ quibus illorum Respub. summa cum dignitate floruisse narratur? Cogitemus Danielem regium iuuenem Iordanis oras nunquam prætergressum, cætera omnia gesta cum Babyloniis, Medisque Regibus ementiri; quis propterea regnorum mutationes, Christi ducis impetium, celebres illas Hebdomadas in dubium reuocabit? Nunquam Saül Dauidē iniustis armis sit persecutus, ne Dauid ipse quidem in arenam cum Philistæo gladiatore descenderit: ideo-ne continuo quicquam in eius psalmis dissonum, in oraculis fabulosum, in regni administratione iniquum reperietur? Fateor, inquies, hæc inter se apta, & connexa non videri: verum si aliqua parte vel leuissima, fides historiæ sacræ nutat, totam scripturam claudicare, & vacillare necesse est. Præclarè sanè, & pro ea quam suscepi, causa, iustè pronuncias. Nam qui semel mendacij conuictus fuerit, quod profanis scriptoribus sæpenumero contigisse sole clarius demonstratum est, illum cæteris in rebus teneri quis non videt? Qui vero nulla falsitatis suspicione vllum scriptorum suorum apicem insperserit, eius vel inuidia teste auctoritas atque existimatio diuina esse debet & immortalis. Quid? leuitatis notam Deo librorum nostrorum artifici, vatibus sanctissimis eius librariis inuras?

Qui præter vnum Dei cultum nihil ſpectant, quem deſcribendis piorum prēmiis, improborum ſuppliciis perſuadent: qui cum cæli quaſi domicilij ſui aſpectu fruuntur, amore hominum & odio, terrenis vinculis teneri ſe nō patiuntur: qui ex eodem fonte & perfectiſſimam præteritorum recordationem, & certiſſimam futurorum præſenſionem hauriunt: quorum denique in ſcribendo conſenſus, tantam in ipſis interpretibus concordiam peperit, vt antiquitas vniuerſa nihil diuinius poſſit producere, eos humana lingua, non ipſius diuinitatis afflatu locutos exiſtimes? Permittite me hic, Audit. iterum, ac ſæpius admirari ſapientiſſimi numinis prouidentiam, cui viſum eſt religionis noſtræ myſteria, amantibus: tam mundo pōculo propinare, vt quicquid inde haurias, purum, liquidumque te haurire cōfidas. Id ſentiebat Chriſtiani Senatus Princeps, qui cum ſuſceptum à Seruatore noſtro ad punctum temporis ſplendorem, maieſtatemque quam ipſe prēſens oculis vſupauerat, cuius magnitudine præſtrictus, ac pene obrutus fuerat, cuius aliquos è ſociis teſtes & participes producere poterat, enarraret: ſtatim, quaſi in priuati hominis (ſi tamen vir talis ac tantus, priuatus cenſeri poteſt) auctoritate parum eſſe ponderis ſignificaret, adiecit, non illi potius narrationi, licet omni fide conteſtatæ credendum eſſe, quam prophetarum oraculis quæ vitæ humanæ caliginem admirabili luce peruincunt. Itaque ſi in pernicioſo errore verſari, ſi in pulcherrimarum rerum ignorantia iacere non vultis, neceſſe eſt Audit. à profanis illis ſcriptoribus quorum lutulenta ſemper eſt oratio,

ad nostros codices curam, cogitationemque traducatis. Placeāt illi fabellarum suauitudine quas veris narrationibus adtexunt, quemadmodum animam fœdissimæ pecudi dedit natura pro sale, ne putisceret: nos magna, ac seria semper agimus & docemur. Verborum pompam & totum eloquentiæ apparatum circulatores explicent, nos in aliena veste fidem nostram non quærimus: simplex, & nuda, & vt veritatem decet, natiuo colore delectat. Palpentur alij potentibus, & turpi assentatione Principum suorum gratiam aucupentur, vitia foueant: nobis offertur religio virtutis planè habitu seuerior quam blandior, sed viris digna & sapientibus: Illæ denique literæ incautos animos in lubrico constituant, quo loco insistere sine casu difficile est: nostræ plana & stabili via, neque longa ad felicitatem deducunt.



IN SCHOLIS VTILIVS QVAM DOMI IVVENTVTEM ERVDIRI.

ORATIO VI.



NIMADVERTI, Auditores, magnam hoc sæculo, politolicet, & elegante opinionem esse, bonis artibus deditos adolescentes non minus in earũ scientia priuata studiorum cõtentione, quam publica scholarum disciplina progredi. Id cũ ante & fama peruagatum, & in vsu quotidiano positũ esse audiebã: tum mihi quoque ipsi accidit nõ infrequenter, vt in eos qui sibi suisque genus illud studij gratularentur, incurrerẽ. Quibus si rationes eas defuisse dixero quæ vulgi animos probabilitate percuterent, faciam veritati iniuriam, Auditores, cum mihi ab illa vmbratili, &, vt appellare solebam, tenebricosa doctrina satis alieno, tamen extorserint vt assensum à concepta semel sententia cohiberem, & ad partem alteram æstimandam,

Ex Quintiliani l. 1. instit. c. 3.

momentoque suo ponderandam, animum appellerem. Equidem omni hoc vobis asseueratione confirmare possum, Adolescentes, hoc animo me ad cognoscendam causam venisse, vt meminissem & me qui iudicarem hominem esse, & eos qui retulissent: vt si probabilia dicerentur, nihil vltra requirerem; sin vera, studium ipse meum conuerterem & in ea sententia cæteris persuadenda collocarem. Atque hæc res me magis commouebat; quod quanquam plerosq; eorum nossem bene de rebus domesticis cōstitutos, qui ne minimam quidem scientię fraudem turpi illo compendio commutarent; plures tamen hac via rei familiari cuius minimè negligentes sunt, consulturi oppido viderentur. Itaque sic aientem controuersię partem sumpsi in manus, vt eam cuperem esse aptam parentum commodis, filiorum progressioni, Reip. literariæ dignitati. Verum vbi rem totam explicare atque excutere cœpi diligentius, tum denique non opinione solum vt antea, sed ad veritatem planè mihi persuasi tenebris hisce studiorum nihil nisi desidiam, libertatem, inutilem temporis collocationem contineri: si quis doctum se & esse, & haberi velit, ei necessitatem esse in literatorum consortio, in scholarum luce, in gymnasiorum splendore viuendi. Id ego non aliis probare contendo pręterquam vobis, Adolescentes ingenui, quorum in hac disputatione res aliqua vertitur. Nam si ad istorum quos videtis, sapientissimorum hominum arbitrium causa deferatur, prohdij vos, opinor, exclamabitis: quibus quanquam considerati & graues, ij tamen iudices dentur, qui & exemplo suo pręiudicium

iudicium in hac ipsa causa sæpè fecerint, & magnam sua auctoritate animorum inclinationem sint facturi. Nam quæ potest esse, Patres Reuerendi, iustior, quæ minus obscura & incerta sententiæ illius damnatio, quàm tot academias, tot collegia, tot exhedras quotidie vestras, vestrique similium, omni doctrina eruditissimorum hominum vocibus & eloquentia circumsonare? Sed de hoc, alio loco dicam; vos mea nunc omnis spectat oratio, qui tanquam equulei ferocitate exultantes ad freni tactum horrescitis, atque vni euagandi quo feret impetus, licentiæ adhinnitis: vobis meæ opinionis firmamenta cùm exposuero, si falsa videbuntur esse, causæ nihil dico quin cedam cupiditatibus vestris: sin plura detrimenta eruditioni vestræ, dignitati, existimationi quàm adiumenta, per studium illud priuatum importari cognoscetis; nolite illic potius consistere vbi seclusa aquula teneamini, quam vnde vniuersum scientiæ flumen erumpat. Atque vos eo libentius huic quæstioni iudices præesse volui, quos acres & cupidos aduersarios reformidare poteram, quòd & de ea syncerum sanctumque iudicium rei magnitudo vtilitasque flagitat, & plerique ea virtute estis, vt iam effrenatas primæ ætatis perturbationes in rationis gyrum duxeritis, nihilque vobis quàm æquum & bonum persuaderi malitis.

Tria hominum genera Scholas publicas à pueris frequētari nolūt.

Atque vt inde initium dicendi sumam, vnde hæc omnis exorta est disputatio, tria hominum genera reperio, à quibus Academiarum clarissima Lux, & studiorum publica celebritas oppugnatur. Vnum est eorum qui pueritiæ teneritatem in laboribus minimè necessariis confici no-

lunt, vt cum domi primam ætatem liberi posue-rint, priuatæ disciplinæ nutrimentis educati, tum demum animi corporisque firmitatem ac robur, ad publicas Scholarum exercitationes adferant. Alterum est eorum qui posito in Gymnasiis tyrocinio morum corruptelam in posterum verentur; & in eo ætatis flexu prouident diligenter ne vel minimum à paterna domo & familiæ consuetudine discedant. Alia denique tenebricosorum natio ab vtrisque tela mutuatur, quibus illustria collegiorum lumina præstringant: & cum neque pusiones academicis laboribus, neque iam grandes pueri licentiæ morum exponi tuto possint, conficiant Scholis frequentandis nullam satis aptam esse ætatem, præsertim cum æquali mentis contentione, maiori assiduitate, progressu non minore, domi studeatur. His ego aduersariis ita me opponam, vt olim Horatius ille Romanæ libertatis vindex fortissimus, quem narrant interfectis in singulari certamine fratribus, nihilo timidius pugnam sustinuisse, & dispersos dissipatosque hostes tres omnes superasse, contra singulos ferocem, qui esset impar vniuersis. Sic ego nostros hosce obtrectatores cum suis ratiunculis separatim aggrediar, ne me collecti, aut telorum crebritate terreant, aut sua multitudine obruant.

In Scholis publicis sociorum conuictus & exemplum plurimũ prodest.

Atque in primis eorum hominum qui liberos suos penitus à gymnasiis abstrahunt vt improbitati aut stupiditati respondeam, quis si modo rationi dare locum velit, negare potest accuratiores in illis quàm domi esse artes, exercitationesque studiorum? Non dicam hîc quàm diligenter memoria rerum perceptarum custos, scientiæ totius

nostræ thesaurus, in istis exerceatur, quam frequenti cultura & quasi habitu acriorem, firmioremque fieri experimur. Non commemorabo quàm sit assiduus styli, optimi illius dicendi artificis, & penè in horas singulas imperatus vsus. Omittam recensere perplexos, atque implicatos auctorum locos magistrorum industria euolutos: facilè patior hęc doctrinæ adiumenta vtrique hominum generi dici communia: cùm neutri desit & studiorum exactor in ceruicibus impositus, & docentis viua vox. Ea tantum perquàm breuiter perstringam, quæ omnes, & maxima ad doctrinam præsidia, & huius quod hoc loco commendamus studij propria, esse fateantur. Itaque finite me, Auditor. in eo versari commodo, in ea vtilitate habitare, quæ ab sodalium multitudine, ab eiusdem rei æmulatione, ab virium profectusque communione promanat. Etenim vt corpora ipsa corporum aliorum vicinitate atque attactu concalescunt, quæ seorsim ab aliis videmus obrigere: sic animi scientiæ appetentes æqualium numero, æmulorum ardore, plurium exemplo mirum in modum excitantur, impelluntur, inflammantur. Non enim homines vt cæteras animantes edidit natura, vt inculta, & deserta ab omnibus loca persequantur, vbi syluæ, & aër, & solitudo mera: sed communi rationis societate deuinxit, vt ipsi inter se alij aliis prodesse possint. Hanc animorum coniunctionem lucifugi illi sic perfringunt, vt neque aliis sua quicquam opera conferre, neque ab iis dignentur recipere: quorum alterum inuidiæ est, alterum arrogantiæ, vtrumque perfectæ demum cumulatæque dementiæ.

At ex aduerso publicæ disciplinæ alumnus, præter communem naturæ sensum quem ex assiduo cæterorum conuictu haurire potest, id etiam compendij facit, quod tum quæ sibi tum quæ aliis in Schola præcipiuntur, ediscit. Inuenit ille sanè subtiliter, disposuit alius sapienter, hic autem distinctè, abundanter, illuminatè pro ingenij modo de re proposita disseruit, plausum à sociis, laudem à magistro retulerunt. Magna res, ingens illis ad perfringendos difficultatum obices calcar admotum est: Certè: sed hebes & pene inutile si vnum stimulat, penetrabit ad alios videlicet, & si quem tardum repererit, verecundiam iniiciet, vt eum non consequi pudeat, quem audiuisse delectat: sin currenti iam incitatoque inhæserit, docebit saltem non solum cur alter laudatus sit, sed etiam quomodo enitatur vt possit ipse iure laudari. Et quemadmodum rerum omnium copiam vni alicui regioni tribuere natura noluit, vt mutua mercium traditione societatem alij cum aliis iniremus, quo nundinationis quasi fœdere tandem effecerunt homines vt quæ priuata singulis erant, communia fierent vniuersis: ita in isto mercatu studiorum ipsos inuicem adolescentes sibi quæ desunt sumere oportet, & tradere, vt è plurium collatione in singulorum animis vna quædam scientiæ perfectio componatur. Angustis certè terminis vniuscuiusque nostrum ingenia circunscribuntur, & vix vllum quolibet sæculo reperias qui ex se solo sua habeat omnia Laboris igitur alieni compendio necesse est ad partem aliquam doctrinæ veniamus, & doctorum virorum sudore tanquam riuulis hortos nostros irri-

gemus. Id nos prouectiores librorum vsu consequimur, quos clarissima veterum lumina nobis quasi Ariadnæum filum tradiderunt, vt difficile & perplexum disciplinarum iter facile teneremus. Pueris autem qui nuces eiusmodi frangere non possunt vt nucleum edant, quibus lac & pulegium propinandum est, vt conuenientem ætati succum exprimant, æquales sunt pro exemplis, magistri pro libris, exercitatio pro commentatione.

Disciplinæ in animi commentatione posita sine crebra & vehementi disputatione acquiri non possunt.

Quid dicam de Philosophia, quid de Theologia, cæterisque artibus quæ totæ in mentis agitatione & magna ac diligenti contemplatione versantur? quàm lentè & frigidè res, ita non raro tenues vt aciem effugiant, ita intricatæ vt enodari vix possint, ingeniis sæpè non acutissimis citra disputationem nuda & continenti oratione traduntur? Vbi verò minutas illas districtiores, id est, vt ego interpretor, subtiles rimas, & arguta effugia reperiet? Disputabit ipse secum, inquiunt, & animo contraria suggerenti, rationum momentis satisfaciet. Audio. ipse sibi magister, ipse discipulus fiet: interrogabit se, respondebit sibi, idem vterque athleta, idem victus & victor: fortasse etiam aliquem animo finget aduersarium, & cum laruis luctabitur: prorsus vt si quis ex occulto testis eam concertationem aucupetur, ei homo furere & insanire in solitudine videatur. Verum quanto commodius in Schola, quanto acutius & audacius disputetur, sciunt vicina nobis illorum mysteriorum adyta, quorum ipsi etiam profectò lapides sapere quodammodo, & rerum difficilium explicationem personare vi-

dentur. Nam si, vt est in fabulis, Apollinis Lyra eam Insulam cui adhæsit, sonantiorem reddidit vniuersam: aut vt rerum periti affirmant luscinio læ Thraciæ quæ ad Orphei sepulchrum canunt, innata quadam vel solo ipsi dulcitudine suauius modulantur: quis non videat in Philosophicis illis parietibus latere nescio quem disputationis genium qui subito feruore, an furore? accedentes impleat; ideo vt isti ipsi adolescentes qui modestum illud αὐτὸς ἔφα, seu quid à preceptoribus audiendo, seu ab auctoribus legendo didicerunt, candidi, creduli, simplices vsurpare studiis in rhetoricis solent, simul ac Philosopha ista aura sunt afflati, cum vix pedem in Logices limine posuerunt, perpetui disputatores euadant. Et quidem domestico doctore diuidente illa, atque distinguente quemadmodum dicantur, ille claudus (quomodo aiunt) pilam retinet, quod accepit garrit: at ab istis subtiliter in disputatione limatur veritas, quæ rationum quasi balistis impulsa, non minore propugnantium studio reddita, suis in sedibus retinetur. Atq; dum illos irriti conatus pudet, & impetus: hi stationem in qua ab Imperatore collocati sunt, deserere vt aras & focos patrios verentur: interim excitata hoc ardore, & industria natura, quam vtrisque subtilitatem, quæ acumina subministrat? Plura de exercitatione dicerem, nisi vos mirabiles eius vtilitates quotidiano tangeretis experimento: deque ea primis hisce in studiis dicere possemus, quod olim Demosthenes de actione, primum esse in dicendo exercitationem, secundum idem, & tertium idem videri.

Sociorum Itaque vt ad vlteriora progrediar, putatis-ne

nihil ad mentis contentionem interesse solus aliquis aut vno teste, aut in celebri hominum frequentia det ingenij sui specimen & periculum faciat solertiæ: Nondum dico quid alacritatis ad agendum circumfusa concio & innata laudis cupiditas adferat: purum illud & nudum videre & videri considero in iis præsertim adolescentibus, quibus, quia copiosorum parentum imperio ad liberales artes perdiscendas se applicant, erit aliquando in media Reip. luce viuendum. Quàm multa quotidie faciunt, quæ si probentur, spiritus augeant: sin minus, dedecus quidem sed & honoris recuperandi desiderium importent. Quanti æstimant sociorum multitudinem auribus ducere, dicente se imperari silentium, in se omnium ora atque oculos esse conuersos, è sublimiori exhedra quæ didicerint, clara ac beata voce pronunciare, despicere subiecta subsellia, ad nullius auctoritatem conniuere, nullius accessum aut discessum repentinum formidare: æmulorum interim fastidia contemnere, dicta eludere, obstare conatibus, impetum refutare. Et miramur si eos cum per ætatem licet, videmus in foro regnare, in curia sententiam de rebus maximis copiose prudenterque dicere, legatos de publicis negotiis ad Reges exteros mitti, solos illos Principibus æquè ac multitudini probari? dimoueri de suis sedibus ciuitates, & ipsos prope dixerim populos, eas inundare basilicas in quibus homines illi de Deo, de sanctissimæ fidei mysteriis, de morum integritate concionantur? Quibus verò gradibus ad illud honoris fastigium ascenderunt? iis ne latebrosis quos soliuagi illi sibi mente fa-

multitudo subrusticam verecundiam pueris excutit.

bricant, an præclara iam inde à puero publicè dicendi consuetudine? quam multos nominare possumus qui cum essent cæteris à natura & doctrina dotibus præditi, eos tamen à dicendo pudor, & subrustica quædam timiditas retardauit? qui si à primæ ætatis verecundia impetrare potuissent, vt frequenti concione linguam soluerent, faciliores sibi aditus ad hominum existimationem & gloriam comparassent.

Declaratur exemplis quanti referat à teneris publicæ pronunciationi consuescere.

Declarauit certè Romanis olim Porcij Latronis casus quanti referret eum hominem qui ad eloquentiam & aduocationem exerceretur, sæpè in aciem pulueremq; prodire. Is enim cum in Schola septus parietibus, tectus lacunari, inter paucos Scholasticos ludicras declamationes præstantissimè si quis alius obiret, facile persuaderi potuit sibi satis esse virium & animi vt veram causam in foro apud Iudices perorarct. Eò cum venisset declamatorum antesignanus nouitate consessus, insolentia loci, coronæ frequentia tam subito perterritus, & pene exanimatus est, vt actionem à solœco inchoarit: neq; prius sui compos fieri potuerit, quàm ex aperto loco in alium parietibus & tecto clausum migraretur. Patrum verò nostrorum memoria scimus persanè ridiculum aliquid hoc in genere viro non inerudito accidisse. Nam eloquentiæ suæ omnem supellectilem in celebri Senatorum consessu explicaturus, elaboratam industria orationem in horto suo declamitabat quotidie; ibi copiosa caulium multitudo repræsentabat auditores, & vt quisque aut trunco humilior, aut patulis diffusior foliis erat, diuersos dignitatum ordines distinguebat. Dicebat ad viridei

iſtos Præſides magna cum cura, ſubmiſſo vultu, adducta toga, in omne argumentum modeſtiæ fictus. Si ventum foret ad illud ſolenne, Auditores Ornatiſſimi, aut illud grandius, Patres Conſcripti, hic caput aperire, pedem vtrumque per vices adducere iactare ceruiculam, concionem modeſtis oculis & grauibus ſalutare. Adreperet terrigena, herbigrada, domiporta? nouum fingebat auditorem: obſtreperet auicularum cantus? quaſi aduerſus importunos tumultuantium ſtrepitus animum obfirmabat: impulſæ leui flatu ſtirpes agitarentur? hæc vero ſententioſe, & grauiter dicta laudantium admurmuratio putabatur. Iam ſatis firma erat memoria, congruens actio, illuxerat dies ille quo die ex horculi vnius vmbraculis in ſolem & à pertum educenda erat eloquentia. Inſtruitur locus ad agendum ampliſſimus, omni apparatu ornatuque viſendo, conferta hominum turba mature fores obſidet, excluduntur plebeiæ animæ, pauci barba, talarique pallio doctrinam, aut pretioſo veſtitu nobilitatem profeſſi, magna demum ambitione admittuntur. Prodit tandem nouus Hortenſius, tabificarum, vt olim pari in cauſa Auguſtinus, cogitationum febribus æſtuans: in vnum ora, in vnum oculi, in vnum animi defiguntur: altum ſilentium, ingens expectatio. Quid deinde, quid cenſetis? Audit. Orationem, vt apud Homerum, concitatam, & ſine intermiſſione in morē niuis ſuperuenientem? Eam-ne potius quę verecundo ſimilis principio ſe circunſpicit, & æſtimat, & præbet ęſtimandam? Videte vt pallet, vt tremit! Salua res: magnos olim ora-

tores scimus in principio dicendi exalbescere solitos. Sed diutius obmutescit. quid etiam circumspectat? Dic, orator, aut nunquam dicas. Surgit, caput aperit, voce tremula postulat sibi ignosci, euolasse cum auditorum domesticorum viriditate filicatam orationem : parere certe præsentes superstites caules non esse, qui sponte mouerentur. Quid plura? demittere cogitur auriculas vt iniquæ mentis asellus, & elinguis, rubore suffusus proripere sese infantissimus arator, dignus profecto qui pueriliter ad Rhetorum statuas vapularet, aut aliquandiu in Tulliano habitaret. O priuatorum studium ingens operæ pretium! ô lucifcorum nostrorum doctrinam reconditam! quæ prodire foras atque ad auditores emanare non potest: ó firmis excultum disciplinis animum! qui quem in opaco situm duxit, ad solis radios & clarissimorum virorum splendorem nequit excutere.

Vita communis rudimenta percipiunt in scholis pueri, quæ reliquam ætatem non parum iuuant.

Quæ, malum! isthæc disciplina est? sic liberos tuos instituis vt tenebris assueti caligent ad lumen. Si tu mansuetarius feras, bestias, opinor, spectandis hominibus velles consuescere, vt iis feritatem excuteres; & natum ad ciuilem societatem animal secretis parietibus, quasi lustris & cauernis contines remotum ab oculis populi, inculta & deserta ab omnibus vita, hoc est, si quid vides, si quid sentis, hominem tollis ex homine. Da in hac solitudine vnde communem naturæ sensum hauriat, qua via magistram vitæ experiétiam & rerum quotidianarum vsum aucupetur? Nomina quibus cum contrahere possit amicitia, quam viri graues atque constantes à pueritia iis-

dem ſtudiorum quaſi ſacris initiata firmam & perpetuam arceſſunt. Demonſtra quomodo bonos & fortes complecti, odiſſe improbos, fugere, inſectari condiſcat. Sed hæc officia vitæ ſunt vniuerſæ vſque ad extremum diem colenda; ad quæ tamen ſic adoleſcentes præparare debemus, vt meminerimus eos Collegij vnius ſeptis non ſemper continendos: ea porro fide & diligentia vt laborem noſtrum præclare poſitum putemus ſi felicem hanc teneriorum mentium terram ad virtutis ſatus accipiendos præceptis diſciplinaque ita ſubiecerimus, vt cum ab agricolis diſceſſerint, plus afferant quam acceperunt. Mihi credite, Adoleſcentes, leuiora illa quæ in ſcholis geruntur (ſi tamen quicquam leue eſt quod indolem veſtram aut oſtendit, aut erigit) eiuſmodi ſunt vt olim vobis ipſi in hominum luce viuentibus neglecta, dolorem & dedecus, vſurpata, non mediocrem cum laude voluntatem ſint allatura. Sic enim exiſtimare vos volo, hæc quæ modo agitis, eſſe vitæ incæptionem & non obſcura lineamenta futurorum. Nam vt ſolo temporum lapſu ætas accreſcet, animo vires, robur corpori ſine naturæ veſtrę immutatione accedet: ita ſtudiis puerilibus vera ſuccedēt negotia, quæ pari alacritate, prudentia maiore viri cum viris, vt modo inter pueros pueri, tractabitis. Hæc, inquam, ad totam vitam pertinent: redeo ad eius tyrociniū quod in acquiſitione ſcientiæ ponimus. Dicant iſti ſolitarij ſtudij probatores quā puero iniiciant ęmulationem, quem imitandi ardorem, quam ſpem ſuperandi? ſe ipſe comparat ſecum, feruentiorem nullum videt, doctiorem putat neminem.

Æmulatione & gloria in scholarum luce adolescentes mirum in modum excitantur.

Sed fingamus hæc quæ modo commemoraui aut minimum ad discendum momentum habere, aut etiam in domesticis studiis non desiderari: habent-ne illi in domorum suarum recessibus difficultatum quæ in perdiscendis artibus frequenter exsorbentur dulce condimentum, ad aspera quæque experiunda calcar singulare, cotem ingeniorum, flabellum industriæ, ambitionẽ & gloriam? At ea puerilis animus minimum mouetur, inquiunt, qui labores suos voluptate metitur: virorum est honesta sectari: iocis, ludis, delectationibus iuuentus occupatur O peritos venatores indagatoresque naturæ, quæ se tenera ætate sine fuco exerit! Te hic appello Alexander qui Philippi patris felicitatem & victorias tota Græcia propagari puer ingemiscebas. Vos Spartani pueri omnes qui cruenta illa ad aram verbera insita nobilitate concoquebatis, qui ab impetu verberantium inter matrum vbera cadebatis, & semimortuis vocibus obtestabamini prę ter crepitum plagarum, nullam aliam vocem auditam. Vobis hos animos diræ illius ac funestę lusionis voluptas, an incensa gloriæ cupiditas faciebat? Quid si in illo ipso ludo in quo ad profusiorem delectationem cópia licentiæ crescit, vt ignis oleo, non solam quærunt voluptatem? quid si laudem etiam auidissimè consectantur? Alexander, vt ab eo magnarum rerum sumamus exempla, in Olympiis currere dedignatur. Cur ita? quia collusores filios Regum habiturus non est, quos solos vincere gloriosum putat. Pythagoras ille veterũ Philosophorũ princeps in prætexta, viros pugilatu, Damiscus quidam anno ætat-

tis duodecimo grandiores cursu superauit : quo duce? gloria, quæ magnos in exiguis corporibus animos sui fiducia & rerum gerendarum cupidine implet. Receptum erat more institutoque Græcorum, vt in Olympiis pueri inter se, in Pythiis autem etiam cum viris committerentur: quo adiutore? gloria, quæ sexcentas puerorum statuas pugilum, luctatorum, cursorum immortalitati consecrauit. Redeamus ad ludum litterarium : quoties cum summa animi voluptate vidistis, Auditores, composita in scholis puerorum paria de literularum apicibus, de numeris syllabarum, de voculæ vnius latinitate, aut peregrinitate tanquam de regno aliquo decertare? flentem hunc, illum exultantem; illos sub iugum missos, hos opimis spoliis, & aduersariorum manubiis oneratos? Quid ardentius menstrua Senatus lectione, & noua in Calendas singulas classis descriptione? Quid magis expectatum annua præmiorum augustissimo illo & celeberrimo consessu diribitione? quæ scribendi auiditas, quam suspensa bene aut perperam facti conscientia. qui victorum plausus, quæ gloria triumphantium?

Honestæ ambitioni iuuentutē laudabiliter innutriri docet sapietum auctoritas, & ipsa scholarum publicarum constructio.

Vos hic Socrates & Catones delapsos de cœlo audire putate. Male, inquiunt, huic crescentis spiritus licentiæ innutriūtur pueri, quibus omne ludicrū in pretio est: At erit cū circa veros honores insanient periculosius inepti. Interim magistratus gerunt inter se, & prætextam, fasces que ac tribunal imitantur quæ olim omnia in foro & Curia virili ambitu molientur. Satis grauiter. Cedo quid postea. Appetitionem

gloriæ in vitiis numerari nemo nescit: quis autem ab vitiosa radice sani & vegeti succi fructum speret? Ambitiosorum personata felicitas est, oculis suis imponunt: & cum auro sinum impleuere, cum induerunt purpuram, quid aliud quàm mendacio gaudent, non ignari sub ista dignitatis membrana quantum mali delitescat. O inauditam seculis omnibus sapientiam! ô nouam & elegantem Philosophiam! ô magistram morum & disciplinæ orationem! Doleo non esse vobis integrum, Patres Reuerendi, hoc vti consilio; plerique enim aliàs docendo puerilis ambitionis ardorem, virtutum, vitiorumque imperiti homines, aluistis, imo succendistis. Verri Flacce, pudet me tui: quid est quod luculentis librorum donis diligentiorum adolescentum industriam munerari primus instituisti? M. Fabi puerum opta: illum quem laus excitet, quem gloria iuuet, qui victus fleat, qui alatur ambitu, honore excitetur. Annæ Seneca puerum sic doces instituere vt cum æqualibus vinci illum nō permittamus, assuescat in certamine non nocere velle, sed vincere, quoties superauerit, & dignum aliquid laude fecerit, attolli patiamur. M. Tulli pueros naturæ specula miratus es, quāta in iis studia decertantium sint, quanta ipsa certamina? vt illi efferantur lætitia cum vicerunt, vt pudeat victos, quam cupiant laudari, quos labores non perferant vt æqualium principes sint? Atque ea in optima quaque indole maxime apparere disputabas senex, qui iam ante consularis in Senatu grauiter pronunciaras, vt leuitatis est inanem aucupari rumorem, & om-

nes vmbras etiã falsę glorię cõsectari; sic leuis esse animi lucē splendoremq; fugientis, iustã gloriã, qui est fructus veræ virtutis honestissimus, repudiare. Vos miror ad veterem illam Philosophiam adhæsisse, hanc istorum orationem neglexisse, nec in errorem induceremini. O stultos Platones, Aristoteles, Theophrastos, Isocrates, Valerios, Catones, Antonios Gniphones qui iis quos edocebant adolescentibus persuaserunt nihil humile, nihil demissum, nihil sordidum, sed omnia summa, ampla, gloriosa in media hominum luce appetere. O socordem Salomonem, qui in vna Sionis arce septem maximo sumptu ædificauit Gymnasia, ad quæ certatim tota ex Iudæa conueniebant pueri, vt è fonte tam puro gentis mores, sacrorum ritus, datas diuinitus leges haurirent. Stultum Abrahamum, qui Astrologię scholam ad famosam illam syluam Mambre aperuit. Stolidos, & cum periculo fatuos Athenienses, Massilienses, Druidas, Romanos ipsos, cæterosque orbe toto Reges & Principes qui hæc Collegia quæ videmus, tanquam emporia bonarum artium infinitis sumptibus instituêre, vt tenera indoles ad verum decus, publicæ priuatæque rei splendorem quadrigis, quod aiunt, albis, curreret, gloriæ stimulis incitata. Quid hic nostros Franciscos, Carolos, Henricos, Ludouicos arguam Regni florentissimi moderatores, videlicet imperitos, qui publica musarum domicilia prope dixerim cum pulcherrimarum vrbium fundamentis posuerunt! Tibi autem Carole Magne quid venerit in mentem nescio, cum Imperij tui caput, oculum Europæ, orbis gem-

Carolus Magnus in Academia Parisiensi puerorum studia æmulatione inflammauit.

mam, vrbem humani generis capacem Alcuino tradebas vt eius tertiam partem musis & scientiæ consecraret. Hic tu sæpè tuius es quasi à grauissimis Reip muneribus requiescens; disceptantes de voculis pusiones inter Grammaticos & literatores magistros auidissimè audire, victores in Nobilium & Baronum iura transcribere, victos contra, desidesque ordine & gradu motos in ceritum nonnunquam tabulas redigere. Huic Imperatori si quisquam istorum comes & assecla extitisset, hac opinor eum oratione à proposito deduxisset. Quid agis Carole? quid cogitas? vbi maiestatem illam regiam vbi altæ & exaggeratæ mentis singularem prudentiam amisisti? tu has scholas tantus hospes implere digneris? tu vocem illam qua hostibus armatis terrorem, supplicibus clementiam, militibus tuis confidentiam afferebas puerilibus cōcertatiunculis accōmodare? tu caput tot laureis graue, tu pectus tot negotiis tot regnis non impar ad curas hasce literarias possis demittere? manus illæ fugandis exercitibus, munerandis Principibus, tollendis, dandisque Imperiis exercitatæ, pueris scholastica munera partiantur? Non sentis quanta eorum ambitioni fomenta suggeras vt insolentiores postea spiritus induant? Non vides quam cupidè leue istud gloriolæ choragium de te accipiant honorum futurorum pignus: quo tanquam gladio parui adhuc & infirmi nocere nemini possunt, grandiores autem beneficio tuo armati Remp. contrucidabunt? Nescis quam multorum malorum artifex sit ambitio, quam crescat immodicè, vt munia omnia occupet, & velut Aristophaneus

ſtophaneus ille Cleon pedem vnum in foro, alterum in pylo figat? Quid autem neceſſe eſt igniculos illos gloriæ ſimplici ætati vel adhibere, ſi extranei ſunt; vel excitare, ſi naturales? quaſi non eos & honeſtius ipſa ſcientiæ pulchritudo, & efficacius parentum cohortationes, exempla, ſtudia pertrahant? Hac ille oratione permotus non dubito quin Alcuinum ſubito in Britanniam ſuam relegaret, ſuas ſibi res habere iuſſum: ſcholaſticos domum amandaret, Collegia noua vetaret conſtrui, excitata Regio Diplomate diſturbaret. O amentes & tenebricoſi homines! ô honeſtatis omnis obliti, naturæ vix memores! Gallorum gallinaceorum ſpectaculo cum magnis inuicem viribus certarent, ſuos ſic animare potuit Themiſtocles, vt non ad pugnam, ſed victoriam; non ad certamen ſed triumphum duci viderentur: nos ſoli ſtipites ſine ſenſu pueritiam, aut vllam aliam ætatem ab tam ardenti, tam altè inſito atque inuſto in natura laudis deſiderio totam penituſque remouebimus? Quid? reperiatur-ne in naturæ noſtræ genere vel vnus homo qui conſentientem bonorum laudem, incorruptam benè de virtute iudicantium vocem veræ virtutis comitem & præmium, quæ perfecta, quæ grauis, quæ ſolida gloria eſt, repudiet?

In hominũ natura inſita eſt gloriæ cupiditas, eaq; ad virtutem nos incitat.

Etenim nos ita ſapientiſſimus omnium molitor effectorque Deus comparatos eſſe voluit, vt quod iuſtum, quodque commodum eſt (boni honeſti atque vtilis nomenclatione Philoſophia moralis complectitur) bifariam nobis obiiceretur vt appetitionem commoueret; qui ad iſtud adhæreſcerent, ij dominationis, potentiæ, honoris eſ-

sent percupidi: si quos autem illius maiestatis ad se traheret, ij rectè factorum amplitudinem, publicæ libertatis splendorem, suam æque ac bonorum virorum gloriam affectarent. His animi generosi stimulis aliam affixit præterea bene viuendi necessitatem, vt cum ad proximorum commoda curas cogitationesquẽ suas appellerent, omnibus occurrerent, neminem laterent, Solis instar summa atque infima collustrarent. Qua rerum conditione & statu effectum est vt nec virtus pateretur tenebras, nec vitium inueniret. Itaque cum cælestibus oraculis iubemur coram Deo & hominibus bona prouidere, Deo conscientiam, hominibus vitam, cęlo puræ mentis arcana, mundo consideratæ actionis exempla debere profitemur. Huic virtutis claritati tanquam Reginæ, comites adiunguntur bonorum amor, fides multitudinis, omnium admiratio, laus, plausus, fauor, gloria. Hæc si qui forte contemnunt, viles animi nihil altum sapiunt, nihil grande spirant, nemo scit natos, nemo vixisse conqueritur. Qui è diuerso modicè appetunt, & famam vt vestem amant non magnam sed bonam eos à rerum gerendarum amplitudine, patriæ salute, omnium commodis non corpus ad delicias non labor ad quietem, non auaritia ad rei domesticæ curam, non inuidia ad otium ignobile reuocant. Id olim Senatus Romanus sapientiæ medulla, generis humani flos delibatus satis superque declarabat, cum Tiberium monuit contemptu famæ contemni virtutes, cuius ad posteritatem transmittendæ vel vna spes quæ facinora à præstantibus ingeniis non impetrauit, expressit, extorsit?

Eam naturæ ipsiusque virtutis vocem esse docuerunt veteres ipsi sapientes, qui cum de contemptione gloriæ scriptis libris dissererent, illis tamen operibus nomen inscribebant, vt quo sensu contemni vellent, ostenderent, qui tum etiam de ea sibi nihil deperire volebant. Iam verò quantas in hominum animis radices egerit, vel ipsi sciunt artifices & operarij, qui habent in manibus scientiam quæstuosam: illi enim nisi vt pecuniæ, sic laudis, illiberali quamuis opere lucrum facerent, artes persæpè suas desererent: lautis & elegantibus ingeniis quid animi esse debeat, quis non videt?

Ea præceptoribus ipsis magno est ad studia incitamento, qua tamen carent qui priuatim docent.

Itaque vt ab laudabili scholasticorum ambitione, cuius causa hæc à me disputata sunt, ad ipsorum etiam magistrorũ studia veniamus: ponite vobis ob oculos domesticum alterum, alterum publicis scholis præfectum, & statuite vtri plus animi sit ad munus suum sedulo & accuratè fungendum. Nam ille priuatis inclusus parietibus, se vno teste contentus neminem timet, puero vni seruit cui docendo ridiculum sit multa conquirere. Temerè nonnunquam effutiat, quis reprehendet? veteramentarium auctorem quisquiliis collectitiis abundantem describat, quis furti arguet? ex arcanis scientiæ quam profitebitur libris quid reconditum proferat, quis laudabit? diuturna commentatione subtilius aliquid extundat, quis æstimabit? Imperito adolescenti quicquid nouum obiicitur æque in pretio est: habet omnia pro magnis quæ meliorum comparatione metiri non potest. Interim magister ipse deambulandi desiderio tenebitur, iustitium li-

bris indicet: id verò discipulus magno emat, & ad parentes decipiendos operam cum doctore conferat. Fessus de cursu & ludo in desidiam soluetur: illa quoque puerilium votorum summa est. Dies serena inuitabit ad equitandum, adolescentis auia in villa est, queritur rarius ad se nepotem deduci: rapiet ergo puerum & seruum, Id est, scholam vniuersam præceptor, & optimam hebdomadæ partem rusticabitur. Sic vtriusque animus tenebris abusus ad otium situ & ignauia deprimitur. Hic autem alter eruditionem suam in Academiæ theatro probaturus vigiliis conficitur, lucubrationibus impallescit, libros omnes peruolutat, excernit illustria quæque & recondita: verba ipsa in iudicium vocat, ne asperiore concursu aures lædant eruditas, ne quid desit, ne quid effluat. Meminit sibi nuper oscitantius dicenti nonnihil excidisse quod existimationi nouit, resarciendum est: antea autem cùm venisset instructior, plausum retulisse, reparandus est: certis auctoribus accepit dictata sua per manus eruditorum currere, prouidendum ne quid Aristarchis iure displiceat. Venit in Atheneum tanquam ad messem gloriæ, discipulis ita loquitur quasi æmuli audiant: suos ita docet vt externos conuenire desideret: paucis dictat, quæ domi tota cum animi contentione commentatus est quasi omnes lecturi sint. Tum verò existit iucundum inter vtrosque certamen quo neutris licet esse negligentibus: suorum enim industriam magister docendo stimulat, isti discendo magistri studium excitant: illi turpe est nihil nisi vulgare, nisi auditum antea depromere, his perpetua illa noui-

tas delicatum fastidium iniicit: hunc gloria, illos profectus in officio continet, & dum alteri alteris deesse timent, vtrique inuicem satisfaciunt. Hoc est, Auditores, magnis itineribus ad scientiam ducere & progredi; hoc gloriæ condimento ingenium acuitur, excitatur solertia, animus commentatione, labore corpus induratur. Quis enim opus difficile, minimeque necessarium susciperet, quis assiduitate studiorum se conficeret, quis non ad vacuitatem laboris & molestiæ tanquam ad portum confugeret, si quasi in Zenonis Republica, honesta laudis titillatione non tangeretur?

Veniant igitur studij solitarij defensores, & vestro in conspectu id obiiciant quod ab eis vulgo dictitari audio, multitudinem singulis obesse, laborem in plures sine imminutione propagari non posse, in vno melius operam & otium collocari. Hæc cum dicunt graues homines, literatorum coryphæi, obscurum nobis esse existimant quanta lateat in opertis illis desidia, quàm sæpè in adolescentium ludis conniueant, quàm diligenter id agant vt obscurata puerorum ignorantia parentum expectationi blandiantur. Dissimulant quantum sibi ipsis ardoris & animi pereat coram vno dicentibus, quàm mollis & eneruata sit actio quam gloria non exsuscitat, laus non alit, honor non corroborat. De ratione docendi tanquam de congiario disserunt, quod eo minus esse oportet, quo maior est numerus recipientium. Non est ita (viri clarissimi) scientiæ diribitio multitudine non minuitur; Iugerum quidem amplitudo seminati tritici aceruum extenuat; pe-

Nulla scientia pars singulis perit, cum ea pluribus participatur.

cuniæ donatione thesaurus exhauritur; multiplici deriuatione fluuios quantumlibet ingentes legimus exsiccatos. At intelligentiæ semen non manibus sed voce spargitur; magnifica doctrinæ supellex, non arca sed auribus suscipitur; disciplinarum irrigationes non terris sed animis fœcunditatem afferunt. Pene interiit cognitio quæ vni commissa est: præbet se omnibus ex æquo scientia, & ita singulos amplectitur vt neminem fastidiat, sic omnes occupat vt in singulis tota consistat. Et quemadmodum infusa nostris corporibus anima nullam minus partem vegetat, quia motum & sensum omnibus impertit; imo verò ab multitudine & granditate membrorum nescio quid amplitudinis perfectionisque mutuari videtur: ita doctrina, quæ est eximium ipsius animæ decus & ornamentum, paucorum angustiis coërceri non amat, sed magnitudinem inductione acquirit; eo melior quo pluribus prodest. Equidem si quid esset in sole sensus & intelligentiæ, beatiorem illum fore crederem, si omnibus orbis vniuersi partibus semel, eodemque momento vim suam & lumen præbere posset; quàm cum circuitione & anfractu diurno diuersis pedetentim regionibus illucescit. Quanquam ne hæc ipsa quidem eius illustratio tam benefica, tam communis omnibus, tam vbique solida atque integra semel perceptæ à quamplurimis scientiæ imaginem incommodè repræsentat. Nam quoties in illum oculos coniicio, & simul cogitationem meam ad Theophrastum, inter duo discipulorum millia de rebus grauissimis disserentem, conuerto, hoc iste apud nos in animis

hominum facere videtur, quod ille de cælo corporibus elargitur. Tum enimuerò ridere mihi libet Isocratem tribus contentum adolescentibus, & Epicurum Menedemo suo scribentem vnum vni satis magnum theatrum esse: ipsum quinetiam Philosophorum Deum Socratem in officina Simonis cuiusdam coriarij arcana illa sapientiæ mysteria enunciantem. Istud enim nihilo minus ridiculum puto, quàm si pauci homines reliqua terrarum quererentur à sole collucere, eiusque lumen & efficientiam omnem soli occupare conarentur.

Neq; præceptor vnus vni plus vacat, quàm multitudini scholasticorum.

Sed quoniam non de ipsa, vt arbitror, scientia, sed de eius traditione disputant aduersarij, voluntq; hominem vnum in vno puero plus temporis & operæ positurum, quorum vtrumque multitudine deteri necesse est: videte quæso, Auditores, hominum insulsitatem, & iusta iudiciorum lance quæ ab iis afferuntur, ponderate. Quis enim hominis non ineruditi neque indiligentis industriam vnius pueri finibus circunscribat? quis non plures etiam per ludum ab eo institui posse fateatur? Rem difficilem, Deus bone! & permolestam, ab adolescentibus quinquaginta pensum diurnum exigere, eorum scriptiones recognoscere, memoriam exercere, formare ingenium, efficere vt quod vni præcipitur, suum omnes ducant; quod paucorum causa explicatur, reliqui intelligant; qui locus fraudi aliquibus fuisse demonstratur, eum omnes cauere condiscant. Quid autem vetet vt rerum sic personarum vicissitudines obseruare? vni non semper insistere, quod est perquam importunum, ad alios pro-

gredi dum isti animos resumant; modo antesignanis calcar admouere, vt cæteri incitentur, modo pigrantes stimulis pungere vt contrariorum appositione meliores inflammentur: aliquos præterire, neminem negligere, securos deprehendere vt semper timendum sciant quod semel euenire potest; solicitis imminere vt prouidenter cauisse se gaudeant. Quæ quidem varietas, & fortasse etiam aliquando perturbatio, tam est puerorum animis necessaria, vt eos nihil magis erectos semper & alacres efficiat: cum è diuerso qui vnus perpetuo metu contremiscat, qui solus exactoris seueritati obiiciatur, qui suo semper damno, nunquam alienis periculis instruatur, necesse sit paucis mensibus eius ingenium totum penitusque obtundi. Iam si præceptor aliqua officij religione tangitur, si discipulorum amore ducitur (quem vero primæ illius ætatis gemmæ atque oculi non delectent?) quàm multos ille selectæ indolis pueros pro vnis habiturus est? quàm libenter illud operę quod à scholis vacabit eorum progressibus impendet? quàm ardenter nocturna etiam quietis tempora in eorum commoda insumet? neque si minus exercitationes vsitatæ illorum, vel etiam ipsius desiderio satisfaciant, in nouis atque extraordinariis aut inueniendis solertiam, aut admouendis operam, aut exigendis laborem denegabit. Nam si putant obtrectatores totam in emendatione scriptionum positam esse magistri operam, aut tum tantummodo discipulis laborari, cum ij reapsę instituuntur in schola: vereor vt angusto nimis sint pectore qui laboris in erudienda iuuentute

collocandi magnitudinem, & ipſam magiſterij amplitudinem non capiant. Itaque cum glorioſa inflammatio animorum diſcipulis ęquè ac pręceptoribus cõmunis, nullam operæ temporiſque partem ceſſare permittat: cum exempla ſociorum, & ipſe multorum aſpectus maximo ſint ad ſcientiá pueris adiumento, cum id in ætatis exortu agere doceant publica gymnaſia quæ tota vita ſunt facturi; quæ omnia in vmbraculis & ſtudiorum tenebris ne per vmbram quidem reperiuntur: quis erit tam amens & vecors, tam vilitatis ſuæ ſuorumque negligens, tam hoſtis reipublicæ vt perfectam puerorum educationem, qua vna ſalus regnorum amplitudoque continetur, obſcurare, & in latibula quædam ferarum inſtar detrudere audeat?

Aduerſus eos qui non pueros, ſed corroborantis viribus adoleſcentes ad collegia mittendos putant.

Sed hæc, inquiunt delicati, Collegiorum emolumenta carò puſiones emunt, cum tenera corpuſcula procul à complexu parentum, à maternis blanditiis, ab amicorum charitate in gymnaſia, inter iniurioſos æquales ſub immanſuetis pręceptoribus deportantur. Hic miſellis noua omnia, ignotus orbis, inſolentes hominum facies, ipſi domorum lapides inuſitati: tum autem labores permoleſti, ludus demenſus, cibus vulgaris, perpetua cupediarum abſtinentia, metus aſſidui, minæ crebriores, quotidiana ſociorum ſupplicia: quæ omnia grandiores vix conſtanter aſpiciant, animi molles in membris infirmioribus quomodo ſuſtinebunt? alterum igitur è duobus euenire neceſſe eſt, vt aut graui laborum onere opprimantur ſi generoſæ ſunt indolis, aut ad illa ſtudiorum initia exhorreſcant: quod Quintilia-

nus cauendum in primis admonuit, ne qui puer studia nondum amare potest, oderit; & amaritudinem semel præceptam etiam vltra rudes annos reformidet. Quid hic agã, Auditores, cum è mea pharetra tela depromuntur quibus ipse cõficiar? Credideram enim hactenus Fabij Quintiliani opinionem tueri, cuius aduersum me hoc loco profertur testimonium. At in quo id puero caueri præcipit Quintilianus? in eo, vt arbitror, qui sit minor septem annis, qui literas doceatur ex quo loqui poterit. Eum vero infantem qui ad Scholas publicas mitti volet, dignus profectò est qui ad nutricem ipse remittatur. Quam autem bellè pusionis eiusce modi primum in gymnasia ingressum describit aduersarius! Equidem existimaui eum de Oasi aliqua, aut Scythica barbariȩ dicere: ita nobis non homines sed feras, non ædificia sed cauernas, non vitam sed mortis imaginem oratione repræsentat. Tetrum enimuero exilium in quo pueri à pagis in vrbem, à rusticorum consuetudine in adolescentium liberaliter educatorum societatem ab impolitis moribus ad comitatem & elegantiam transferuntur! Misera peregrinatio, quæ sopitos animos rerũ nouarum aspectu excitat, quæ rudibus ingeniis primæ vrbanitatis figuras imprimit, quȩ vt mentibus, sic membris robur & firmitatem conciliat. Nam vt ei qui ex morbo conualescit foras progredi, & liberum haurire aërem magna confirmatȩ valetudinis pars est: sic imbecillibus ingeniis dici non potest quãtum accedat virium cum paternos focos deserere audent, & aliquam vitȩ, sociorum, actionum nouitatem pati condiscunt. Quis enim

non experitur rerum varietate stuporem illum rusticum: spectata autem in aliis earum toleran-tia difficultatis horrorem imminui; qui denique vsu proprio penitus absumitur? Tum vero seipso maior animus vsitata contemnit, noua prouocat, nullam sortem, nullum casum reformidat. Inter hæc grandescunt corpora, & laboribus pedetentim cum vita crescentibus ad adolescentiam rebus magnis iam non imparem perueniuntur.

Laboribus saltem litterariis cōsuescere debet pueritia.

Sed, amabo, qui sunt ij labores quibus anxiarum matrum deliciolæ succumbant? legere, scribere, dulciculis potionibus non vesci, abstinere tragematis, in rosa & viola non dormire. Quanquam nec ista quoque ad rem pertinent. Hunc tu laborem appellas? His tu pueros assuescere prohibes? Sic eorum posteros instituis apud quos recens nati olim infantes in profluentem immergebantur? quorum matres in fodiendis agris occupatæ vbi maturi partus tormina sentiebant, paulū ab aliis seiunctæ vicinis in sepibus fœtum edebant, mox quasi noui nihil accidisset, ad opus rediturae? Quam vero nobis Rempub. facis qui pueros in mellina & in vidulo educas? quos repere iusseris in purpura, quos ciborum deliciis alueris, quos mater dissuauiando placauerit, cui postea militiæ destinabis? Castrensi opinor? vt is tubarum clangores audiat, quem galli cantus dormientem læsit: vt suum atque aliorum sanguinem videat, cuius lacrymas amita detersit: vt frigus, vt æstum, vt inediam perferat, qui melle creuit & bellariis. Forensi igitur? Certè, nam ex myrothecio non Isocratis sed nutricis, hominem educes ad clamores rabularum, catenarum stri,

dores, lictorum vociferationes, reorum complorationes, coniugum eiulatus: Tolerabit ille constanter importunas clientum preces, litigantium disceptationes, eorum qui causa ceciderint contumelias: totum diem sedebit in foro de iniuriis, de bubus, de agelli finibus cogniturus: nocte leget ad lucernam molesta causarum ænigmata, ignota verborum compendia, rusticani notarij characteres, aut fugientes in vetustissima membrana literas diuinabit. Quid ergo? Templis consecrabis, & Præbenda pretio redimes; vt qui apud te domi inclusus animo per delicias eneruato, fluente corpore, ingenio hebeti & retuso nullũ vitæ politioris munus explere potest, iam non vt eximius Sacerdos pane Christi in ara, sed pecuniis & cibariis vt in hara porcus saginetur. O labem sæculi! ô morum corruptelam! ô certam rerum sacrarum profanarumque perniciem! eum in finem nasci tibi pueros optat Resp. vt inutilem turbam domi foueas? ius liberorum impetrabis à Principe, cuius vtilitatibus seruire non potes? hanc secuti sunt instituendæ pueritiæ viam maiores nostri, seu qui has regiones Romanis summa cum gloria eripuerunt: seu qui regnũ istud ex paruo fecerunt amplissimum? Eam credis fuisse apud Persas, Athenienses, Lacedæmonios, Carthaginenses, Romanos formandæ primæ ætatis rationem? & illi terrarum imperium sine militibus acquisiuissent, aut ex illa sagena milites accepissent? Aqui non militiæ solum & bellicis facinoribus imposita est laborandi necessitudo: non veniunt ad otiosos mercatores diuitiæ, non crescunt negligẽtibus agricolis segetes,

non accedit ad ludentes pueros scientia : nihil gratuito cœlum donat;omnia sudoribus venalia sunt : sed est tanti animo & corpore contendere bona ingentia aliquando occupaturum.

Non est,inquiunt,ea quam dicis instituti nostri ratio;Scholæ bono publico patent; ad eas ibitur, sed à valentibus, qui & labores literarios sustinere, & vitæ communis officia discernere, & amicitias parare atque colere per ætatem possint : in sinu parentum doctrinæ fundamenta ponentur; postquam eo deuenerint vt in secundo vel tertio ordine censeri queant,tum demum faustis auibus è nido longo tantum post interuallo redituri euolabunt : ante id temporis & necessaria est puero domus,& inutile gymnasium. Meministis, Audit. repertum aliquando peritum, vt opinor, tibicinem, qui quos in disciplinam suam recipiebat duplicem mercedem iubebat pendere,si quid alibi didicissent : cum diceret vir festiuissimus duplum sibi laborem imponi, vt & ea dedoceret quæ attulerant, & noua traderet quæ venerant accepturi. Nos isti homines in eandem adducunt necessitatem,neque præparato & perpurgato solo vti volunt; sed agrum lolio & lappa oppletum offerūt, qui tum demum bonæ frugis capax esse potest ,si fallaces herbæ ab agresti domi magistro seminatæ stirpitus euellantur. Quam est autem imperiti agricolæ primam perboni lætique noualis fertilitatem inutilibus stirpibus occupare,& ad fructuosos satus accipiendos semiexhaustum cogere? Aut quis sanus in area complanata domum amplam & ornatam ædificare decernat quidem, sed eam velit prius casis, & male mate-

Primos annos domi ponere est perdere, & reliqua studia eneruare.

riatis tuguriis impleri, quæ & ipsa necessario destruenda sint, & magno labore sumptuque superfluo rudera longius exportanda? Sic enim vsu quotidiano comprobatum est nobiles pueros diu in pagis institutos, & expeditè non tantum Grammaticæ Syntaxeos regulas, sed etiã è Virgilio atque Ouidio plusculos versus pronũciantes, planè barones esse, & toto illo tempore nihil sapere didicisse. Itaque ad prima elementa reduci eos oportet, & doceri duo verba latina iungere, qui se in oppidulo doctrinæ principes videri volebant. Interea viui spiritus deferbuerunt, acres impetus resederunt, feruor euanuit, memoria diminuta est; & tum aliquid incipiunt discere, cum ad percipiendum minimè sunt idonei. Noua omnia appetant oportet, & integram, vt olim iocabatur alia in re Tullius, ad ouium famem afferant. Fastidiente stomacho nihil est languidius; vtiq; si & cõditiores priorib9 cibos apponi videt. Piget eos omnia quæ sciebant ignorasse: pudet infra prouectiorem popellum sedere grandes iam prætextatos: Scholas numerant & annos, & longum doctrinæ iter animo metientes, timent ad paternam domum redire pogonati. Illis sic affectis, quid virium, quid animi esse possit, equidem non video: experimur certè paucos eiusmodi stadium ingressos ad metas peruenire, multos in carceribus subsistere, non paucos è collegiis tanquam è carceribus euolare. Sed esto, recta fuerit & proba primi illius magistri institutio (non enim ita sum omnibus inimicus vt neminem quicquam promouere confirmem) hoc tamen reprehensores vel inuiti dabunt, eadem illa

in Scholis facilius & citius à pueris percipi, & quod hic non solido anno ediscitur, vix illic toto triennio comprehendi. Non iam quæro quæ sit eius retardationis causa, aut quorum ea culpa accidat; tantum dico sic fieri. Cur ergo tam bonos annos malè perdunt? quidni potius tempori parcunt quam pecuniis? imo & cum liberorum studiis pecuniæ iacturam faciunt, rerum vtilissimarum dilapidatores stolidissimi.

Neque verendum ne pueri nimis cito studia absoluerint quasi postea nihil illis discendum supersit.

Quid enim, dicet illorum aliquis tantopere studia puerorum vrgere necessarium est, qui sæpè prius & philosophorum lycea, & Iurisconsultorum basilicas percurrerint, quam ad publica magistratuū munia possint admitti. Redibunt, igitur ad parentes, quid acturi? otiabuntur in patria cum sociis præcocium literarum, ludo, compotationibus, desidia si quid in collegiis hauserant, obliterabunt: ad annos denique capessendis Reip. muneribus præstitutos indocti peruenient. Quanto melius est statim à Scholis eos ad forum propellere; & post curam magistrorum, bene viuendi & ea quæ perdidicerint exercendi necessitati alligare; vt iuuenilem licentiam, & otiosorum adolescentum flagitia non prius cognoscant, quam ipsis erunt in aliis vindicanda. Hanc orationem, Viri Clarissimi, totam auream, totam gemmeam vehementer cupio à vobis probari, & in memoriæ thesaurum recondi, vt illam reliquorum qui soli supersunt inimicorum importunitati, cum eo ventum fuerit, opponamus. Sed ne illa isti tantisper abutantur, aio hac in parte Alexandro Macedoni persimiles mihi videri, quem sine risu nunquam legere soleo, deliberas-

se serio quid tandem rerum acturus esset postquam vniuersum orbem ditioni suæ subiecisset. Is enim non maximam terrarum partem aut à patre acceperat, aut virtute parauerat; Regem vnum atque alterum armis vicerat. paucas vrbes iusta obsidione, reliquas deditione acceperat, & quasi mundo iam subacto ad otium inclinabat. Supererat Africa Carthaginensibus, Europa Gallis, Germanis, Græcis, Hispanis, Romanis eripienda; peruadendum quicquid in America, in India vltra Gangem sub Zona, vt appellant, torrida, in Septentrione pene suppositum mundi vertici audax posterorum industria deprehendit: decurrendus Oceanus, quem ne viderat quidem, Orcades, Albion, Iaponia & reliquæ Insulæ inuadendæ: & quasi hæc omnia in manibus haberet, ad quæ occupanda multorum Imperatorum ætates non sufficiunt, quid deinde negotij gereret, inquirebat. Non alio planè modo posteaquam pueri iudicio imbecilli, laboris impatiētes, ludi & otij appetentes, paucis annis, assidua magistrorum opera, vigilantia, conuiciis eruditionem summis labris degustarint, quasi iam percepta omni scientia, requirunt nostri homines quid domi paternæ sint acturi. Facient videlicet quod Seneca qui senex philosophum audiebat: quod Solon qui quotidie discendo senescebat: quod Theophrastus qui vitā sibi propagari optabat vt pulcherimarum rerum cognitionem perfectam consequeretur: quod Cicero qui si vitæ spatium duplicaretur, negabat sibi fore temporis satis ad lyricos Poëtas Græcos legendos: & hæc quota pars scientiæ est, quam parum vtilis, quam remota ab

ta ab

ta ab hominum consuetudine? Quid? in Scholis adolescentes tanto studio, tot vigiliis id solum perdiscunt quomodo studendum sit, & illud vbi magna animorum contentione acquisierint, quęrent parentes quid agendum supersit? O miseram literarum conditionem, quæ tam negligenter habentur. Si quis puer in ferrariam aut sutoriam officinam semel traditus est, artis facilioris quàm vilioris instrumenta tota vita non deponit: & literarum scientiam rem laboris intolerabilis, cognitionis infinitæ, ingenij plusquam humani qui salutarunt à limine, tanquam qui in abditos mysteriorum recessus sunt admissi, quietem & ignauiam prospectant: vagari & in temporis ingeniique certissima pernicie otiari sinuntur à parentibus, vt Remp. inepti & imperiti capessant. Et hęc cum geri vident studiorum accusant properationem; quasi nimium cito id incœperint quod nunquam satis agi potest: confecta studia criminantur, quasi possit illud absolui quod omni vita faciendum est: queruntur nihil superesse quod agant, vbi domestica disciplina dirigi, doctorum consuetudine institui, fori assidua frequentatione erudiri debent: cum libros euoluere tenentur quibus ius Romanum, Prouinciarum consuetudines, res decretis Senatus antea iudicatæ traduntur: cum explorare se fictis causis possunt, comparare ad veras, tentare ipsi priuata opera alienas, & quid in vtramq; partem pro æquitate afferendū sit, pręuidere. Profectò non perueniet ad summa qui multa sibi semper superesse non putabit.

Videre mihi videor aduersarios assumpta grauitate censoria temporum infelicitatem notare, *Contra eos qui adolesc-*

centes mature è collegiis educi volunt.

conqueri inter sæculi corruptelas eam numerari vel maximam, quod adolescentes neque à parentibus, neque à ratione frenum accipiant. Omnia quidem post Academiarum confecta spatia iis superesse facienda, quę norunt aliquando facienda: hoc se cum id ætatis essent expertos, hoc egisse diligenter & accuratè patr s imperio atque institutione. Nunc autem seu parentum stoliditate, & amore in liberos præpostero, seu filiorum corruptis moribus, iuuentutem arrepta libertate, profligata verecundia in lustris & ganeis desidere, puellarum pudorem expugnare, mercatorum officinas exhaurire in sumptus nepotinos: id dolere cognatis atque amicis. offensioni & ludibrio esse ciuibus: ab ea licentia legitimis matrimonij vinculis vix retrahi; magistratus deniq; officium emi, quo tandem vel inuiti in gyrum rationis ducantur. Tum verò egregios controuersiarum arbitros, iudiciorum præsides, vitæ necísque pene dominos inter ciues quorum nuper fuerunt fabula lites dirimere; morum turpitudinem qua anno ante infectissimi erant, in sociis libidinum castigare; coërcere blasphemias impiorum, cum ipsi nihilo modestioribus nondum satis abstineant. Quanto commodius foret eos si fieri posset, perpetuo seruare in collegiis, vbi vel magistrorum auctoritate in officio contineantur; vel si libertatem amant, ea moderatius vtantur; aut certè flagitia sua ab oculis parentum, à conspectu ciuitatis remoueant. Nam quia maior est ex longinquo reuerentia, & populo facile ab ignotis imponitur; conceptam de probitate doctrinaque sua opinionem facile tuebuntur, si non prius pedem

in patria, quàm in magistratu ponant. Explicare vobis non possum, Audit. quantam animo meo voluptatem hæc istorum oratio conciliet; ita mihi ad id quod modo acturus sum videtur accommodata. Sic enim illi causam suam agunt vt amentatum mihi telum subministrent quo tertium aduersariorum genus conficiam: qui volunt pueros maturè positos in gymnasiis, inde maturius educendos, ne improborum consuetudine deprauati ad libidinis scopulos adhærescant. Equidem meas in disputando contra istorum errorem partes illis volens libensque concedam, si in concepta semel indignatione progredi velint. Nam & ipsos præsidio suo exturbatos ad mea castra veritatis viribus traxisse integra victoria est; & vereor vt graues isti & sancti homines qui iuuentutis corruptionem tantoperè horrent, vt etiam eius metu collegia vitanda existiment, si veram eius stationem in paternis domibus requisiero, mihi succenseant. Nolo existimare iuuentutem eo impudentię & nequitiæ venisse, quantum isti clamitant: fatendum tamen & ingemiscendum, plus indulgere libertati, quàm virtutis atque honestatis ratio patiatur. Sed quicquid tandem est licentiæ dicunt ipsi in oculis parentum vsurpari, parentum indulgentia tolerari: in collegiis vel occasionem deesse, vel facultatem. Hoc à me non affertur: illorum vox est, quos hactenus habui subinfensos. Quid vos hic sanctitatis vindices? qua declinatione criminationem illam effugitis? Nam præter experientiam qua instructi pugnant, veterum etiam testimonia producunt, qui suis idem temporibus euenisse confirmant,

Legerunt enim M Fabij Institutiones, cuius suffragium aduersus me nuper citauerunt Atque ille locum hunc non vehementius, quàm confidentius tractat his verbis.

Veterum auctoritate probatur parentum vitia liberorum moribus plurimum nocere.

Vtinam liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus. Infantiam statim deliciis soluimus. Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, neruos omnes & mentis & corporis frangit. Quid non adultus concupiscet, qui in purpuris repit? Ante palatum eorum, quam mores instituimus. Gaudemus si quid licentius dixerint. Verba ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis, risu & osculo excipimus. Nec mirum: nos docuimus, ex nobis audierunt, nostras amicas vident: Omne conuiuium obscœnis canticis strepit: pudenda dictu spectantur. Fit ex his consuetudo, deinde natura. Discunt hæc miseri, antequam sciant vitia esse. Inde soluti ac fluentes, non accipiunt è Scholis mala ista, sed in Scholas afferunt. Quæ quidem obiurgatio ipsos maximè vulneraret qui pueritiam domi fouendam asserebant; nisi iam ad nostras partes transissent: quibuscum sic disputant. Si prudentissimus Rhetor parentum delicias nocere stomachatur teneris adhuc pueris, imò infantibus, quibus omnia sunt indifferentia, qui quidlibet faciunt quia putant faciendum: quanto senem eum par est in eosdem iracundius commoueri qui grandiores exemplo docent nequitiam? grandiores inquam liberos quorum & animus ad omne delectationis genus procliuis est & corpora intemperantiæ non resistunt; & ingenia diiudicandis voluptatibus apta sunt; & ætas iam tantum moneri potest, cogi amplius non potest: gaudent ea sibi domi offerri quæ aliunde

comparassent : impunè in iis se amoribus volutant, quos maiorum improbitas fecit esse domesticos. Nimirum amant filij quæ à parentibus diliguntur, quis non laudet? faciunt iuuenes quæ à senibus fiunt, quis reprehendat? Sed quoniam ea Quintiliani castigatio vitiosissimos tantũ cruentat, quorum fortasse pars minor est: aliam certè à Seneca mutuantur haud paulo remissiorem: qui puerum narrat apud Platonem educatum, cum ad parentes relatus vociferantem videret patrem, dixisse; *Nunquam hoc apud Platonem vidi. Non dubito*, addit Philosophus, *Quin citius patrem imitatus sit quàm Platonem.* Nam cum omnis vitiorum imitatio facilior est, quàm virtutum expressio: tum in eos maximè tanquam in præparatam materiam funesta illa fax improbitatis adhærescit, qui & sanguinis coniunctione, & vitæ societate, & morum similitudine inuicem propius accedunt. Itaque si Platonis gibbum, & Aristotelis balbutiem, corporum vitia, in se transtulerunt discipulorum aliqui, quia rerum omnium inanes animi, & flexibilia membra id arripiunt ad effingendum quod primum occurrit; idque longo deinde videndi & simulandi vsu cum natura coagmẽtatur: quanto illud in iis periculosiùs est, quorum & idem sanguis est, & animorum similis propensio? Adde paria corporum lineamenta, amorem mutuum magnum in filio, vt ait ille, patrissandi desiderium, patris è diuerso conscientiam qui sua in illo vitia castigare non audet. Atque eiuscemodi maculis licet præceptores ipsi aliquando deformati sint: difficile tamen contingit vt adolescentes externis hominibus à quibus

commodato pendent; quos sæpè vt molestos voluptatum interpellatores oderunt, firma vlla & constante in reliquam vitam morum similitudine coniungantur.

Fatendum quidem vitiosos pueros aliquando in Collegiis reperiri, qui sint æqualibus offensioni.

Nec verò inde filiis suis timent aduersarij, qui quæ de parentum vitiis dicta sunt, ad se minime pertinere gloriantur: sed in æqualium multitudine quæ in collegiis alitur, certam morum perniciem aiunt esse constitutam. Nam in turba promiscuè collecta, in tanta ingeniorum varietate, imbecillitate iudiciorum; cum alij sint à natura facti ad alliciendum, alij simpliciores quocunque facile ducantur; isti ad audendum proiecti, illi aliorum societati præfidentes fiant; hos ad excogitandum solertia, quosdam ad conficiendum pecunia non deficiat: quis non videt alios aliis ad malum & exemplo esse, & incitamento? Et quemadmodùm hominem pestifero aëre afflatum suæ primùm domui, tum ciuitati, prouinciæque vniuersæ, exitium procreare sentimus: ita vitiorum contagio à perdito vno Puero profecta, in omnes manat cum horribili strage virtutum. Fecisset vtinam Deus immortalis, vt quod obiicitur, simplici & præcisa negatione diluere possemus! vtinam omnis ea pueritia quæ se autoramento nostro addicit, & in his ludis exercet, bonum virum promitteret, quod honestum sacramentum Seneca nuncupauit! Non addam alia vri virgis, ferroque necari, quod imperatum Gladiatoribus; sed honesta & rationis plena lege proficere: nullius esset tam peruersum ingenium, tam præfracta natura, tam altis defixa radicibus consuetudo, quæ vestræ, Patres Reuerendi, pietati, con-

filiis, hortatibusque non cederet. Verùm quid facias? huc seipsos deferunt, admittuntur ignoti, naturam mutare non possunt, occulti serpunt, diu latent, teguntur simulatione, numero defenduntur: & tandem longo post tempore suspicionibus primùm, deinde certis indiciis deprehenduntur. Tum verò penè curatum est malum. Nam id non liberius quàm verius vbique profitebor, esse vobis ad imminuendam eam pestem tam occultam, quàm emergentem parata remedia. Sed omnino tollatur Id fieri non potest Sic enim sunt res humanæ, vt bonorum malorumque permixtione temperentur. Quinetiam ipsa virtus, quæ nullam admittit cum vitio communionem, eodem tamen loco consistat, eodem tecto claudatur, eidem mensæ accumbat necesse est. Nam vt nullus vnquam Philippus potuit Poneropolim ex omnium scelerum colluuione componere; sic nemini vnquam Plotino concedetur Platonis Remp è sapientibus & iustis hominibus constantem vnius oppidi muris includere. Itaque ad eorum quibus hominum congregatio, & vitæ communitas regenda commissa est, officium pertinet, mala quæ prouidentia anticipari possunt, impedire: quæ iam facta comprehenduntur, punire, ne vlterius procedant: stirpitus autem eradicare atque euellere, ne puris quidem illis mentibus, promptissimis voluntatum suarum administris Deus permittit.

Hæc cum vera sint, atq; inter homines humanæ agier conueniat: quia tamen cuiuslibet rei potius, quàm virtutis & modestiæ toleranda iactura est, cedam aduersariorum oppositioni, si vllum

Sed longè certius ab ipsa familia domi

periculum est. vſpiam in terris locum nominant ab improborum conſortio, & vitiorum contagione remotum, in quo non dico pueri ſtudere ſecurius quàm in collegiis poſſint, ſed ne vllus quidem honeſtè viuere. Nam quod eos domi ſanctius educari volunt, cogitent amabo vtrorum illis ſocietas magis appetenda ſit, puerorum an iuuenum, ingenuorum an ſeruorum, æqualium an pediſſequorum? Quàm blandè ſe in orientis illius ſolis beneuolentiam inſinuant domeſtici? vt animum implent promiſſis, euincunt blanditiis, aſſentatione corrumpunt? quàm ſępè clam parentibus duces ſe & magiſtros præbent ad flagitia, quibus cum incautum implicuerint, totum ſibi penituſque addixerunt. Quid commemorem prætextata verba quibus identidem recreantur? quid blaſphemias, quę vt ſermonis ornamenta inferciuntur? quid incredibilem quiduis dicendi faciendique licentiam illi hominum generi pene conceſſam? Ab ea verò ſocietate quis adoleſcentem abducet patre negotiis intento, matre lanam in cubiculo faciente, patruis atq; auunculis alibi habitantibus? Domeſticum certè præceptorem ea cura ſpectat, cuius fidei creditus eſt adoleſcens: ſed neque ipſe Plagoſus Orbilius eſt: neque frenum accipere vult ętas iam grandior. Parentes igitur moneat: ſed neq; ab illis gratiam inibit, quia filiorum peccata quæ ſibi iubent narrari, nunquam libenter audiunt; & domeſticis cæteris erit offenſioni: ipſum autē puerum fortunæ ſuæ fabrum grauius exulcerabit. Nam vt in ipſis crepundiis & prætexta nonnihil in eum licuerit: nunc tamen cum ſe æſtimat, cum ſua circumſpicit, cum ſpes ſuas nouit, & prope eſt vt te-

neat, odio implacabili aduersùm se concitare, hominis est insani, & suo se gladio iugulantis. Ita boni, cauti, optimi parentes venduntur, filij deprauantur. Fateor equidem hæc rationum momenta tantum apud me ponderis habere, vt si de duobus tēporibus quibus oppositi homines negant habendos in collegiis pueros, alterum eligere necesse sit: longè malim teneram pueritiam domi consistere, quam grādiores ante studiorum finem domum reuocari. Nam ætas pusionum vix ipsa per se se prauitatis est capax, & si quid improbum domi hausit incautius, excuti sibi facile patitur in collegio: maiores autem postquam bonos collegij mores in ea quam dixi domesticorū consuetudine decoxerunt, postquam verecundię naufragium in ea vitiorum charybdi fecerunt, quam deinde tabulam arripere, quem vllius virtutis portum vel expulsi & eiecti tenere possunt?

Verum cum nec isti abduci à collegiis sine virtutis, nec illi domi desidere sine studiorum detrimento possint, & omni vtilitatis varietate completa & perfecta sit Scholarum disciplina; quid habent iniqui collegiorum obtrectatores, verique studij hostes, cur tātopere domesticas literas amplexētur? Animorum aut corporum salutem? at altera in collegiis non deteritur, altera etiam acquiritur. Parsimoniam temporis? at compendiarium ad scientiam iter alibi quam in collegiis non reperient. Sumptuum moderationem? at neque illud obtendere ausi sunt, nec verè potuerūt: nam quo citius studiorum spatia decurret adolescens, eo minus pecuniarum exhauriet. Quidni ergo Scholas publicas vera scientiæ emporia fa-

tentur esse, & in iis omnem filiorum suorum ętatem erudiunt? Vos autem, Adolescentes, ad quorum arbitrium totam hanc controuersiam retuli, quanquam iudicis non est actori quicquam obiicere, sed quæ afferuntur æqua lance ponderare: tamen si quid habetis præterea, per me licet, opponite. Vnā excipio domi libertatem, maioremque licentiam, quæ neque vestris parentibus voluptati, neque vobis honori vnquam futura est. Silentium, vt video, nutusque vester sententiæ meæ suffragatur, neque iam exigi vt pedibus in meas partes eatis, qui animo & beneuolentiæ testificatione mecum sentire monstratis. Atqui ista prima non est vestri hac in causa iudicij declaratio: cum enim pedem è domo paterna extulistis, cum in istud Athenæum conuenistis, cum in disciplinam nostram traditi estis, si non expressa, certè tacita fuit parentum vestrorum oratio, sola collegiorum institutione doctrinam cito & cumulatè percipi. Cum illos ergo tam multos paucis domesticorum studiorum patronis, tam sapientes inconsultis, tam nobiles obscuris opposuero, si auctoritate res agitur, quam ratione niti comprobatum est, verendum non erit ne causam non obtineam Sed vltimum, potentissimumque argumentum in vobis repositum est; à vobis, Adolescentes, causæ istius bonitas & successus dependet. Nam si illis quæ commemoraui ad discendum instructi præsidiis, magistrorum vigilantia, sociorum exemplo, Scholarum splendore, amplitudine Collegij. eos in scientia progressus facitis, quos vestra indoles, & præsidum cura suo iure flagitat; si in exercendis Reip. muneribus

tantum omnibus excellitis, quantum docti imperitis; si morum sanctitatem à disciplina Scholarum traditam in omnem vitæ partem propagatis, nemo dubitabit in posterum, quin Collegia priuatis domibus, publica studia domesticis, eximij doctores domimagistris antecellant. Eo vos exemplo suo inuitant qui priores hæc gymnasia celebrauerunt: quorum pietas in templis atque aris, æquitas in iudiciis, doctrina in foro, vbique virtus elucescit. Præ se ferunt & palam profitentur, animum suum natura vberem, magistrorum diligentia, collegiorum cultura, publica institutione meliorem extitisse. Hoc est dicere, si quid sentitis, si quis post contrita gymnasia minus à scientia paratus exierit, ei aut ingenium defuisse, aut laborem: alterum natura vobis liberaliter concessit: ad alterum vestra vos vtilitas, spes parentum, vota ciuium, rei magnitudo, Reip. dignitas, adhortantur.



VTRVM RES LITERARIA PLVS SCRIPTIS LIBRIS, AN VIVA VOCE PROMOVEATVR.

ORATIO VII.



Also queritur de natura Theophrastus, quod animantibus non paucis diuturnam lucis vsuram concesserit: hominum autem vitam quorum id maximè interesset, vt artes omnes perficerentur, terminis descripserit, finibusq perquam exiguis. Nihil enim esse video, aut in ætatis tempore, aut in natura disciplinarum, aut in doctorum institutis, quod hanc vocem vsurpare coëgerit hominem eum, qui se sapientem & esse, & haberi vellet. Nam vita longa satis est, & in maximarum rerum consummationem largè data, si tota benè collocetur: & in artibus nihil est tam reconditum, quod hominum ingeniis penitus perspectum, planeque cognitum nõ sit; ipsorum

denique hominum diuina inuenta illustres atque directas omnium artium vias posteris tradiderunt. Quamobrem sic existimo parenti potius optimæ gratulandum, quod multorum ingenia in pulcherrimarum rerum inuestigatione posuerit: vt quoniam non videntur omnia quæ peritum efficiunt ab vno homine reperiri potuisse, ex complurium labore atque studio rem numeris suis redderet absolutam. Et vero licet vnum aliquem tanto mentis acumine, & vitæ diuturnitate don isset, vt artem vnam institueret, perficeretque: cum ego si modo homo esset, in aliquam-multis errare, labi, decipi potuisse contendo. Vnde profecto non sine graui scientiæ, humanæque vitæ damno eueniret, vt omnis posteritas quę illius inuentis excultisque vteretur, ad eius quoque vitia adhæresceret. Nam quemadmodum apes idoneos ad mel faciendum flores securæ possunt carpere, melle ipso allini absque periculo non possunt: ita clarorum hominum virtutes delibare licet, in iis autem habitare iucundius, etiam quæ putantur insignia, periculosum est. Habemus igitur diuina prouidentia singulis in artibus eximiam perfectorum copiam, vt dum omnes ab aliis exprimunt, quæ in aliis vel obscuriora, vel penitus nulla sunt, nemo vitiosa sectari imitando cogatur.

Artes & disciplinas à pluribus, quam ab vno homine perfici optabilius est.

Et quoniam non doctrinæ beneficio, sed naturæ impetu; non alieno persuasu, atq; inductu, sed insita cupiditate, non deliberato proposito, sed velut anticipata propensione ad cognitionem inclinamus, quod desiderium rerum obiectarum infinitate nec obrui potest, nec extingui: fuerunt

ij qui signum hominibus ad scientiam sustulerunt ab omni sæculorum memoria bipartio distributi.

Duplex est via ad disciplinas capessendas, viua magistrorum vox, & scripti libri.

Alij enim viua voce præsentium animis doctrinam instillarunt, alij futuram posteritatis propagationem librorum scriptione iuuerunt. Earum autem, quæ sic traderentur, rerum nuntios, atque interpretes dedit natura sensus duos, aures atque oculos, nihil vt intelligentia dignum mentes nostras, cogitationesque præteriret.

Itaque sic humanæ curiositati consultum est, vt cui alter sensuum obtusus fuerit, is ab altero subsidium petat: cui foris à doctore scientiam arcessere non vacabit, habeat domi litteras; quarum cômentatione doctior euadat, meliorque. Equidem duo hæc, vt aliqui appellant, adiumenta; vt malunt alij, fundamenta scientiæ, tam esse homini necessaria iudico, vt hoc actionis ingressu, palam, aperteq; profitear, qui in altero planè claudicet, doctum peritumque posse esse neminem. Habere te magistros prædicas quorum vocibus aures tuæ assiduè circumsonent? id vt primis annis optabile est, & perhonorificum, sic iri ætatis flexu putidiusculum, in senectute intolerabile est. Librorum copiosam suppellectilem ostentas? nisi prima litterarum lineamenta magistri voce quasi penicillo in animo tuo effinxisti, quid sunt aliud ea volumina, quam stultitiæ tuæ abaci, gloriæ scopuli, ludibria hospitum, oblectamenta puerorum? Nimirum in scientiæ regnum per viuam magistrorum vocem aditus est, in quo si aliquem dignitatis gradum & gratiæ tenere vis, relicto doctorum officio, peruolutandis

ſcriptorum monumẽtis te totum penituſque dedas oportet. Eſt ergo tam æqualis in vtroque neceſſitudinis ratio, vt alterum ſine alterius acceſſione mancum, imperfectumque videatur. Sed exiſtit non indigna hoc loco, veſtris auribus, vt ſpero, non ingrata, de principatu inter vtrumque cõtentio. Nec iam de pura puta neceſſitate cõtrouerſantur, cum alteri inchoatam, alteri perfectam deberi ſcientiam nemo videat: ſed decantata illa magiſtrorum viua vox, plus in ſe momẽti ad ſcientiam, quam in omnibus omnium gentium bibliothecis eſſe contendit. Stat ex aduerſo pro doctis hominibus qui illuſtria ingenij monimenta reliquerunt, diligens & accurata ſcriptio, ſibique quicquid eſt in ſcientię acquiſitione iucunditatis, in poſſeſſione honeſtatis, in vſu atque experientia vtilitatis totum aſſumit atque vendicat. Magna cauſa (Auditores) & implicata ſanè controuerſia, nobilem hunc & eruditum conſeſſum poſtulabat, extra quem aut acutiores ad peruidendum, aut æquiores ad æſtimandum arbitros fruſtra requirat. Ego partis vtriuſque momenta ſic ponam in medio, vt nihil mei iudicij eſſe velim, ſed in veſtra auctoritate & arbitrio conquieſcam.

Altera pars controuerſiæ pro viua magiſtrorum voce, aduerſus ſcriptos libros.

Atque vt à magiſtris ducatur oratio, iure hoc meo dicturus videor, nec hominum iudicia reformidabo, abſque magiſtris eſſet, ſcientiam quã nunc vix tenemus, iamdiu nullam futuram. Non hic repeto primos eſſe veluti pictores, qui in can didis adoleſcentiũ animis ea lineamẽta deſignãt, ex quibus admirabiles virtutũ formæ, pigmentorum deinde florem & colorem accipiunt. Non

dico iter ad doctrinam obseptum laboribus, difficultatibus arduum, desperatione præceps, flexuosum varietate, fastidiis præpeditum sola Doctorum opera complanari. Non commemoro radices scientiæ amaras, suauitate vocis, actionis venustate, dignitate corporis mitigari: In viua voce, virtutis & efficacitatis inesse nescio quid, quod sentiri possit, explicari non possit. Patior hanc etiam mihi disputationem eripi, ante libros scriptos auditam in studiosorum circulis magistrorum vocem, paulatim autem dictata scriptaque quæ subtili obseruatione collecta essent, non vt præceptorum studium contemneretur, sed vt diutius prodesset industria: non vt neglecto docentium officio ad mutas literas, quasi ad expositum aliquem artis fœtum concurreretur, sed vt viuæ illius spirantisque vocis imago saltem aliqua circumferretur. Proh Deus immortalis! tamne est ingrata, tam immemor beneficiorum humanitas? quæ cum sacrosanctam scientiæ possessionem à magistris acceperit, eamque illi certam ac stabilem scriptis voluminibus effecerint, in eũ tamen errorem labitur, nisi quis Deus succurrit, vt vmbram corpori, imaginem archetypo, scripta auctoribus anteponat? Non vtor, inquam, hac actione; hæc causæ meæ robora abdico, quæ si tamen altè in animum vestrum descenderent, profligata iam & pene sublata esset controuersia.

Principia scientiæ omni necessitate à magistris petuntur.

Vnum accipio ab aduersariorum confessione, id est, à veritatis ipsius manu, quod nulla negare possit impudentia, nulla eleuare calumnia, nulla obscurare facundia: in magistris esse disciplina-

rum

rum omnium fontes, riuulos in libris: ab illis tanquam ab oraculo Themidis, omni necessitate scientiæ capienda esse primordia: sola magistrorum gratia & labore, omnia sapientiæ adyta reserari. Hic ego vos appello indagatores veritatis, venatoresque Philosophi, quicquamne frequentius vestris in scholis auditum est? aut si vultis quicquam verius in sapientum libris legitur, quàm, quibus modis, mediis, instrumentis, adiumentis, & si quod aliud verbum est, quo effatum illud declaretur, res aliqua in mundo existere incipit, per eadem in illa quam acceperat essentia conseruari? Quid? nobilem scientiæ partum, cuius se tantummodo obstetricem faciebat Socrates, quem excipere studiosè, peramanter fouere possunt parentes optimi, tanquam fœdam abortionem eiiciant, aut quasi furtiuam & vulgo susceptam sobolem, extrariis nutricibus alendum, educandumque exponant? Quid? cum omnis Doctorum labor, doctrina, studium lactescat, vt alumnos dulci nutrimento corroborent, contemnent illi has delicias, vt à mutis atque inanibus truncis succos fortasse nocituros exprimant? Cum seduli Præceptores nutricum more, teneris illis mentibus omnia mansa in os inserant, grauem aliunde cibum petent, quo non augeantur nascentes adhuc vires sed opprimantur?

Ad librorum ipsorum intelligentiam necessaria est magistri opera.

Atque hic vescendi modus quam & suauis sit, & facilis ad concoquendum quotidiana docet experientia, cum in librorum obscuritatem, locorumque asperitatem delati, inter instructissimos ferculorum apparatus fame & siti, vt est in fabulis, enecaremur, nisi doctorem aliquem,

aut etiam æqualem adhiberemus, cuius bene cocta & condita explicatione inte ligentiæ pluſculum obſonaremus. Quæ res quanquam ſatis ſe ipſa comprobat, exemplum tamen vobis propono, vnum è ſexcentis veritate certum perſpicuitate clarum, rel gione ſanctum : uguſtumque. Æthiopem, vt arbitror, eunuchum meminiſtis, eum qui Hieroſo ymis cum diſcederet, à Philippo religionis iam tum naſcentis myſteriis initiatus, & lauari potuit, & nigrorem deponere. Legebat ille ſolus in rheda Iſaiæ vaticinium, quo Aſſertoris noſtri luctuoſa mors non obſcurè continebatur. Applicat ſe Philippus ad currum, & perſanè l berali interrogatione hominem ſalutat, intelligeret ne quæ oculis percurreret, quæ magno ſtudio legeret: quæ contenta voce recitaret? Ego ne vt ea intelligam quæ mihi nemo homo vnquam explicuit? Atqui, dicere poterat Philippus, nihil eſt in hac doctrina reconditum, celebre oraculum eſt, quo prænunc antur ea quæ ante menſem geſta ſunt, quæque in oculis hominum pene adhuc geruntur: quorum diritatem execrata ipſa ſydera, præter naturæ ordinem, ſuorumque orbium conuerſiones, luminis defectu Hieroſolymam primùm, tum orbem vniuerſum damnauerunt. In hac te corporea caligine ſolum animo cæcutiſſe? vnum è tot proſelytorum millibus tam potentem, tam carum principibus ne auditionem quidem de re adeo conclamata accepiſſe? videor, ait ille, ſuſpicione neſcio quid attingere de Nazareno quodam nuper in crucem acto, qui ſe pro Meſſia venditaret, ſed hæc quæ lego, *quomodo poſſum intelligere, ſi non aliquis oſtenderit*

mihi? Atqui ea ipsa quæ legis de Nazareno illo dicuntur, & facili temporum applicatione in eum mirificè conueniunt, vt tutè videre incipis. Quomodo possum sine duce, sine explicatore, sine magistro? Quid? sine magistro tam illustria noua rum rerum prodigia neglexisses? tam perspicuas futuri vaticinationes, quarum euentum pene oculis vsurpasti, præterisses? primum summumque Iudaicæ legis caput, cuius tu te candidatum profiteris, acta scilicet Messiæ mortemque ignorasses? Certè, si nemo docuisset. Non docebat liber? non prædicebat vates? non monstrabant digito tam eximia, tam inusitata naturæ patientis portenta? vanum erat & inane quicquid extra magistri vocem poterat adhiberi? At enim quid est mirum ab externo homine non peritissimo Prophetæ dicta intelligi non potuisse, quæ natura sua tam sunt obscura, vt in hac Euangelicæ cognitionis luce, in tanta librorum, commentatorumq; copia, vix ab ingeniosissimis possint percipi? Multi mihi credite (Auditores) quasi diuino quodam afflati spiritu furere volunt, & Prophetica lingua loquuntur: vt tum demum doctos se, peritosque haberi autument, cùm ea scripserint quæ nemo sanus intelligat. Non hîc commemoro Heraclitos, Aristoteles, Lycophrones meras tenebras, cum Antonius Ciceronianus Poëtas Græcos omnino quasi alia quadam lingua locutos non conetur attingere, cum Cicero ipse neget habiturum se tempus quo Lyricos legat & Dialecticos, si vel ætas duplicetur. Itaque quàm multi in obliuione sempiterna iacerent auctores, quàm multi altera manu nos ad se inuitarent, altera re-

iicerent scriptores, Id est, vtilitatem earum, quas inuenerunt rerum obcœcarent, nisi animata præceptorum explicatio lumen afferret?

Magistri librorum commentatoribus longè plus prosunt.

Vereor vt aliquorum opinionem fefellerim, qui quod esse in Grammaticorum Rhetorum enarratorum officio videbatur, id magistris assignarim, Ita dico (Auditores) tam est verum scriptorum comprehensionem à viua magistrorum voce pendere, vt ipsi commentatores quia non spirant, lentius, imperfectiusque auctorum sensa depromant. Equidem de me nihil dico, qui scio quàm in omni re nihil sim; sed audiui plerosque doctos, qui dicerent, isto hominum genere nihil esse gloriosius imperitum: Quippe qui scriptorum elucidationem magno ambitu promittant, & sæpè loquantur ænigmata: cumque præcipuorum locorum obscurationi, tanquam capiti mederi deberent, leuicula quædam & protrita quasi reduuiam, curare satagant: in iis denique reperiri quod sciamus, deesse quod requiramus. Alia longè docentium est ratio, alia conditione ad Lycophronis, Persij, Aristotelis, diui Thomæ, & si quid est istis vel difficultate rerum, vel profunditate sensuum, vel conformatione verborum tenebricosius, enarrationem aggrediuntur magistri. Habent solertes, acutos, discendi cupidos auditores; illi videlicet honestum verborum tectorium difficultati inducent isti crebro interrogationum impulsu deiicient: præteruehentur illi locum vnum tanquam infestam Charybdim, quàm poterunt concitatissimo cursu? isti intueri & respectare cogent: circumrodent illi tempus eximendo, diem ducendo? hi deuorare cong

pellent : nihil demum effugiet in cuius certa & contestata explicatione non omnium ingenia conquiescant. Quamobrem nemo est qui non affirmet longè difficilius esse scholam auditoribus explicare quam libris, contra quos nemo tum dicat fucum facere; Atque vt progrediar vlterius, alterum altero esse ingeniosius : cum sapientes ab omni æuo id professos esse videam, vt quæ scirent ipsi liberaliter cum æqualibus communicarent : suam autem doctrinam scriptis mandasse perpaucos Nisi forte Epicurum qui plura quàm quisquam Philosophorum scripsit, sapientiorem Socrate fuisse velimus, qui de rebus Philosophicis neque ipse scripsit quicquam, neque omnia de se à Platone scripta comprobauit. Versibus autem Æsopiam fabulam incompositè composuit, puto vt sic quoque scriptores, homo festiuissimus irrideret.

Artes quæ non minus vsu discũtur quàm studio, præceptoribus carere non possunt.

Quid dicam de mediis quibusdam artibus, quæ non solum animos cognitione pascũnt, sed cum ita fuerint inchoatæ, in actiones prodeunt? quas nollem profectò cum explicantis voce, tam arcto necessitudinis vinculo colligatas : haberemus enim ingeniosissimas operosæ artis machinationes, alibi quàm in libris Archimedis : exciteremus magnificas basilicarum substructiones, aliter quàm Vitruuius in tabula: morbis mederemur grauibus & mortiferis felicius quàm Hippocratis aphorismi. Atque libri illi per mihi similes videntur hominum simulachris, quæ alicuius Polycleti manus ad vnguem fecerit atque poliuerit, sic quidem vt ea putes viuere : ita vultus in spectatores intentus, venusti atque integri

oculi, labia semiaperta, digiti vocem gubernaturi exprimuntur. Quod si ea compellere incipis, vt Bucephalus suæ effigiei adhinniebat, si quod ab eis responsum exprimere conaris, saltem vt à Memnonis statua; tum enimuero prodent ipsa se, & vt inanima turpiter obmutescent. Non alio sanè modo spirare putamus in libris auctorum ingenia, cum ad ea accessimus: sed si quid à nobis rogantur, si consuluntur, aut conticescunt penitus, aut malignè respondent. Et quemadmodum in Republica leges à sapientibus constitutæ sunt, quæ iubeant facienda, prohibeantque contraria: vt est tamen hominum vita innumeris casibus obnoxia, existunt sæpè controuersię graues & obscuræ, quæ sapienti principis interpretatione, id est, viuæ vocis oraculo indigeant, quæ si deesset, iudicum tribunalia, licet omnibus Platonis legibus circumsepta, iniquitate & iniuria redundarent. Sic in regno literarum, etsi nulla doctrinæ pars à libris peti non possit, nisi tamen animatę bibliothecæ vsus accésserit, in multarum rerum ignoratione homines quantum libet sciendi auidos versari necesse est. Tuum hîc ingenium Plato, tuam in iudicando diuinam mentem appello; tu dicebas literas ipsas atque characteres, quæ scriptores isti veluti memoriæ alleuamentum, doctrinæ vasarium, rerum memorabilium apothecas osculantur, nihil aliud Regi sapientissimo videri potuisse, quàm pestem memoriæ, negligentiæ matrem, laruam sapientiæ. Vos antiquorum doctissimi Pythagorei, vestram Druidæ, maiorum nostrorum decus immortale, viam, & rationem docendi obtestor, qui sanctissimo

decreto cauebatis, ne doctrina vestra scholasticorum tantum aures prærueheretur & libris impressa sorderet. Quàm iucundum erat videre senem Druidem in doctis illis cauernis nobilissimo Adolescentum comitatu circumseptum, sine vllis librorum impedimentis aliquot versuum millia de rebus obscuris, & sub imibus enarrantem, cuius verba tanquam ex tripode oracula auidissimis mentibus hauriebantur. Redeat vtinam ætas illa aurea qua præclara Magistrorum cogitata non calamis excipiantur, sed animis, neque discipulorum chartas impleant sed ingenia!

Hæc melioris partis firmamenta cum expono cupidius, ignoscitis opinor (Auditores) meam, meorumque sodalium causam agenti, qui quoniam ætatis florem magno labore & contentione in Scholis infringimus, sæpenumero dolemus operam nostram fieri non quanti debuerat. Nam, per Deum immortalem, longè difficilius est quàm vulgus hominum existimat, ad officium erudiendæ iuuentutis tanquam in pistrinum aliquod compingi atque detrudi, vt cum caput, oculos, stomachum morbis grauibus & diuturnis oppresserimus; cum noctes studendo, dies vociferando traduxerimus, cum corporibus exantlatis atque animis Scholasticos admodum paucos in peritorum numero & Reipublicæ luce constituerimus, desidiosam artem, agriculturæ, mercaturæ, militiæ contrariam, vrbibus, rebusque publicis nulla ex parte vtilem tractare dicamur. Quæ si vera sunt, si inutilia ciuitatibus, nocitura quæstuosis artibus studia exercemus, oppilentur sanè Gymnasia, diffringantur exhedræ,

exterminentur cum graui illa studiosorum multitudine Præceptores: fiant Collegia publicanorum tabularia; Scholæ Argentariorum tabernæ; subsellia, fœneratorum loculamenta; musarum domicilia, fraudum receptacula; parietes sacri periuriorum officinæ: solæ aperiantur bibliothecæ, in quas se abdant si qui sibi ab hominibus exilium, & immaturam in omni vita sepulturam indixerunt. Hanc ineptorum hominum Philosophiam non gustaras Henrice magne, cum flexiensem Regiam, quæ tibi viuendi principium fuit, iis tam liberaliter condonasti, qui scilicet Scholasticis intenti negotiolis, nihil adolescentibus vtilitatis, nihil vrbi quæstus atque lucri, nihil patriæ splendoris & gloriæ essent allaturi: quanto satius fuisset aularum istarum spatia bibliothecis, Scholas scrutariorum tabellis, areas gallinarum cortibus, hortos & nemora fungis & caulibus assignare? Neque iam tibi integrum est illo vti consilio Ludouice, & tu supra ætatem magne, qui Palense collegium huic paterno suppar, apud Benearnenses illos tuos nuper instituisti. Errabas videlicet, si credidisti ingenia illa quæ ignorantia, quæ furor, quæ rebellio, quæ scelerum omnium procreatrix hæresis efferarat, posse condocefieri & mitigari voce docentium. Comparanda potius erat bibliotheca, eaque libris omnibus luculenter instituenda, qui tanquam ferocientes equos in gyrum rationis & doctrinæ ducerent. Nimirum ingens illa prouincia ad quam Catholico nemini patebat aditus, ad librorum aspectum, quasi obiecta Gorgone, superstitionis suæ oblita insaniam ex animo, arma de manibus

Ludouicus 13. collegij Regij Palensis in Benebarnia fundator.

abieciſſet, & auitam ſanctorum Religionem amplexata eſſet citius, quam aſparagi coquantur. Non eſt quod ludamus in ſeriis (Audit.) hoc iniquè comparatum eſſe video, vt magiſtris maiori labore exercitis, atque adeo magis vtili & neceſſario, minus detur gloriæ: ſcriptores autem ſi quid paulo elegantius in membranas retulerunt, ſtudioſè colligatur, vniceque laudetur. Cuius quidem conſuetudinis tum ab omni humanitate atque ratione derelictæ, ſi quid ego ſentio, hæc cauſa eſt, quod generis humani vitio noſtra bona carendo potius ſentimus, quam fruendo; & ſeculo noſtro inimici præterita miramur ingenia, præſentia faſtidimus. Quaſi vero vel tot exactis ætatibus effœta ſit natura, vel cum Platones, Ariſtoteles, Homeros, Cicerones creauit, vim ſuam in eis omnem profuderit. Id quam iure ac merito æſtiment homines dicere prætermitto, quia partem alteram cauſæ deſiderari iam video, ad quam fauore veſtro fretus aggrediar (Audit.) non vt ea quæ ſunt à me ſtabilita conuellam, niſi iuſſeritis: neque vt in aliam ſententiam pedibus eam, niſi vos præceſſeritis: ſed ne aut ego controuerſiæ præuaricari puter, vna tantum parte propoſita: aut vos indicta cauſa temerarium iudicium ferre videamini.

Altera pars controuerſiæ pro librorũ ſcriptione aduerſus viuã magiſtrorum vocem.

Dico igitur in primis ſi qui generoſius inuidiam æqualium eluctati, ad poſterorum manus peruenire potuerunt, apud illos verius iudicium reperiſſe, obtrectatione & maleuolentia liberatum. Quo bono cuiuſmodicumque illud ſit, ijſe priuarunt qui præſente & temporali Auditorum plauſu & acclamatione contenti, ſui nominis

prædicationem vitæ finibus terminarunt. Quot enim post inuentas, excultasque litteras extitisse putamus viros sũma sapientia, omnibusque ingenij dotibus ornatos, qui quoniam scriptis libris temporum iniquitati superstites esse non potuerunt, iacent hactenus sempiterna quadam obliuione contriti? Neque de iis tantum loquor, qui scribendi ambitione caruerunt, cum viuam vocẽ vtilitati publicæ impenderent: verum etiam de iis qui cum doctrinam suam litterarum monumentis tradiderint, ne tenue quidem eius vestigium ad nos vsque propagarunt. Vellem enim vt tam facile nobis persuaderet aduersarius, quam simpliciter, confidenterque ponebat, ex ingeniosis & sapientibus hominibus neminem non docuisse quæ inuenisset; scripsisse autem paucissimos Huius dicti auctorem & testem producere debuit vel vnum locupletem, qui vel librorum inopiam in veteribus bibliothecis accusaret, vel qui Moses, Dauides, Salomones, Trismegistos, qui Platones, Aristoteles, Chrysippos, Carneades, Didimos, Varrones, Cicerones, Senecas, qui Augustinos, Hieronymos Origenes, Basilios, Tostatos, Aquinates, Suares, & ne ambitiosus videar in nominibus, qui illa Bibliothecarum lumina, illos ingenij soles, illos doctrinæ fontes non fuisse suæ tempestatis ingeniosissimos & sapientissimos pronunciaret Si quis eiusmodi testis vestrum in conspectum se daret, verberaretis opinor conuiciis & sibilis os hominis illius durissimum: Ego vero qui causam hanc non ardentissimè suscipio, argumentis, vt arbitror, satis probabilibus ab hoc eum errore deducerem. Sic

Qui omnibus seculis docti extiterunt, ij aliquid videntur scripsisse.

enim existimo doctis omnibus innatum esse aliquem gloriæ stimulū, aut (si sanctiores esse volumus) vtilitatis publicę desiderium, quo impellantur acriùs ad ea quę magnâ animi cōtentione cōmenti sunt, aut labore diuturno è veterum libris hauserunt, euulganda, Hæc est quotidiana gloriæ titillatio, quæ certè veteres incitare debuit vehementiùs, tantâ sapientiū penuriâ, tam incredibili scribendi licentia, tam ardente immortalitatis cupiditate. Hinc illæ immanes bibliothecæ, vt Pergamenæ quas Antonius Cleopatræ dedit ducentorum millium voluminum; vt Alexandrinæ septingentorum & amplius millium; vt sacra Ægyptiorum quæ in Osymandiæ sepulchro iam à primis illis sæculis recondita, nullum fuisse tempus ostendit vacuum, libris inops, à litteris.

Librorum scriptio prius in vsu fuit quam magistri docere instituerent.

Monet istat me vetustissima, quam animæ medicamentum sapientes illi nuncupabant, vt alteri prauæ hominis istius opinioni medicinam faciam. Magistros aiebat prius docere instituisse, quam libri extarent vlli: hoc si præcisè nego, quo me auctore, qua ratione conuincit? Quid si non à Magistris libri, sed librorum ope Magistri docti & clari extiterunt? Quid si omnis scientiæ initium non à Doctoribus, sed à libris repetendū est? nūquid enim libros appellare possumus genuinas illas columnas, alteram lateritiam, lapideam alteram, ab Adami posteris ad conseruandam siderum scientiam erectas, quæ aquarum eluuionibus, & orbis vniuersi deflagrationi superesse debeant? libri non erant nobilibus inscripti characteribus, Mercurij in Ægypto columnæ ex quibus Pythagoras & Plato Philosophiam didice-

runt? Quid? ille ipſe antiquiſſimus Triſmegiſtus, qui omnia Ægyptiorum myſteria plus triginta ſex voluminum millibus tradidit à quo primum fonte tam multa, tam recondita habuiſſe cenſebitur? Quid? Hiſpanienſes Turdetani qui grammaticam & poëmata à ſex annorum millibus ſibi tradita gloriabantur. Quid? Druidæ noſtri qui magnum verſuum numerum diſcipulos ediſcere cogebant, an aliunde quam à libris tam veterem doctrinam repetebant? Itaque ſic ſtatuendum eſt diuinitus acceptam rerum obſcuriſſimarum ſcientiam, primos homines mandaſſe litteris, quæ per temporum vices in recentiorum ſapientium, vt Pythagoræ, vt Democriti, vt Platonis manus venerint; poſteaque conſequentes paucorum adiectione ſuos hortulos auguſtis illis fontibus irrigaſſe. Quæ mihi omnia perſuadent pauciſſimos vnquam fuiſſe ſapientes & doctos, qui ſcribendi impetum homini naturalem abiecerint: quin potius quo præſtantiore veterum aliquis fuit ingenio, eum plura doctrinæ ſolertiæque ſuæ monumenta reliquiſſe.

Longè accuratior eſt auctorum ſcriptio quam Magiſtrorum prælectio.

Atque illa ſapientiæ oracula cum animum ad ſcribendum appellunt toto pectore, vt dicitur, cogitãt ſe poſteritati ſcribere, quæ neq; errãti veniã dare ſoleat, neq; commodare gratiã non merenti. Lege ſeueriori quã vocales illos Magiſtros doctrinæ cãpum & laudis ingredi: illorũ vitia tegi formę dignitate, & actionis venuſtate: iucundã atque adeo probabilẽ fieri orationẽ voce canora atque flexibili, ipſa etiam appellandarum litterarũ ſuauitudine: in illis copiã videri maiorẽ, quod dicũt omnia, quod magno impetu verba cõuoluũt,

quod torrẽtis more fluũt turbidi quidẽ, ſed tamẽ admirabiles audiẽtibus: ſic dicendo fieri nimis ſępè, vt apud eos etiã qui ſapere ſe putãt, minꝰ eruditi pro ingenioſioribus habeantur, & illis verborũ pręſtigiis lapides pro gẽmis, ęs pro auro, fumũ pro odoribus venditẽt. Scripta è cõtrario placere per ſeſe, non actione blãda conciliatricula, aut vocis lenocinio cõmendari, hoc agere lectores diligenter & otioſè, vt dicta, vt ſentẽtias, vt verba ipſa ſuis ponderibus examinent; quapropter certa ſcribi debere, quæ Carneades non labefactet; bona, quæ Ariſtarchus ſtellula inſigniat: vtilia, quæ Cornutus non improbet: ſelecta, quæ Perſius nõ faſtidiat: nouaquę Seneca malit: ſubtilia, quę Stoici amẽt: ſublimia, quę Pythagoręi ſpeculẽtur: ſuauiter, vt legant Epicurei: clarè, vt Lælius Decimus intelligat accuratè, vt à poſteritate voluãtur. Nã cito nata, cito intereũt, & vt præcoces horti Adonidis caducas florum amœnitates nõ immaturius oſtentant, quam citius flacceſcunt: ſcribendi cura æternitatem fecit aut meretur. Has atq; id genus cogitationes cũ animo penitus imbibit ſcriptor ille ingenio & doctrina præſtans, ſibique perſuaſit immortalitatẽ nominis labore quolibet bene cõſtare: dat ſe deinde totum quantuſcumque eſt in ſcriptionem: Deus ſancte! quæ monimenta ingenij, quas ſcriptorũ gemmas, quam ſapientiæ medullam, cura illa profundet! Equidẽ eius libri ſententiolam vnam, vnum verſiculum memoria cõplecti malim, quam totũ diem Aios iſtos loquẽtes audire, quorum leues floſculi cũ aurora nati, meridie ſeneſcũt, cum ſolis lumine extinguuntur; Age, ſume aureum iſtud volumẽ in manus, aperi,

lege, vide quã infit multarum rerũ cognitio, quã vibrantes claræq; sententię, quam decorè non insistat interius, nõ excurrat lõgius oratio! lege iterũ & sæpius: vt omnia inuicem ex se apta & cõnexa sunt! quam placet iudicium electioq; verborũ quam pressè enucleatéq; disputat sine molestia! quã amplè ornateq; differit sine ostẽtatione! Pete, repete eundem librũ, eundem locũ, plus sapiet quo crebrius regustabis. Atque vt sacra Eleusinia, sic initiatos admittunt, vt tamẽ in recessu seruent quod reuisentes prolectet: ita magnorum ingeniorũ occulta & retrusa doctrina, sẽper habet quò studiosorũ famẽ exacuat. & cognitionẽ vnius rei per se magnã, vult tãtũ esse promulsidẽ secuturę.

Omnes homines docet scriptor, magister paucissimos.

Has sapiẽtiæ delicias propinãt scriptores nostri: quibus? an duobus discipulorũ millib⁹ quod pro magna re cõmemorãt accidisse Theophrasto? num potius omnibus hominib⁹ quicũque ea tẽpestate viuũt, quiq; omni posterorũ ęternitate cõsequẽtur? Mihi quidẽ Galatõ olim huiusmodi quiddam videtur hominib⁹ probare voluisse, cũ Homerum pinxit euomẽtẽ, reliquos autẽ circũfusos Poëtas, qui magna auiditate expectorata illa sapiẽtię frusta colligerẽt. Fingite quã vultis immẽsam eorum multitudinẽ qui se omnib⁹ sæculis sciẽdi cupidos professi sũt, post euulgata Plat. & Aristot. placita, eosq; in capacissimũ quẽdã locũ cogitatione cõuocate. Hi omnes tã dissiti regionib⁹, tã seiuncti ætatib⁹, tã repugnãtes morib⁹, tam dissimiles studiis, si quid sunt, si quid habẽt, vnde hauserunt? à Platone, ab Aristotele. Quomodo acceperũt? Nõ certè viua voce vt Rabbinicam cabalam; sed peruolutatis eorum scriptis, quibus illi doctrinæ suæ

ſuccũ & incorruptum ſanguinẽ tradiderunt: illos ego ſi rogẽ vtris plus philoſophia debeat, Platoni & Xenophonti, an Socrati? dubitabunt opinor præceptori diſcipulos, docẽti loquẽtiq; ſcriptores anteferre? Scæuolas, Aquilios, Seruios ciuitatũ oracula ſuſpexit antiquitas: ij-ne plus iuriſprudentiá ornarunt quam Vlpiani, Pauli, Papiniani? Protagoras Abderites annos quadraginta oratoriá artẽ profeſſus eſt, Quintilianus tantũ viginti, Ariſtoteles vix vnquam: ſcire aueo quem iſtorũ minimè noſtra intererat inter homines viuere? Rẽnius Palæmõ Rex Grámaticorũ ſecũ, natas ſecũ morituras litteras iactabat: & effecit porro vt ſuæ morerẽtur, qui nihil de arte ſua litteris mádauit: eum ne Grámatici olim extitiſſe iam malint, quá Donatũ, quá Diomedẽ, quá Priſcianũ? Facite vt in illa antiquitate omnes Socrates, Scæuolæ, Protagorę, Palæmones fuerint, nihil quiſquá ſcripſerit, omnes ſcholá exercuerint, quod tũ ad opinionem ſcientiæ inter auditores colligendam cõmodius videbatur; quid eſſet modo in vlla diſciplina perfectum? Aut potius quá ſcientiá teneremus cũ inuenta quędam ingenioſiſſimorũ hominũ ne veſtigio quidẽ perſequamur? quia præceptis contineri, ſcriptis propagari non potuerunt?

Magnũ eſſet dicere quátopere veneranda ſcriptorum ingenia poſteritatem iuuent, cum pręceptores ſuo tantum ſæculo, & æqualibus ſeruiant. Sæculo autẽ & æqualibus? pauculi Adoleſcẽtes, & ij quoque maximam partem, vel nõ facti à natura ad ſcientiam, vel praua libertatis cupiditate laboris inimici, æqualium pars quota ſunt? ad Iſocratem audiendum tres conuenerant, duos

Omnibus ſæculis proſunt libri, paucis annis præceptoris viua vox.

admisit, tertium exclusit; Epicurus Metrodoro suo dicebat, *hæc ego non multis, sed tibi: satis enim magnum alter alteri theatrum sumus*; laudatur & ille qui cum artem paucissimis traderet, *satis sunt, inquiebat, mihi pauci, satis est vnus, satis est nullus*. Horas autem tu aliquot, & eas necessariis negotiis occupatas, febricula interceptas, catarrho obscuratas sæculum appellas? Cogitate amabo concursum fieri ad audiendum peritum aliquem virum, percrepuit æs campanum, conducta sunt subsellia: dum expectat conuentus, pro se quisque de laudibus docentis inuicem murmurant: neminem vidisti qui obscura clarius, qui implicata facilius expediat: dicit semper ex tempore, sed quasi diu scripserit. Quid autem hominis est? nam docentis multum interest, non tantum quis sit, sed qualis appareat: Et si nugas ageret, ipsa medius fidius pronunciatio, vultus, habitus, gestus, admirabilitatem meretur. Quanti autem docet? Et si ab Isocrate didicit, artem tamen diuidit: cæterum talento vilis est. Huic homini quando corpus duplicare non potest natura, quid vos illum vni loco quasi rotæ Ixionem alligatis! Quid? tantum hominem velut cymbalum iuuentutis tota Gallia circumferri velles? hæc illi vrbs theatrum est refertissimum celebritate, magnitudine amplissimũ, iudicio eruditissimum: natura autẽ ita resonans, vt in omnes regiones voces referantur. Nihil ne in vulgus emisit? Optabamus id quidem amici, sed hoc ambitionis genere minimè omnium tenetur. Itaque suo sæculo se penitus dedit, totus noster est. Vester profecto apud quos sapientia viuo gurgite exundat,

Hypotyposis magistri auditorum expectationem frustrantis.

sed

ſed nos leucis hinc plus ſexaginta diſſiti, qui pluuias aquas vix colligimus, apud quos ipſi in gymnaſiis fontes ſitiunt, hoc ſæculi bono careamus neceſſe eſt. Atqui Gaditanus quidam ab Herculis columnis Romam venit, Romam non viſurus, ſed hiſtoricum. Eſto ſanè veſter Tito Liuio eloquentior, dulciorque: mihi neque per rem familiarem, neque per negotia licet tam feliciter ineptire; ſed quando bona huc me fortuna, Deo vtar hodie, cras, cogito: dicam in patria quod ille, Romam vidi, Theodoſium vidi. Dum hæc familiariter, vt fit, ſermocinantur, adeſt pro doctore nuntius: fit ſilentium: hodie non docebit Pomponius, irrauſit. Quid ait? non veniet, abeundum. Hic circunſpectare ſe homines, ille contracto ſupercilio renidere, hic frontem ferire, alius caput ſcabere, omnes ſe ſua deluſos expectatione ridere, &, ſi quid prodeſſet, iraſci. Hem ſæculi bonum! Hem præſtitum æqualibus docendi obſequium! Hem viuæ vocis pretioſa poſſeſſio! quanto fideliores in libris certioreſque magiſtros habemus? Primum enim non patiuntur officium ſuum conciunculæ vnius finibus contineri, ſed tanquam publici orbis doctores, quo vox non poteſt pertinere, mittunt litteras. Eodem ergo & temporis & difficultatis articulo docent eum qui Pariſiis, & qui Romæ ſtudeat; ſine vllo raucitatis periculo Conimbricæ ſimul audiuntur & flexiæ. Deinde nemo queritur aditus ad illos eſſe difficiles: nobiles & purpuratos tantum admitti, ſperni tenuiores; nemo vbi diu ſtetit ad ianuam, laſſi ianitoris faſtidio remittitur, ſed expectant ipſi te fixo pede immobiles; ſi lubet, vtere; ſi

Libri commodius docent quam magiſtri.

commodum non est, alio die. Vrget lucubratio? tecum si voles pernoctabunt. Antelucana vigilia opus est? Nullus Galli cantus somniculosos reperiet. Hic subobscurus est? nocet meridiationi? alium habes solutiorem & amœniorem Styli guttam à te exprimere non potes, ita durus & siccus es? Lude cum poëtis, fabulare cum Historicis, deliciare cum Philologis; Nam si Præceptori das operam, quomodocunque aut animo aut corpore sis affectus, id accipias oportet quod ille tradit; libri autem liberrimum tibi permittunt studiorum arbitrium.

Tenuia tantum scientiæ principia paucis annis tradunt magistri, reliquas vitæ & doctrinæ partes libri occupant.

Sed ne aduersarium videar fingere & ex eius horaria raucedine triumphum canere: Da mihi, semel dicam, vitiis omnibus detractis, omnibus numeris absolutum præceptorem: Is doceat eruditè, peramanter, solicitè: perdius & pernox scholas atterat, sit consulentibus discipulis omnium horarum homo. Quæro ex te quos instituit? respondebis opinor iuuentutem, nisi fortè senes elementarios vidisti, aut malis bene barbatos viros, coniugandis, declinandisque vocibus, heteroclitis ex regula perdiscendis, concordantiis exercendis audire nugantes. Illos ipsos iuuenes quos à teneris vnguiculis informandos habet, quo tandem scientiæ perducet? vsque eo scilicet dum ipsi sua sponte progredi possunt. Vt qui viam ignaro monstrat, necesse non est vt totius itineris ducem se profiteatur: Sed compendio rescissis anfractibus, euitatis voraginibus, superatis syluarum ambagibus hominem ponit in patentem planitiem, vnde eat porro comite genio, vna lata, perpetuaque in vrbem via est: sic

nos in ſcholis peritos non facimus : ſed principia damus quibus cum ætas à Magiſterio exceſſerit, periti per ſe ſe efficiantur. At pace tua dixerim durum eſt iuuenem hominem qui ſub Magiſtrorum cura creuit ſubito ſibi permittere. Committo vero illum muſis & libris, hi ſunt reliquæ ætatis Magiſtri, vltra quid doceam non habeo ego. Quantum temporis eſt, ex quo tu illum erudiendum ſuſcepiſti ? quinque admodum anni, nam præſtat ingenio & fertile ſolum eſt, plus reddidit, quàm acceperat. Quinque tu igitur annos diſciplinæ tuæ toti hominis illius vitæ, id eſt, triginta aut quinquaginta annis antepones ? Ego hominem immortaliter obligaui, ieci in eius animo fundamentum ſcientiæ, feci vt poſſet, vt auderet, vt vellet addere Colophonem. Tuum eſt fateor immortale beneficium, cui parem gratiam, ne vita quidem Neſtoris referre poſſit : ſed priuato ſtudio, ſed libris, vt non æquè debeat non efficies. Apud Calliſtratum didicerat Demoſthenes, qui niſi octies ſua ipſe manu Thucydidem ſcripſiſſet, orator nunquam fuiſſet. Annos, vt aiunt, viginti Platonem audiuerat Ariſtoteles, qui niſi magnum librorum numerum compilaſſet, diſcipulos non reperiſſet. Moloni & Apollonio ſtuduerat Tullius: ſed eum Græcorum lectio, Craſſi, & Antonij exempla, indefeſſum ſtudium ſummis cauſis parem effecerunt. Marcum Varronem Romanorum doctiſſimum libros hellando feciſſe ſcimus, per quos Magiſtros profecerit neſcimus. Non ibo per artes ſingulas : Vos hîc alloquor, Auditores omnibus artibus & diſciplinis ornatiſſimi; & ſic quidem appello, vt ſi vos aliud

quàm quod rogo sentitis, potestatem esse cu-
p am contradicendi. Conferte vestra in scholis studia, cum hodierna doctrina; id quod viua Magistri voce percepistis, cum eo quod ex libris hausistis: secernite diligenter præceptorum beneficium, à beneficio librorum. inuicemque comparate. Iam exurgat vnus aliquis ex eruditissimo hoc consessu qui aut nihil, aut certè minus acceptum libris referat; Existat ille quisquis est, nouerimus libenter virum inter Magistri manus tanquam in nutricis sinu adultum; aspiciemus hominem sine vllis chartarum tricis, eorum quæ puer in scholis licit ruminatione perfectum: Videbimus eum quem iam diu quæro, quem ne cogitatione quidem satis adhuc informaui, quem silentio vestro fatemini vobis hactenus ignotum, cogitis dicere, doctorem sine libris: Quod si hominem eiusmodi neque præterita, neque nostra viderunt tempora, viuam profectò Magistrorum vocem à magnifico & latè patenti sæculi nomine, in quinque plus minus annorum angustias compulimus.

In ipsis etiam Scholis librorum opera est necessaria.

Quid si ne illud quidem lustrum librorum opera & necessitate vacat? Quid si efficio adolescentes in Scholis ipsis plus à libris accipere, quàm à Magistris? Difficile non est id demonstrare, si credimus quod res ipsa loquitur Scholis præfici homines qui periti sunt. Peritum enim quem vocamus, aut hoc nomen in quo homine ponimus? Certè in eo qui multos auctores euoluerit, multos collegerit multos memoria comprehenderit. Nam vt se hæc habent tempora, quid à quoque dicatur tenere, qui locus ab vllo diligenter tracte-

tur meminisse, quis huius atque illius auctoris vsus sit dicere posse, scientia est. Video equidem non esse occupata omnia, inuenta sapientiæ adire possumus tanquam multorum hæreditatem, & more patris familias ampliora facere quæ accepimus? Sed fatendum est ingenuè seu difficultates, quæ videntur inenodabiles, impediunt; seu commentationis labor reuocat, seu temporis angustiæ obstant veterum cogitatis aliquid adiicere: propria nostrûm omnium doctrina est aliorum scire doctrinam. Quicunque enim docemus, quid aliud sumus quam scriptorum interpretes, viua volumina, voces mortuorum? nos instar apium rosis vndique, floribusque libatis, mel non facimus, sed colligimus, apteque in fauos digerimus. Ego certè posteaquam in Schola adolescentes ad eloquentiam informaui, aut facem ad obscuriores auctorum locos prætuli, vbi semel cubiculi mei limen attigi, vbi sacer ille angustusque librorum chorus in conspectum venit, depono Magistri personam (Auditores) & me rudem atque integrum discipulum trado illis sapientiæ principibus. Hîc enimuerò mea se mihi ignorantia, vt in speculo repræsentat: Hîc lego Socraticum illud nihil scire me, cum à libris discessi; quotidie miror tam noua à veteribus Magistris doceri, tam recondita à vulgaribus, tam multa ab vno, tam rara à compluribus. Itaque cum sedentes in Scholarum tribunalibus præceptores auditis, Adolescentes, duos Aristoteles, duos Cicerones, Homeros, Virgilios audire vos putatote; spirantem alterum cuius animata vox ad vestras aures perueniat, mortuum alterum, qui tamen vitam

ipsi ministret & spiritum. Nam vt in foro Romano cum Nomenclator obuij alicuius nomen ad aurem domini insusurrauerat, duo erant, & vnus salutabat: sic in Scholis quotidie euenit; vt duo doceant, & vnus loquatur. At verendum sæpenumero ne blandientem domum resalutemus, nomenclatorem tanquam ignotum prætereamus.

Verum non videtur quod prior sententia ponebat, scriptorum obscuritati elucidationem magistrorum semper mederi.

Illud saltem inquis à doctoribus in nos commodum deriuatur vt eorum labore & perspicaciores in obscuro, & firmiores simus in lubrico. Audio: redis ad tenebras, Æthiopis cuiusdam stupiditate vehementer exaggeratas, in quo tuam leuissimè dico, requiro prudentiam, qui vni externo & barbaro homini ad percipiendum Prophetæ sensum, necessariam fuisse viuæ vocis efficacitatem disputabas. Cum meminisse deberes tot Philippos, tot Deo plenos Apostolos, & Apostolorum comites, voce illa cœlitus excitata atq; inflammata, tot hominum millibus nunquam persuadere potuisse verum Dei cultum, qui Prophetarum, qui Sybillarum oraculis, qui ratione ipsa, qui est diuina manu scriptus liber, & omnibus ad legendum expositus, continetur. Difficiliores sunt authorum loci. Caue ne tuum hoc vitium sit, & non obscuri illi, sed tu minus acutus & solers videare: neque enim obscuratur meridie cœlum, etsi quis lippitudine impeditus solem non videat. Ter quater-ue retractata, expensaque verba vix tandem percipis? Næ tu delicatus es qui ad limen scientię consistere non vis, sed intrare subito; imò ne intrare quidem sed irrumpere, neque fores aperire, sed effringere. Est interim

cur habeas ſcriptori gratiam, qui ſtare iuſſus obtemperat, reuocatus apparet, & quod lentè matureque ſcripſit, vult à te cum mora & prudentia æſtimari. Tua autem viua illa vox mori in te multarum rerum intelligentiam cogit, ſi quid incidit in animum aliud cogitantem: nam aures tantum ferit extrinſecus, neq; ſe tractandam præbet; aufertur, teque irreuocabili neceſſitate ſecum abripit. Quod niſi ſæpius quàm neceſſe fuerat eueniret, non video Theologi atque Philoſophi, vos enim hæc præcipuè ſpectat oratio, cur dictatis veſtris tam nihil veſtro labori, Scholarum tempori, Scholaſticorum operæ & ſtomacho parceretis.

Id Gregorij Nazianzeni exemplo confirmatur.

Sed, heus tu, ex animi tui ſententia, nunquamne incidiſti in magiſtrum qui à te de re quapiam rogatus, luci ipſi tenebras obduceret, & rem ex impedita faceret impeditiſſimam? ſemper-ne ab oraculo quod conſulebas certum & apertum abſtuliſti reſponſum? Erubeſcis. Quid eſt? num conturbo te qui poſtulo vt aliquid pro veritate dicere audeas? Cuperes fortaſſe fieri exemplo confidentior. Hieronymum produco & Gregorium Nazianzenum. An potui aut acutiorem diſcipulum, aut ſapientiorem in omni antiquitate magiſtrum appellare? Petebat à Nazianzeno Hieronymus quid eſſet apud Lucam ſabbatum ſecundo-primum? ſed vt nemo eſt ita ratione ad ſcientiam ſubducta vt omnes explicare poſſit difficultates, hærere primùm Gregorius: tum vbi ſe collegit, feſtiuè vt plurima, homo es intempeſtiuus, quid ni in templo in frequenti populi concione nodum hunc mihi ſoluendum proponebas? ibi enim quicquid reſponderem, tu cum turba

plausu & acclamatione prosequi cogereris. Præclara sanè vox, & virtutis æquè ac eruditionis principe digna, quæ ostendit & multa peti à Magistris, quæ quia libris comprehensa non sint ignorent ipsi, & præstringi sæpè auditorum ingenia, qui quod minimè sciunt, audacter fingunt intelligere se: ne aut stuporem suum prodere, aut doctorum auctoritatem minuere videantur.

Sæpe à magistris perperam explicatur auctorum sententia.

Atque difficiles illi loci cum occurrunt legentibus, aut Delio natatore opus est, aut ipso scriptore, quem si ab inferis excitare possemus, suam ipse nobis sententiam verbis haud paulo clarioribus aperiret. Nunc autem quis ferat in versuum aliquot, puta Aristotelis, aut alterius obscuritate quasi Andabatas digladiari inter se Doctores Peripateticos, & cum alius alio inuitum etiam nolentemque rapuerit, iudicij nostri infirmitate abuti, vt cornicum, quod dicitur, oculos configant, & opinionem suam purissimam Aristotelis sententiam esse persuadere conentur? Tolerabile id quidem esset, si in vnam omnes conuenirent sentiendi rationem, si pugnantia non loquerentur: Sed vnum ab aiente, alterum à negante parte stare, & vtrique causæ Aristotelem accommodare, non est viua voce difficultates explicare, sed contentiones nostras Philosophi principis auctoritate quasi flabello ventilare. Quæ aliquando cogitanti mihi venit in mentem Teletiæ Græci hominis calamitosa felicitas & honor perquam miserabilis. Is enim cum in summo totius Græciæ conuentu olympionices renuntiatus esset, patriamque suam coronare deberet; concurrunt derepente in stadium diuersis

è partibus audaces & robusti iuuenes, & hic Messenium, ille Crotoniatam, alius Rhodium, alius Chium aut Salaminium esse clamitantes, hinc atque inde propellunt, vexant, lacerant; vestes primum, deinde etiam miserrimi victoris membra, donec inter laudantium contentiosè, intemperanter amantium, tumultuosè prensantium manus discerptus interiit; qui si ab Antipalo victus esset, viuere debuerat. Ad eũ sanè modũ isti Aristotelem suũ esse viua voce clamant, suæ sententiæ vindicant, lacerant, diripiunt: Et vbicunque opinionis apparet diecula, idem ait, idem negat, & vtramque scriptorum paginam facit Aristoteles: vt iam non veritatem in Aristotele quærere, sed Aristotelis particulam ad eam quam sibi fingunt veritatem, studeant applicare, An præsagiebat id olim Philosophus, qui deãbulãdo docebat, vt modo ad has, modo ad illas partes accederet, & omnibus vmbram sui corporis impertiret, seipsum traderet nemini? Eum certè nolim reuiuiscere ne se inter viuas istorum voces mortuum, inter fautorem studia distractũ, inter discipulorum ardores discerptum esse queratur. Hæc qui attentè cõsiderauerit, nõ mirabitur Zenonem virum grauissimum, dum is compendiarium iter ad sapientiam quæreret, ab oraculo missum esse nõ ad Academias & Lycea, in quibus Philosophorum disputationes resonarent: sed ad libros, in quibus eorum placita pacificè spectarentur; vt eadem opera se & mortuis concolorem faceret, & viuentibus pulchriorem.

Quid est, Audit. dum istam controuersiæ partem peroramus, quid vobis animi est, quidue *Causa librorũ scri-*

consilij? Iam enim vestris mentibus obuersantur selectissima omnium sæculorum ingenia, quæ scientiæ suæ florem delibatum in libros retulerunt, iisque non paucos tantum pueros, sed omnem posteritatem, ipsos etiam Magistros docuerunt. Alia ex parte se cogitationi vestræ offert, & rudimentorum in vnaquaque scientia necessitas, quæ à præceptoribus tota petitur; & auctorum obscuritas quæ viua voce dissipatur; & collegiorum dignitas atque frequentia, in quibus adolescentes cum omnibus musis rationem habere doctissimorum hominum ductu, & inflatu coguntur. Magnum onus (Auditores) pulcher & necessarius! quod enim munus afferre reipublicæ maius, meliusue possumus, quam si docemus atque erudimus iuuentutem? Hinc præclaræ illæ Persarum, Atheniensium, Lacedæmoniorū, Romanorum, Gallorum leges de puerorum institutione; Hinc illæ Gymnasiorum ædes, quas seculis omnibus Principes, vt quisque erat aduersus Reip. commodum, vtilitatemque animatus, extruxere amplissimas. Nam vt in seminibus causa est arborum ac stirpium, sic in collegiis spes omnis boni publici adolescit. Hic erudiuntur ingeniorum miracula: Hic fouentur parentum deliciæ, ciuitatum propugnacula, Ecclesiæ antistites, belli arbitri, pacis tranquillitatisque publicæ fundatores. Pretiosum, inquam, depositum, Patres Reuerendi, quod nisi magno fœnore auctum Reipublicæ reddimus, versuram faciamus oportet. Ridiculè opinor, hoc loco faciet, qui pro vtraque parte pronuntiabit & eos qui docent litteras, scribuntque, iis qui alterum tantum faciant, an-

ptoribus adiudicatur.

reponet. Hic est enim fabulæ exitus, cuius vt clausula inueniatur, ij quorum causa turbæ fuerunt excitatæ, in manum conueniunt, & se consanguineos profitentur. Alius magis nugatoriè rem in medio relinquet: cum vos quasi in Solonis rep. nemini licere velitis nullius partis esse. Hanc ergo mihi prouinciam imponitis, vt pronuntiem non meo, sed vestro nomine, eam quam in omnium vestrum oculis & vultu lego sententiam; quæ mihi veritatis vim & efficientiam, si res vnquam vlla hodierno die ostendit, cum vos qui optimam ætatis partem in iuuentutis institutione ponitis, me qui aliquot iam annos eandem habeo exercitationem ingenij, curriculum industriæ, qui non nisi inuitus, & suspenso gradu, ad scriptorum causam accessi, pronuntiare tamen publicè velitis, videri Rem litterariam librorum scriptione amplius promoueri.



VETVS PRONVNTIATVM, ORATOREM ESSE VIRVM BONVM SOLIS ORATORIBVS CHRISTIANIS CONVENIRE.

ORATIO VIII.



ANTA vis est virtutis atque probitatis in omnem vitę partem, Auditores, vt cum diuersi, prout quemque fert libido, alia vsurpent officia, omnes tamen præstabilis alicuius virtutis studio glorientur. Cum enim non doctrinæ beneficio, sed naturæ ipsius impetu ad virtutem rapiamur; quis dubitabit ei qui homo velit esse affectandum eius studium & ibi quærendam probitatem, vbi vitæ totius transigendæ opportunitatem figit & collocat? Sed cum hæc ipsa Ratio sit quasi quædam lux, lumenque vitæ, semiobrutus ille diuinus ignis ingenij & mentis veritatem quidem hanc videre nos permittit: vbi autem sita sit virtus, & vnde eius potissimum conquisitio pendeat, non edocet. Quo fit vt do-

lendum ſit pleroſque, ingenioſos alioquin & non imperitos, vmbram conſectari, qui ſi potius in ſolida & expreſſa effigie operam collocarent, ſuam mirabilem cumulatæ integritatis ſpeciem, quam vix in libris, & ſeuerioribus veterum chartis retinemus, vita iamdiu & moribus informaſſent. Atque vt de conſectandæ virtutis labore non minimum, curam autem quanta eſſe deberet omnem detrahant: dicunt homines delicati in iis quas profitentur artibus innatam probitatem ineſſe: hanc earum quaſi animam & vitam, virtutem ab illis qui vel cogitatione ſeparet, eum non res nudas proponere, ſed fœda honeſtiſſimarum artium cadauera obiicere. Hac eorum diſputatione ſcholæ circumſonant, hæc in circulis, in exhedris accuratè diſſerunt, hoc doctis ingerunt, ſuadent imperitis. Illud autem per mihi ridiculum videri ſolet, ſingulos in iſtud virtutis regnum ſcientiam ſuam ſic intrudere, vt alienam inde deiiciant. Quaſi aut virtutis baſilica tam ſit anguſta vt orbem illum doctrinæ continere non poſſit: aut tam ſit vna alteri contraria vt ſimul conſiſtere nequeant: aut denique quod vni conceditur, id alteri neceſſario pereat. Philoſophiam laudat Eratoſthenes, Poëticen vt anilium fabellarum artificem deridet; Strabo contradicit, & poëtę propoſitum eſſe oſtendit aſperſam ſuauib⁹ mendaciunculis virtutem teneris mentibus inſtillare, quod aſſequi nemo poſſit, niſi ſit ipſe optimus. Cato virum bonum oratorem appellat, architectum Vitruuius talem debere eſſe demonſtrat: litem intendit Seneca, & philoſophiam ſolam eſſe vitæ legem diſputat. Principum actio-

Omnes qui artem aliquam profitentur, virtutem in ea constituunt.

nes, rerúmque ciuilium administrationem Geographiæ assignat laudatus Strabo. instat Tullius, & pro gubernatrice ciuitatum eloquentia ornatè sanè, & copiose disserit: & euinceret aliquid nisi cum vtroque lege agerent Iurisconsulti, vindicarentque sapientes homines, quos cum in omni iudicio aduersarios habere nolis, tum in hoc præsentes, superstites, quando ex iure manu consertum vocabunt, reformides. Non est quod de omnibus commemorando recordemur, cum in ea, quæ huius loci atque temporis propria est, eloquentia, sapiens effatum M. Catonis sit illustre. Is enim cum alta & exaggerata mente dignam eloquentiæ speciem concepisset, atque ad eam proximā, & quasi compendiaria via filium instituerет, semel omnia dicturus, oratorem virum bonum dicendi peritum definiuit. Quam eius sententiam non vt hominis vocem; sed vt cælitus delapsum oraculum acceperunt posteri; & vt quisque magis in ea facultate videri volebat excellere, ita illustriore verborum pompa, grauiori sententiarum pondere, validioribus rationum momentis & dicti fidem & Catonis auctoritatem stabiliuit. Aduersus hanc tam plausibilem tamque inueteratam opinionem dicendum mihi est hodierna die, Audit. non vt arti pulcherrimæ dotes suas detraham; sed vt optimam possessionem ab externorum iniuria extractam legitimis hæredibus restituam. Nam veteres quidem illi eloquentiam tanquam filiolam amplexati suam, proximè virtutem collocarunt: vt quoniam probè nouerant nihil admodum placere hominibus, quod non probitatis tanquam sapore aliquo

conditum esset, si quando elucerent in causis atque in foro, viri boni & sapientes haberentur. Hac via obrepebant ad honores errore vulgi, commendatione superbiloquentiæ: tum forensi illo regno abutebantur ad amicorum commoda, inimicorum exitium, reorum salutem, perniciem innocentum. Itaque de manibus Ethnicorum extorquenda est larua illa probitatis, vt sua Christianis temporibus constet integritas: spolianda illis ornamentis Ægyptus quæ sibi contra ius, fasque arrogauit, vt iisdem veros, germanosque nouæ legis Israëlitas instruamus. Nego igitur veteris illius superstitionis oratores viros bonos esse debuisse, nego fuisse, nego esse potuisse. Quæ tria dum breuiter necessariis conficio rationibus, quæso quod facitis, attendite. Et quoniã M. Fabius Quintilian⁹ rem istã vrget vehemẽtius, cum delegi potissimũ cum quo reliqua oratione contenderem. Neque vero illius aut in disputando vehementiam, aut in differendo facultatem aut in omni hoc genere oratorio potentiã vobis iudicibus pertimesco. Est enim ea causæ bonitas vt quãquã vix tolerabilẽ oratorẽ nacta sit, cogere tamen ipsa per se potius velit, quam persuadere. *Quintil. l. 12. Instit. c. 1.*

Ac primum vt Geometræ solent postulare sibi vt quædam concedantur, quo facilius quæ volũt explicent: sic à te postulo M. Fabi distinguas virum ab oratore, tum orationis & vitæ perfectionem. Quem enim sapientem, quem bonum virum dicimus? opinor eum qui nullis aspersus est vitiorum maculis, nullis virtutum infulis destitutus. Quem oratorem bonũ, quem perfectũ? Qui oratoriæ facultatis eclusis vitiis omnibus, do- *Virtus nõ est coniuncta necessario cũ eloquentia.*

tes omnes sit assecutus. Age vero, potest-ne vir bonus reperiri, qui orator non sit? vel mille inquies. Potest ne orator esse qui vir bonus non sit? id tu negas: quam rectè, mox viderimus. Hoc interim à te impetraui alia esse omnia benè viuere, & disertè dicere. Quod etiam atque etiam à vobis peto vt memoria retineatis, Audit. Hoc enim agit Quintilianus, tota sua disputatione subtili sanè & prolixa, eo semper reuoluitur vt vitæ innocentiam, cum oratoria facultate commisceat, & quod ab altera traditur, id alterius munus esse supponat. Quo quidem præsidio si semel fuerit iudicio vestro deiectus, atque exturbatus, profligata iā hęc, & pene ad exitū perducta quęstio est.

Eloquentia inter facultates indifferentes censenda est.

Te igitur hîc appello Eloquētia, seu virtus quædam es, seu artis contenta nomine: siue te Mercurius ille cælo deuocauit, vt nos à fera, agrestique vita ad hunc humanum cultum ciuilémque deduceret: seu te homines ex cognitionibus, comprehensionibusque rerum effecerunt: vnde, & quo quo modo facis hominem facundum, disertum, eloquentem. Sed non eam te aduoco quæ ciuilibus curis innutrita, virtutibus septa, Academiis & porticibus Atticis partam sapientiam ostentas: te simplicem, & nudam, & solitariam, compello, qualem habent qui te solam habent: ea postulo quæ tecum in hominem infers, quæ ex teipsa tradere didicisti. Hæc Eloquētia cuius modo aliquā speciem animo videtis, Audit. quam corpore non potestis, quæ & qualis est? Certè ars, vel ipsius Fabij sentētia; non enim ero ita ei inimicus, vt nihil ab ipso accipiam. Do etiam esse virtutem atq; in præstantissima humanæ rationis sede, iudicio

videlicet

videlicet & intellectu, velut Reginam in arce & solio collocatam, quotus autem quisque est eorum, qui moralem Philosophiam vel à limine salutarunt, qui nesciat artes omnes & disciplinas indifferentes esse & in neutram partem per se valere? iis vti & probos ad conseruandam Reip. statum, & improbos ad labefactandum? Eum qui cum Palæmone iactare verè possit secum natas, secum morituras literas, doctum censeri posse, non probum, peritum non sapientem appellari. Nam quæ istarum artium virtutem non dico afferre, sed monstrare potest? Quid enim vt sapienter docet Seneca, prodest argutè computare, & ineundis patrimonij rationibus tabularios omnes lassare, si quod alienum est reddere non possum, quod superfluum resecare? Dicis quomodo inter se acutæ & graues voces consonent, quomodo neruorum diuersum reddentium sonum fiat concordia, fac potius vt animi mei desideria cum ratione consonent, vt neque frons à mente, neque à vultu sermo, neque à sermone vita discrepet. Doces me animorum motus aut iudicibus, aut populo miscere dicendò, atque agitare: at ego discere volo quomodo perturbationes illæ contrahendæ, sedandæque sint. Voluntatis moderatione, non intelligentiæ acumine, actione non contemplatione, moribus non doctrina, vita bona metienda est; ab illa emanat, in illa consistit: cætera intellectus suppellex extra illam est, tam certè, quàm opes, honores, amici & vniuersus felicioris fortunę comitatus, quem optima Philosophorum pars à sapientia, hoc est plena consummataque probitate neque excludit si adest, neque si abest

magnoperè desiderat. Quid ergo? nihil Rhetorica, nihil Dialectica, nihil denique liberalia nobis conferunt studia? Ad alia multum, ad virtutem minimum. Cur ergo illis adolescentes erudimus? Non quia virtutem dare possunt, sed quia animum ad eam accipiendam comparant. Continentem me facit voluptatum contemptor animus, & appetere quantum homini satis sit, perpetua temperantiæ geometria. Fortis sum, si terribilia, & aliorum libertatem sub iugum ducentia despicio, prouoco, frango. Hæ sunt liberales verè artes, & homine libero dignæ quia liberum faciunt: vulgares alias discere non debemus, sed didicisse. Vobis autem Iuuenes optimi, hactenus vtiles sunt, si pręparant ingenium non detinent. Tamdiu enim istis immorandum est, quamdiu nihil animus agere potest: rudimenta sunt vestra, non opera. Deinde habent similitudinem istæ disciplinæ, comparationemq; quandam cum virtute. Amas puram, & latinam orationem? caue ne vitiorum solœcis aspersa vita sit. Astrorum perpetuos cursus, conuersionesque contemplaris? Cogita illinc tibi datum animum, illic sedem & domicilium collocandum. Rhetor es & epidictico genere delectaris. Disce non solum quemadmodum laudes alterum, sed etiam quemadmodum enitare vt possis ipse iure laudari. Hoc ni facis, in virtutis nomen extraneus inuadis, & superficiaria, vt ita dicam, bonitate contentus in alieno ædificas.

Artes liberales quid ad virtutem conferant.

Atenim tantus esse M. Cicero potuisset, tantus Demosthenes, si quam vulgo probarunt eloquentiam incomitatam reliquissent, & non potius virtutis eam dote locupletassent? Pulcherri-

Oratores antiqui re-ipsa boni viri non fuerunt.

ma quidem Demosthenis in Remp. consilia & finis vitæ clarus: M. autem Tullij actus nobilissimè consulatus, integerrimè administrata Prouincia, repudiatus Vigintiuiratus, laudes cæteræ, quibus enarrandis Cicerone laudatore opus fuerit, satis ostendunt in eloquentiæ fastigio stare, nisi qui sit vir bonus, posse neminem. M. Ciceronem, vt de hoc primùm respondeam, fateor, Aud. Romanæ Reip non inutilem fuisse: laudo eius ingenium quod solum populus Romanus par imperio suo habuit: scio quàm multas aduersus improbos exercuerit simultates, & eum ipsæ exercuerint, adeo vt nullam rem rarius quàm diem illum quo nullius interesset ipsum mori, viderit. Vtinam moderatius res secundas, & fortius aduersas ferre potuisset! Vellem & generosius perditis ciuibus obstitisset: maiore enim inimicitias appetebat animo, quàm gerebat. Atque ne miserandi quidem exitus eum fuisse Asinius Pollio iudicaret, nisi ipse tam miseram mortem putasset. Sed licet eius res gestæ satis amplæ, magnificæq; fuerint, in maius tamen ab eodem elatas confiteri cogimur, quàm aut viri boni modestia, aut ciuis egregij & ad vtilitatem Reip. referentis omnia, dignitas postularet. Quoties enim nobis ingerit consulatum suum, non sine causa, sed sine fine laudatum? Quam sæpè Catilinæ, Clodioque fractis, eiectis, trucidatis insultat? vt se totius Italiæ humeris ab exilio reportatum gloriatur? quem non occidit rerum suarum stolidissima prædicatione? Ardens ista gloriæ cupiditas, non ipsa quidem per se honesta, & laudabilis censeri debet: sed quoniam maioribus vitiis frænum iniicit, qui

ea ducuntur ad ingentia quædam facinora & animosè suscipienda, & conficienda gloriosè, ij non quidem bonis sunt moribus, sed minus quàm cæteri turpes & ignominiosi. Demosthenes autem quamcunque in vitæ partem oculos conuertit, ne pallio quidem viri boni nequitiam suam occultat Eum enim legimus vestitu, cæteroque cultu corporis ita nitido & curato fuisse vt ab æmulis vulgo parum vir diceretur. Extorqueat licet ab illo dissimulationem honestas, scimus tamen quamobrem Corinthum adierit, quam pœnitendi mercedem dare Laïdi recusarit. Atque vt auaritiæ mater est luxuries, nos eius etiam silentium audiuimus argentea quadam angina laborantis: meminimus quibus in causis præuaricatus aduersariis suis clam orationes vendiderit: cur denique ipsi aqua & igni sit interdictum.

Veterum aliquot oratorum mirifica improbitas.

Et quoniam eum mihi campum apertum video, in quo excurrere oratio, & cognosci Rhetorum improbitas possit, admittite cogitationem vestram in patentissimam totius vetustatis planitiem & eos enumerando recordamini qui pulcherrimam artem spurcissimis moribus fœdauerunt. Non commemoro antiquissimos illos Siculos, artis Rhetoricæ inuentores Coracem & Tisiam, quorum nequitia prouerbio consecrata in posterorum animis memoria vigebit sempiterna. Prætermitto oratores eos omnes, qui post æuum Quintiliani extiterunt: quorum aliqui fortasse opum bonorumq; victores, scorto & libidini improbissimis dominis seruierunt. Eos tantum perstringo quos sibi vel fama, vel scriptis cognitos esse fateatur. Hortensium Regem fori non inface-

tè P. Torquatus, seu ob effœminatam munditiem, seu ob argu tas & gestuosas manus Dionysiam(Saltatriculæ nomen erat illa tempestate famosissimæ) in celeberrimo Iudicum consessu appellauit C.Salustius Romanæ pater historiæ, cuius quot verba, tot sunt censuræ, in adulterio ab Annio Milone deprehensus, & lóris liberaliter acceptus, reliquas plagas pecunia redemit. C Cæsaris in eloquentia penè Dei flagitia militares ioci in triumpho cantarunt, ne obscura essent. M. Cælij quæ vita fuerit, ex ea oratione qua ipsius caput fortunasq; M. Cicero defendit, colligere non est difficile. Iam verò Græcos dicendi artifices quid commemorem, quorum & vitæ sordes, & mentis leuitas, & oratio deniq; ipsa eloquentiæ multum, sapientiæ parum complexa, nullam esse rem ostendunt in qua minus operæ posuerint quàm in probitate consequenda. Antiphontis supplicio affecti cadauer abiectum est & eius nomini, posteritatiq; perpetua infamiæ nota inusta. Andocides mala fide in publica rerum administratione versatus, exilio sese voluntario conscientia iudice condemnauit. Æschines de histrione orator, suis se pictum coloribus in Ctesiphontæa Demosthenis recognouit. Phrynem diloricata palla defendisset Hyperides, si aut alias suæ, aut ibi iudicum pudicitiæ pepercisset? Miseret me tui Isocrates, quem puditum non est summum eloquentiæ splendorem, quo & æquali tuo Platoni, & laudatori Tullio mirabiliter places sordidissimo quæstu, & vitæ turpitudine maculare. Vultis in hac improbitatis pompa impurissimos Græculorum Sophistarum greges traducam, scholarum vomicas, libidi-

num scopulos, nequitiæ architectos? quibus mens, fastu arrogantię turgida, lingua quęstuum aucupandis nundinis impedita, manus in flagitiis exercitatæ, gymnasia in quæ diuites & venusti adolescentes ventitabant, non Rhetoricæ sacrarium, sed diuersoria scelerum faciebant. O sæculi infamiam! ô portenta Rerumpub! ô pestes iuuentutis! Vos præstantissimum Dei donum sacrilegis vsibus profanastis: vos clarissimum Sophistarum nomen flagitiosæ vitæ tenebris obscurastis: vos eloquentię maiestatem turpissima nundinatione profligastis: vos in Athenæum quasi in auream messem delati pro ingenti mercede nihil sapere docebatis. Nullus diues puer erat quem non venaremini, nullus nummus tam abstrusus quem non olfaceretis; hoc phalerati illi sermones quibus artem vestram venditabatis, hoc melliti verborum globuli, & omnia dicta, factaq; quasi papauere & sesamo sparsa conabantur. Proh Deus immortalis! hæc fuit illorum disciplina? ob hanc causam parentes suos illis pueros commendabant, vt in moribus atque in voluptatibus adolescentiam suam profligarent? deinde verò animi illi teneri, castitate niuei, purpurati verecundia, cuiuslibet virtutis capaces, vbi non in scholam, sed in haram erant perducti, tanquam circæo poculo in venereos columbulos, in lutulentos sues, in bipedum omnium nequissimos conuersi, quas in Rep. tragœdias, quos luctus excitabant? Dies me deficeret eos cõmemorantem, qui quas ciuitates maiorũ institutis florẽtissimas acceperunt, cũ essent omnibus vel naturę, vel doctrinę, pręsidiis ad dicendũ parati, dissipauerũt. Sed nimis diu hæc in re

immoror, de qua inter nos non controuersamur: Nam licet patientiam nostram tentauerit Fabius, vt historiam nunciam vetustatis ignorare nos crederet, impetrari tamen à se facilè permittit oratoribus suis summam defuisse virtutem; nullū proinde extitisse antea numeris omnibus absolutum.

Ethnici oratores ne potuerunt quidem viri bonî esse.

Sed quoniam eò perducta disputatio vt inopiam ipse suam vltro, volensq; agnoscat; vereor ne id quidem præstet, esse potuisse. Quis enim nostrum, si veterum temporum memoriam replicarit vltimam, non videat illo rerum ante Christum natum statu, illis ignorantiæ tenebris, in incredibili veræ solidæq; virtutis penuria bonum virum esse potuisse neminem? Vos (Patres Reuerendi) qui Theologiæ mysteria traditis vt perfectissimi Teletæ, percipitis cogitatione orationem meam: neq; dubito quin aliquis ita secum reputet pietatem, iustitiam, temperantiam, aduersorum tolerantiam, virtutem deniq; esse non posse, vbi vanissimorum numinum cultus, vni, veroq; rerum omnium effectori debitam religionem euertit. Quid? animus corpori, ratio cupiditatibus quomodo laudabiliter imperabit, si animus & ratio ipsa deo seruire nesciunt? Adde, sine amore illo in quo hominis voluntas erga Deum, Dei erga hominem voluntati, etsi non par atq; mutua pro rata tamen respondet, virtutem omnem afflictam, perditam, emortuam esse Iam illa, sibi natam esse virtutem, sibi pretium, seipsa ad benè, beateque viuendum contentam, arrogantium Stoicorum somnia, illi probari non possunt, qui bona illa, eo vnde promanant referenda cogitarit. Hæc atque id genus alia ex diuinæ sapientiæ arcanis erui possunt subsi-

dia, quibus adiuuetur disputatio mea, si velim summo iure cum Fabio agere, & omnibus machinis, atque balistis eius opinionem conuellere. Sed facile hanc illi orationem omnem concedo ne se circunuentum queratur: patiar hoc mihi causæ robur & firmamentum eripi, vt suo potius eum gladio iugulem, quomodo vinci longè miserrimum est. Dico te M. Fabi oratorem quem pro viro bono perquam ambitiosè ostentas, quem tua doctrina non à teneris quod aiunt vnguiculis, sed pene ab ipsa conceptione, antequam etiam homo videri possit informas: Dico, inquam, te sapiētibus illis præceptionibus malum facere, dum ea permittis quæ virtuti populari, quæ mediocri prudentiæ, quæ triuiali probitati aduersantur.

Veterum præcepta Rhetorum malas causas ab oratore suscipi permittebant.

Malas, inquis, causas & iniustas suscipiet orator, si vtiles Reip. fuerint. Hîc te appello Socrates, qui execrari eos solitus es qui vtilitatem cum honestate natura cohærentem opinione distraxerunt: vos Stoici omnes sapientiæ antistites, quibus quicquid honestum est idem vtile videtur, nec vtile quicquam quod non honestum: hæc dicentem Quintilianum, si in porticu vestra esset, ferre possetis? Enimuerò ita omnes à natura comparati sumus, vt cum aliqua vtilitatis species obiecta est, commoueamur: sed si cum rem diligentius inspeximus, turpitudinem adiunctam videamus, tunc ea in re non vtilitatem requirimus, sed intelligimus vbi turpitudo sit, ibi veram vtilitatē esse non posse. Quid enim est tam contra naturam quam turpitudo, quę recta, quę laudabilia, quæ conuenientia, congruentiaq; naturę peruertit? Quid tam secundum naturam quā honestas ad quam facti

& instituti sumus? Quid tam secundum naturam quàm vera vtilitas, ad quàm docente nemine studia nostra omnia, cogitationesque collimant? Aude hîc priuatarum causarum honestatem, ab vtilitate publica secernere: finge nobis ciuitates ad arbitrium tuum in quibus priuato cuique liceat iniustitia, scelere, perfidia Remp. stabilire. Quid enim est populus aliud quam cœtus multitudinis, iuris consensu, & vtilitatis communione sociatus? Iura hæc si oratoris vnius facundia reuelluntur, si leges sanctissimæ pacis vincula, dignitatis fundamenta refiguntur, beatam, videlicet, ciuium vitam efficies, Id est, virtute honestam, amplam gloria, opibus firmã, copiis locupletem.

Id quam iniquum sit ostenditur exemplo.

Ponite vobis ante oculos hominem aliquem summis olim populi beneficiis vsum, cuius virtuti adiuncta felicitas, æmulos, vt fit, potentes, nobiles seditiosos compararit. Conspirant illi in eius caput & fortunas, pertrahunt in ius contra leges, contra maiorum instituta homines sceleratissimi ciuem optimum & innocentem: volitant toto foro, Iudicum subsellia grege prædonum impurissimo complent. Hic incolumitatem suam patriæ salutem ratus, præter innocentiam quæ arx est inexpugnabilis, amicorum gratia, clientum armis, vim vi illatam defendere constituit. Quid deinde, quid expectatis, Audit? num bonorum omnium iugulis intentatos gladios, cædes, tumultus, quotidianas vrbe tota lapidationes? Deligitur ex Quintiliani ludo atque disciplina orator vir bonus vt reum peragat, quem omnium iudiciis, voce, suffragiis esse sciat innocentem. Quid hic aget ille? quo se vertet? miserum enim

est à ciue circumueniri, miserius à viro bono & amante patriæ; funestum est exturbari fortunis omnibus, funestius voce & opera sapientis: horribile est in causa capitis condemnari, horribilius innocentem. Itaque causam reiiciat tanquam malam, & iniustam At quamdiu reus in ciuitate manebit, inflammabuntur studia partium, trucidabuntur medio foro ciues fortissimi, in horas, in momenta turbulentissimæ seditionum tempestates excitabuntur. Veniat igitur contra innocentiam pro iniuria, contra virtutem pro audacia, contra rationem pro furore & amentia: quæ licet falso tueatur, maiore tamen cum fide quam vllus aduersariorum audietur. Habebit enim & voluntatem nocendi in officio suscepto, & vim in oratione, & pondus in auctoritate. Illo denique accusatore iudicum sententiis obrutus solum vertet vir optimus, in ea patria mortem non impetrabit, pro qua mori semper duxit gloriosum: afflictus, spoliatus, bonis expulsus, ex amplissima fortuna in vltimam rerum omnium inopiam coniectus, in ignotas terras deportabitur: sequetur vxor matrona lectissima, ab amicorum consuetudine, à complexu parentum, ab aris patriisque focis auulsa, solis infantibus liberis onerata, qui quanquam nondum sentiunt quantum sibi paterna probitas nocuerit, gemitus tamen lamentabiles, qui aërem feriunt, testes sceleris, vindices perfidiæ erupturum in oratoris caput diuinæ iustitiæ turbinem impetrabunt. O calamitosam virtutem! ô spectaculum non hominibus modo, sed feris ipsis luctuosum! hæc agentem virum bonum appellas, quæ si ab aliquo Reip. busta

facta ſiccis oculis intueretur, eum ego non iam cum vltimæ barbariæ tyrannis compararem, ſed belluis ſæuiorem, ſcopulis & fluctibus duriorem execrarer. Quid enim eſt virtutem peſſundare? quid eſt iura omnia diuina, humanaque violare? quid eſt patriæ ciuem, homini innocentiam, iudici veritatem auferre, ſi hoc non eſt?

At iſtud, inquit, ratio nonnunquam afferre poteſt. Per vim & ſcelus, per calumniam & mendacium, fortunis ſuis innocentem exturbare ratio vlla poteſt permittere? quis vnquam mentitus eſt ſi hic verum dixit? At facturum aliquando virum bonum vt mendacium dicat, & quidem leuioribus cauſis, Stoicorum quoque aſperrimi confitentur. Proh Deus immortalis! ego-ne me audiuiſſe aliquid, & didiciſſe non gaudeam? mentiri, fallere, decipere, in errorem perniciosum inducere viro ſapienti Remp. adminiſtranti ſuadetur? leuius quicquam aut turpius fingi poteſt quam frontem, oculos, orationem ad dolos, & fallacias componere? diſſentiat ab animo lingua ſapientis? quod viliſſimus quilibet, & de lapide emptus ſine ſpe grandioris alicuius lucri nolit admittere, hoc vir bonus, hoc ſapiens, leui cauſa, nulla honeſtate propoſita, ſine publico priuatoque bono facere non vereatur? Quid cum ad obſcurandam mendacio veritatem, ad euertendam innocentiam, ſpecie vtilitatis publicæ, priuati detrimenti metu, ſpe ingentis alicuius præmij inducetur? En qui cum in tenebris mices, cuius auribus arcana committas, cui ſic confidas vt inter bonos bene agier arbitreris. Hanc ſi oratori, & bono viro permittimus licentiam, vbi poſtea ſi-

Mendacium quoque oratori à Quintiliano permiſſum.

dem inueniemus? quo in homine fiduciam collocabimus? tolletur à vita vitæ societas, incerta pacta, vanæ stipulationes, suspecta cuiuslibet oratio reddetur, vigebit in omni ordine simulatio, dissimulatioque, perfidi, improbi, malitiosi regnabunt. Nondũ dico quam facinorosos homines, æquissimis legum vinculis adstrictos soluere debeat, quas iustitiæ tenebras obducere, quos inuehere metus, quas inflammare cupiditates: quæ cum fecerit benè, sapienterque, & vt virum bonum decet fecisse iudicabitur. Verum cum nihil tam incorruptum esse debeat in Rep. quam suffragium, quam sententia: Non intelligo cur qui ea pecunia corruperit, pœna dignus sit: qui eloquentia, laudem etiam ferat. Mihi quidem hoc plus mali facere videtur qui oratione, quam qui pretio iudicem corrumpit, quod pecunia corrumpere prudentem nemo potest, dicendo potest. Hæc igitur vt videtis M. Fabij præcepta apertam habent doli mali turpitudinisque professionem. Hæc est arguta malitia ad quam se in oratoria diu versatum iuuenes erudisse dolet Lactantius. Hæc ars cui Basilius pro subiecta materia, mendacium, pro exercitatione controuersias sententiolis vibrantibus pictas assignat, quibus prudentis alioquin, docti optimi Iudicis animus irretitur.

E diuerso Christianis oratoribus necessaria est vita sanctitas.

Traducite nunc animos vestros, Audit. ab hac Ethnicorum nequitia in aliam partem Christianorum oratorum, in quibus pietas, fides, sanctitas sedem ac domicilium collocauit. Videte vt nostrorum pudor illorum libidinem, arrogantiam demissio animi, auaritiam abstinentia profliga-

uit. Statuite apud vos aptum esse Christianis temporibus Catonianum pronunciatum: ex quo nobis diuinæ fidei dies illuxit, nullum aut fuisse aut esse potuisse oratorem qui vir bonus esse non debuerit. Nolo mihi à quoquam istorum obiici tam esse nobis quam sibi, artem oratoriam indifferentem; in ea æquale vtrisque esse præsidium ad vitam benè instituendam; non potius nostra, quam sua ætate ipsi intimis defixam radicibus inesse virtutē. Neque enim Christianos oratores hic appello forenses causidicos; qui & hoc sæculo non minus quam æuo Quintiliani maiestatem, vbertatemque eloquentiæ perdiderunt; & ea tractant negotia quæ ab ethnicorum libris nō abhorrent. De iis loquor qui sacris concionibus circumfusam multitudinem ad virtutis studium, & dignam Christiana professione integritatem perducunt. In iis enim solis Christianæ maiestatem eloquentiæ, & perutiles animorum motus arbitror residere: atque iidem illi sunt, quos si virtus absit & probitas, oratores esse & appellari posse pernego. Si quis tamen veterum patronus præfractè defendat in ipsis etiam templorum nostrorum rostris, exerceri à nonnullis eloquentiam, quæ licet homines ad virtutis decus honestatemque incitet, natura tamen sua in ipso dicente sanctitatem & absolutam morum probitatem non requirat. Equidem non sine eximio animi mei dolore fatebor, repertos aliquandò scelere & insania tam perditos homines vt cum ad sacra pulpita præter natiuam quandam dicendi concinnitatem & appellandarum vocum suauitudinem admodum nihil afferrent, blanda illa animorum

conciliatricula, & quasi lena ad quæstus illiberales, aut vitæ voluptariæ delicias abuterentur. Verum illos ego in sacr s oratoribus non tantum non habeo, sed ne mediocri quidem tinctos prudentia homines existimo, qui certam ad cælum viam præclarè auditoribus aperiant, ipsi autem in æternæ calamitatis voragines sponte præcipitent. Quanquam quid veræ, solidæque vtilitatis ab eiuscemodi hominibus in alios deriuari potest qui sibi ipsis boni vtilesque esse dedignantur? quid honesti cæteris persuadebunt dicendo, qui aliam viuendo viam palam & apertè sequuntur? Nam si veri oratoris est neruos omnes in ea re contendere, vt sententiam suam auditoribus probandam atque amplectendam efficiat; id certè eo loco nemo consequetur; qui non exemplo prius, quam dictione, vita, quam sermone homines incitarit. Ego enim sic existimo in omnibus quidem rebus illum aliis persuadere facillimè, qui prius sibi persuaserit: in virtutis autem negotio fieri non posse, vt qui in ea studium non posuerit, is ritè atque ea qua par est dignitate & emolumento versetur.

De virtute potest aliquis sine virtute disputare.

Quæ res vt paulo subtilius explicetur, cogitate, amabo, nostrum animum in duas partes esse distributum, quorum altera in appetitu posita est, altera in ratione, quæ docet & explanat quid faciendum, fugiendumque sit. Hinc efficitur ad duas res, intelligendum & amandum, esse natum hominem: In res autem pulcherrimas atque optimas, mentem intentam, infixamque nostram intelligentiam esse oportere, eaque ex cogitatione fructus illos excerpendos, qui fœlices ac beatos

efficiant Iam si de mente atque ratione agimus, fateor reperiri disertum hominem posse, qui propriam cuiusque virtutis vim definitione declaret, qui in membra partiatur, qui boni viri & ciuis officium suis finibus circumscribat. Huic etiam liberaliter permitto, vt naturæ, disciplinæque præsidiis instructus ad eam peruenerit facúdiam qua distinctè, qua abundanter, qua illuminatè de virtute ita disserat, vt admirabilem eius speciem apud auditores in bono lumine collocet: cum tamen ab eius corpore flagitiũ, scelus à manibus, dedecus ab animo raro abfuerit. Id Philosophi illi virtutis buccinatores luculenter probant, quorum ea fuit calamitas vt insigni aliquo vitio sapientiæ suæ quasi formam deturparent: quibus commune fuit & quotidianum dicere melius quam facere. Dicebant enim omnes non quemadmodum ipsi viuerent, sed quemadmodum viuendum esset. Socratem Alcibiadis nimia consuetudo non immerito infamauit. Platonem, quod supra modũ gulæ esset deditus, Dionysius vendidit. Aristoteles terminum prouidentiæ diuinæ summa impietate constituit. Speusippus de Platonis Academia in adulterio periit. Phauorinus ex Aristotelis lycęo de adulterio causam dixit. Cato ex Zenonis porticu deprehensus sæpè est cum in multam noctem compotationes traxisset, lectum in quo pridie accubuerat, frustis esculentis repleuisse, cum etiam ore fœtido teterrimam salutantibus popinam inhalaret. Itaque cum quis variè, copioseque de virtute, aduersorũ tolerantia, liberali facultatum erogatione dixerit, non continuo vir optimus censendus magis est,

quam vbi parietum, luminum, stillicidiorum iura defenderit, faber cæmentarius esse debebit.

Ad eam autem impellere dicendo nisi vir bonus nemo potest.

Ego vero in hac intelligentiæ illustrandæ parte Christianam eloquentiam non consistere, sed vlterius ad voluntatis permotionem progredi debere contendo. Vt enim Iurisconsulti partes sunt quid rectè fiat ostendere patroni autem eum hominem qui secus fecerit iudicum seueritati obiicere, vel eripere; sic in officiis Philosophi pono sapienter & copiosè de probitate Christiana disputare: ad eam autem impellere, & vitiorum odium auditorum animis ingenerare, oratoris esse statuo. In quo sanè laborandum ipsi est, vt quam commodè dicit, tam aptè, conuenienterq; viuat. Nam ad ea quæ sunt agenda melius imitatione dicuntur homines, quam adhortatione: & in virtutis doctrina caput artis est, virtutem exercere. Primum, vt ait Romanus Stoicus, quia homines amplius oculis quam auribus credunt. Deinde quia longum iter est per præcepta, breue & efficax per exempla.

Morum integritas exemplo melius quã oratione docetur.

Quod vt melius perspici possit à vobis, collocate in exhedra formosum iuuenem venustis oculis, colore suaui, calamistrata coma, cæterum omnibus oratorum simulachris, omnibus Rhetorum regulis emendatiorem. Continentiæ laudes summa dicendi grauitate, & copia aggrediatur: qua fronte, nolite à me quærere: consumat in dicendo totum Isocratis myrotheciũ & omnes eius discipulorum arculas: Inuẽtione Antiphõtes, subtilitate Lysias, suauitate Phaleræos, doctrina Pericles, actione Hortẽsios, lepõre Crassos, toto dicẽdi genere Demosthenes & Cicerones superet: sit magis Atticus,

cus, ipsis, si fieri potest, Athenis. Quid aliud sermone probo, vita non inculpata quàm vanissimos plausus, & inanissimas acclamationes popularis auræ vile mancipium assequetur? Tractet idem propositum orator alius, & in concionis aspectum corpusculum afferat aridum ieiuniis, paludatum cilicio, vigiliis confectum: nondum auditur, & persuadet. Incipit voce rustica & agresti. Quid ait? abstinentiam laudat. O virum bonum! Calcare fastum, repudiare voluptates, terrenas hasce quisquilias non vt vincula virorum, sed vt oblectamenta puerorum præterire imperat. O probum consilium! Posset vtinam corporeis oculis spectari continentia: quàm mirabiles in hominum animis ardores excitaret! quàm honestis illecebris ad verum decus pertraheret! Ne vobis illam facite tot obseptam difficultatibus, tot interclusam dumetis, tot spinis horrentem, volenti arridet, conantem adiuuat, blanditur possidenti. Expertus loquitur. Spectate contra flagitiosorum hominum in omni vita turpitudinem, effusas in intemperantia libidines: considerate angores quibus conficiuntur, solicitudines, nocturnos diurnosque metus, conscientiæ carnificinam, tristem atq; acerbam præteriti sceleris memoriam, effrenatam præsentis cupiditatem, fluctuantem inter illa libidinosum, interim exosum Deo, execrandum hominibus, sibi grauem. Hoc loco in oratore exhorrescere incipiunt homines, ex eius ore attoniti pendent, eum stupefacti dicentem intuentur. Quid cùm fulgurabit, tonabit, permiscebit concionem? cum libratum iustitiæ diuinæ gladium, & vltrices in perpetuis inferorum erga-

stulis flammas denunciabit? Erras impietatis sentina, nequitiæ colluuies, vorago libidinum, non te Deus vitæ, sed pœnitentiæ, non deliciis, sed pœnæ in omnem posteritatis terrorem transmittendæ reseruauit. I porro quo te insani flagitiorum æstus abripiunt, vocantem, cogentem, præstolantem Deum contemne: veniet dies ille quo die auersum lugeas, iratum horreas, sentias vindicantem. Tu sempiternos ignium illorum vortices? Habitantem in arrosis medullarum fibris conscientiæ vermem? tu quicquid tetrum, funestum, horribile fingi & excogitari potest, audeas prouocare? Quis ad hęc fulmina non palleat? quis eius sibi flagitij conscius tam atrocem exitum non perhorrescat? quis denique facta sua non torqueat, & de verbis cogitationibusq; in iudicium veniat vt salutari pœnitentiæ mysterio expietur?

Prius sibi quàm auditoribus virtutem orator persuadeat oportet.

Iam verò quæ & qualis est oratio quæ non præteruehi curiosas aures, sed in seriis & grauibus animis debet penitus insidere? quàm incitata & vibrans? quàm acris & vehemens? quàm ardens & inflammata? hîc autem cogitate quantum volueritis, Audit. quotquot adestis omnes, & pueritiæ ipsius vestræ memoriam recordamini vltimam, si quem nominare potestis qui contra quàm senserit locutus in re difficili quicquam persuaserit. Non mille peto non centum: vnum aliquem postulo tanto temporis spatio qui vbi differuerit non ex animi sui sententia, homines ad aliquid agendum induxerit? langueat & molliatur oratio necesse est, Audit cui color est non à visceribus sanguine diffusus, sed à lingua fuco illitus: neque fieri potest vt incitetur auditor vt doleat, vt ode-

rit; vt timeat, vt cohorreat, nisi omnes ij motus in ipso oratore impressi esse atque inusti videbuntur. Quid enim aliud est diserti ho ninis oratio quàm terebra, cuius nisi cuspis incaluerit, lentè perforat? quid nisi muralis machina quæ ardet vt feriat: ferit vt euertat, comminuat, dissipet? Equidem hoc loco Senecæ viri grauissimi sapientiam desiderarem, nisi is se Stoicum profiteretur, qui vt sapienti suo iram omnem detrahat, oratoribus, ipsisque histrionibus eius tantum simulationem concedit: neque dubitat affirmare id quod veri affectus non effecissent, sæpè affectuum imitatione perfectum. Alia longè est M. Ciceronis, id est, eloquentiæ ipsius aut opinio, aut experientia, qui M. Callidij actionem de parato veneno, ex accusatoris ipsius remisso vultu, voce languida, oratione soluta refutauit, cum exclamaret, nisi fictum crimen tàm frigidè non potuisse narrari. Æsopi verò Tragœdi, cui se instituendum Cicero tradidit, qui sensus in agendo fuerit, quæ animi commotio, quæ, vbi res postulauit, perturbatio, vel vnum illud declarat, quod Atrei furorem ipso etiam corpore conceperit aliquando, & obuium fortè seruum histrionico sceptro percussum interfecerit. Omnis enim ridicula & frigida est imitatio quæ rerum naturam quantum fieri potest viuam, spirantemque non exprimit.

Ecclesiastes in hominum sacram lute curanda Dei minister est & adiutor.

Sed hæc quæ hactenus dixi habent aliquid humanitatis concretionè minus syncerum, à quo si sacram hanc eloquentiam expurgauero, & in Deo solo mentem, cogitationemque meam defixero, quàm simplex & absoluta sit in oratore probitatis necessitudo, etiam tacente me videbitis.

Nam vt omittam sanctissima scripturæ diuinitus inspiratæ mysteria, ad quæ nisi puro, castoque non patet aditus: vt de sapientia nihil dicam quæ in maleuolam animam nunquam introibit: vt non vrgeam nullum in eodem pectore esse honestorum turpiumque consortium: fontem ipsum eius quod in nobis potest esse boni confectemur. Quis est qui Ecclesiastæ segetem ac materiam dicendi subministrat? qui temporibus, personisque congruentem suggerit dictionem? quis auditorum mentes ad illa semina sic accipienda præparat, vt fructuarios agros imitentur qui multo plus afferunt quàm acceperunt? Hi sunt tui Deus Opt. Max. pene dicam labores, vt hominem à te conditum, à te assertum, te fruendo, æternaque felicitate dignum efficias. Tu omnia salutis nostræ momenta obseruans, concionantis animum, vocemque inuadis, currentem impellis, adiuuas laborantem. Et quemadmodum in vaticinationibus quæ instinctu diuino, afflatuque funduntur, Sacerdotes oraculo præpositi tum demum abdita atque certa fari putantur, cùm hominem exuerunt, seque totos Dei numini, spirituique permiserunt: sic concionatoris oratio vim & efficacitatem non habet, nisi eam diuinus ille spiritus totam penitusque occuparit. Itaque sic affecti sunt plerique, vt quamquam accuratas, & meditatas commentationes domo afferant; in ipso tamen actionis æstu & feruore quędam sibi patiantur excidere, non cogitata illa quidem, sed quibus tanquam telis ferente ferienteque Deo peccatorum conscientię vulnerentur. Vos appello Christi pręcones, fidei sanctissimæ propagatores Apostoli,

qui orbem vniuerſum Chriſtiani nominis fama impleuiſtis: cùm Ioues, Mercurios, Veneres, & fœdam illam vitiorum potius quàm deorum colluuiem ex animis hominum eiiciebatis, veſtrum erat opus illud, ac non potius Domini cooperantis, ſermonemque ſuum prodigiorum admirabilitate confirmantis? Vos Auguſtini, vos Leones, Ambroſij, Cypriani, Saluiani cùm enaſcentium hæreſum capita atterebatis, emortuarum fibras ſtirpitus extrahebatis, improborum pectora ſcelerum impuritate expurgabatis, hoc veſtra faciebat induſtria, & humani vis ingenij, non Deus omnis auctor, procreatorque ſanctitatis? Baſilios, Nazianzenos, Chryſoſtomos tria orientalis Eccleſiæ lumina, fidei propugnacula, eloquentiæ Chriſtianæ archetypa, quis non audiuit, non admiratus eſt? quas illi diuinæ Charitatis faces in hominum animis accenderunt? quos peccatores ex ore Dæmonum atque inferni faucibus ereptos ſeruauerunt? quos libidinoſis voluptatibus captos, vt hamo piſces, præſenti periculo, æternis doloribus extricarunt? Quæ omnia ſi humanis viribus peracta ſunt, quidni cum Libanio Sophiſtarum principe magiſtro ſuo rerum tam præclarè geſtarum gloriam communicauerunt? Cur idem ipſe Libanius doctrinæ ſuæ æmulos virtutis non fecit ſtudioſos? minus erat quàm illi eloquens? at eius fontibus hortos ſuos irrigauerant. Latebat obſcurus domi? at Præfectus eſſe Prætorio, ne Athenienſis Sophiſtæ nomen perderet, recuſauit. Nullum illi ſors campum dedit in quo eius ingenium ſpatiari poſſet? At eodem quo illi loco, Conſtantinopoli verſatus eſt, vnde propter

corruptam propudiosis flagitiis iuuentutem, per summum dedecus & infamiam expulsus, exterminatus, eiectus, plures reliquit nequitiæ suæ testes, quàm eloquentiæ laudatores. Taceo reliquos doctrinæ sacræ antistites, sunt enim hoc in negotio pares omnes inter se : qui cùm in salute hominibus procuranda Dei quasi comites, & administri esse vellent, hoc egerunt potissimum vt pietate, atque integritate vitæ ad eam rem viam sibi sternerent. Nam licet Deus aquam à pumice haurire possit, & minimè aptis ad tantum opus vti instrumentis : ea tamen est ipsius consilij atque prouidentiæ ratio vt præclara & idonea si desunt, efficiat, si adsunt, admoueat.

Vellem mihi tantum esset otij vt probare possem iam inde à primis illis temporibus cum Christianum inuenire improbum neminem potuisses, ad hanc vsque ætatem omnes, qui sacro oratorum nomine digni visi sunt, virtutem & sanctitatem coluisse. Sed vt manum aliquando tollam de tabula, malo hæc in cogitatione vestra relinquere, quàm in oratione mea ponere. Vos extremum hîc alloquor, iuuenes lectissimi, quibus ad eloquentiam, cæterasque honestissimas artes currentibus iniiciendum frænum potius est, quàm adhibenda cohortatio : vidistis in qua versentur inanitate qui sibi blandiuntur, quàm parum probitatis ex oratoria facultate aut habeant, aut si suis stare præceptionibus volunt, habere possint. Quàm ex aduerso insita sit in eloquentiæ Christianæ medullis benè viuendi ratio. Æquum est hîc, adolescentes, meminisse vos & Christianos esse & ad immortalem cœli gloriam educari. Hoc

vbi altè in cogitationem vestram demiseritis, iam per me licet, ista quam volueritis seiungite. At videte, per Deum immort. vtrius sit maior necessitas, virtutis an facundiæ, probitatis an scientiæ? Quid agimus, Auditores, quo curæ nostræ, vigiliæ, solicitudines spectant? quid cogitamus cum in comparanda scientia tot molestias exorbemus, tot deuoramus difficultates, animo semiliberi, & ad summa properantem genium, mediocrium inuestigatione fraudantes? Doctos nos esse & haberi volumus: probitatem quasi peregrinum aliquid, & aduentitium ad secundas curas amandamus. O cæcas mortalium cogitationes! quæ veri optimique ignoratione, in mediis occupantur. O pręposteram hominum prouidentiam! quæ magna ingenia à se abducta, in leuium rerum scientiam quasi in aliquod pistrinum detrudit, & compingit; vt cùm tota corporis, animique contentione libros exhauserint, omnia sciant, præter id vnum quod tota vita discendum est, benè viuere. Quid enim tibi prodesse potuit tanta doctrinæ suppellex, magnę Aristoteles, omnis indagator, venatorque naturæ? Quid tibi M. Tulli aureum orationis flumen contulit, quod doctos omnes in eam admirationem rapit, vt per se cum beatè agi putent, si tui particulæ, vel exiguæ videantur? Quid aliis præclaræ ingenij dotes emolumenti attulerunt, quos viuos ad opes, honores, magistratus euęxit scientia, mortuos ad perpetuam posteritatis memoriam transmisit? Existat nunc veterum oratorum aliquis, & renuntiet vtrum se doctum fuisse, an bonum; eloquentiæ, an virtuti studuisse malit? Effluxit quod ambierunt,

sempiternum est quod neglexerunt: versantur in manibus nostris eorum scripta, Deus sancte! quàm docta, quàm luculenta, quàm acuminis, ingenij, lepôris, maiestatis plena! ipsi interim æternis: non audeo totum dicere; quoties enim hac de re cogito, totis artubus contremisco. Vos ergo quibus adhuc integra res est, per virtutis pulchritudinem, per Christianum nomen, per eam qua nihil cuiquam carius esse debet, salutem, simul cum scientia, in virtutem & pietatem, quod hactenus fecistis, incumbite. Illa est, Adolescentes ingenui, sanctorum scientia, illa Christianorum eruditio. Purum esse, castum, integrum Philosophia est: moribus, modestia, verecundia elucere, eloquentia est: Hanc si tenetis illa non deerit: quæ si deesset, ad obtinendam inter homines dignitatem, aliquantum ad veram, perfectamque felicitatem, non admodum requirenda foret.



ACTIO
IN HISTRIONES.
PANVRGVS
ORAT PRO HISTRIONIBVS, VT IN VRBEM ADMISSI FABVLAS DOCERE PERMITTANTVR.

ORATIO IX.



Spectvs vester, Iudices, non satis quietus, & frequentia populi, tantusque Consessus quantum vix omnibus spectaculis animaduerti, dubitare cogunt, vobis-ne, an mihi causæ huius nouitas, & iudicij conditio insolentior videatur. Nam ad illud tribunal in quo de pacis otiique tum publici, tum priuati perturbatoribus quæritur, eos homines stare qui in amœnissima voluptate ciuibus suis concilianda operam artemque suam col-

locant, æquo animo ferre non potestis: & me, qui aliena persona compositis versibus quasdam animi perturbationes ementiri soleo, mutata derepente forma dicendi, de fama atque existimatione mea verè ac serio periclitari, vehementer indignor. Quid enim dici potest iniquius quam nos à patriæ sinu, à complexu parentum, ab amicorum consuetudine per calumniam extrahi? Credo vt cum Telephum & Peleum agemus in scena, ex animo dolere censeamur. Nam quod crimen huic iudicio prætexitur? quid habent accusatores tam graue & atrox in vita nostra, rebusque gestis, cur nobis ea vrbe interdictum velint, in quam Turcas, & ab ipsa barbaria Canadenses admissos esse cognouimus? Ars, inquiunt, vestra ludicra est. Respiraui à magno metu, Iudices: putabam enim ab aliquibus meorum comitum effossa sepulchra, templa violata, exhaustum ærarium, facta latrocinia, trucidatos homines, seditiones excitatas. Verum quod bene feliciterque eueniat, non mores nostri, sed fabulæ; non vitia, sed ludi; non cœnarum deliciæ, sed scenæ oblectamenta contra maiorum institutum, pręter omnium consuetudinem suspensis omnibus, & rei nouitate perterrefactis, in iudicium pertrahũtur. O temporum sanctitatem quæ de iocatione quęstionem constituunt! ô morum grauitatem quibus lusio capitalis est! ô Censores Crassis, & Catonibus seueriores, qui ridere plusculum, aut ludere, non mitius notandum putant quam parricidij crimen & peculatus! Ars igitur vobis nostra nõ placet: quis eius turpitudinem vobis renunciauit? quis theatra oratione depinxit? quis tra-

gœdias recitauit? nam ad eas non conuenitis, homines Musis omnibus & Gratiis inimicissimi. Quæ est autem indignitas cæcos de coloribus iudicare velle, & quod publico loco, patente theatro, in solis huius luce & conspectu, frequenti honestissimorum hominum corona factum oculis vsurpare nunquam dignamini; flagitiosum & impium proclamare? atque illam ipsam iniuriam & dolum iniquissimum quo nos circumuenitis, qua oratione prosequar, dum me à scena, in qua possum fortasse aliquid, in forum extrahitis, vbi regnare solet eloquentia illa quam in concionibus aduersum nos exercetis: vt vmbraculis assuetum hominem ad puluerem vestrum solemque fatigetis. Æquum-ne est, & bonum prouocari ab iis qui ætatem in studiis literarum contriuerunt, hominem de imperitorum plebe? ab disertissimis viris, qui declamandi in cæteros studium nullo vnquam tempore intermittunt, eum qui ex commentario tantum sapit: cui, postquam præscriptam carminum seriem memoriter pronunciauerit, silentium imperatur? Scio equidem apud Cannas id ab Annibalis calliditate profectum, vt Romanorum ora ad solem conuerteret: non dubito quin loci captandi consilium in Imperatore primum esse debeat, & armorum commoditas sit prærogatiua victoriæ. Itaque mihi erit iniquissima conditione aduersus exercitatos istos gladiatores & robustos veteranos pugnandum nisi vestra me, Iudices, æquitas & prudentia subleuarit. Nolo nos in theatrum regredi, & causam ibi nostram agere: stabimus in gradu & campo ab aduersariis constituto. Sed ne omnia

præoccupasse videantur, peto arma cõmutari, & ea abiici quibus isti ad tegendum nocendumque abutuntur, Nam si res agitur doctrina, facundia, & seuero illo supercilio, quibus apud timidas mulierculas auctoritatem sibi confecerunt: quid est quod ego, homo infantissimus hac in causa sperare possim, cui si qua historiæ veteris cognitio est, totũ debeo tragœdiis quas ago, si qua vis exercitatioque publicè dicendi, à commentitiis illis animorum in scena perturbationibus emanat. Aliquas esse Rhetorum præceptiones audiui tantum, quibus isti nihil non persuadeant: dialecticas captiones, & subtilem disputandi loquendique rationem, qua isti quemlibet irretiũt, vidi qui reformidarent: externam seueritatem & vultus tristitiam popularem esse semper existimaui. Superest igitur vt polito illo, & aduentitio fuco penitus reiecto, in nuda & simplici causæ natura consistamus, ea describatur à nobis sine copia & amplificatione orationis, vt de re ipsa, non de dicentium facultate iudicetur.

Tria tantum in histrionibus reprehendi possunt, Personæ fabulæ, ars ipsa.

Itaque ab importuna aduersariorum exaggeratione ad rem ipsam, oculosque vestros, Iudices, totam controuersiam traduco: vos enim sæpè summa cum voluptate fabulas nostras spectastis; vt si cætera me deficerent, sola vestra auctoritas hominum illorum calumniam refutare possit. Verum hoc iam non ago, id volo clarè vobis ab aduersariis enũciari quid in ludis tragœdiisq; nostris reprehẽdendũ existiment. Certè tria tantum cogitari posse intelligo, quæ vituperij aliquid valeant admittere: Nos qui agimus, fabulas quæ aguntur: Ipsam denique artem & disci-

plinam agendi. Atqui personas ipsas si sunt ab omni culpa & vituperatione remotæ, in odio esse apud aduersarios, quanquam sunt humanitatis inimici, nunquam mihi persuasi. Eam igitur maculam qua offenduntur, aut à tragœdiis, aut ab earum docendarum arte oportet esse contractam. Dicant ergo vobis audientibus quid in illis reprehensione dignum existiment: date veniam interloquendi, gestio meorum Aristarchorum vocem audire, vt subito nobilem Poëtarum cohortem eorum iudiciis obelisque obiiciam, vt vna litura clarissimorum ingeniorum monumenta ex hominum memoria deleant; vt Sophocles Æschylos, Euripides, vt Senecas, Pomponios Secundos, vt sexcentos tragœdiarum scriptores in capitis discrimen adducant, quod Poëticæ facultatis nobilissimam partem exercuerint, coluerint, ornarint. Quid? Dramaticam, siue actuosam poësim accusare audeas, cuius artifices Euripidem Archelaus, Philippidem Lysimachus, Terentium Lælius & Scipio, Melissum Mecænas, Senecam Nero, Plautum vniuersus Populus Romanus summo in honore, & pretio habuerunt? Quid? Fabularum scriptionem reprehendas, quę Dionysiis Regibus Patri, & Filio, Syllæ dictatori, Q. Ciceroni Consulis Fratri, Octauio Augusto, Imperij principibus: quæ Empedocli Agrigētino, Ioni Chio, Diogeni Sinopensi, Crateti, Thebano, Timoni Nicæo, Varroni Romano, sapientiæ antistitibus ita placuit, vt in ea perlibenter acrem ingenij vim, solertiamque collocarent? Tragœdias tu politioris literaturæ hostis insectaris? At non sanctitatis, doctrinæ, eloquentiæ do-

Personæ si culpa carent, vituperari non debent.

Tragœdiæ natura sua vitiosæ non sunt.

tibus admirandus Gregorius Nazianzenus: non eius æqualis Apollinarius Syrus, tragicis comicisque rebus nullo Græcorum inferior: non Academiæ hac ætate florentissimæ, ne vetera tantum commemorem, quarum parietes dramatis illis quotidie circumsonant, quarum typographi pulcherrimos hoc in genere partus ingenij, & inter ora literatorum victuros, ęternitati transmittunt. Nam quid, per Deum immortalem peccat amplius, qui agente poësi, quam qui pedestri oratione Christi patientis acerbitates, Absalonis perduellionem, Iosephi pericula, Pompeij calamitatem, infelicitatem Bruti, Martyrum supplicia prosequitur? Cur facinorosius est mortem Cæsaris, casum Seiani, parricidium Orestis, & illas inuidiæ fortunæque virtutem superantis vicissitudines oculis exhibere agendo, quam subiicere mentibus recensendo? Quis Plutarchos, Thucydides, Liuios, Herodotos laude & prædicatione dignos existimabit, tragicos autem poëtas non aliunde, quam ab illorum fontibus scriptionis suæ materiam haurientes, in exilium extra literarum, & sapientiæ orbem amandabit? Ad ciuilem prudentiam historia inuitat? at poësis magnis ad sapientiam itineribus perducit, dum ea commemorat non quæ verè gesta sunt, ab eo qui humanum aliquid sit passus, sed quæ à forti & sapiente viro geri debuerunt. Admirabiles animorum motus cum summo voluptatis sensu excitat rerum veterum replicata memoria; at quanto magis earundem rerum non emortua lectio, sed viua ac spirans gestio, animos hominum commouet, incitat, inflammat? cum hæc ita euenisse non

Tragicæ poëseos cũ historia collatio.

auribus creditur, sed oculis; nec vt præterita exempla, sed vt pericula præsentia formidantur. Historia vitæ magistra non vana prædicatione appellatur? at quãto firmiora ad bene viuendum præsidia à nostris spectaculis hauriuntur? In iis edomitam superbiam, castigatas intemperantiæ libidines, damnatas auaritiæ sordes, iram atque inuidiam in seram pœnitentiam & luctus inutiles conuersas licet intueri. Quod si animorum perturbationibus scenam totam permiscet tragœdia, hoc ipsum agit, si Aristoteli creditis, ne iisdem procellis & fluctibus in posterum spectatores agitentur.

Tragœdiæ exhibitæ multum afferunt ad virtutem adiumẽti.

Itaque theatra aperimus vt virtutis sacraria, vt publicas probitatis scholas, vt officinam modestiæ, vt in tragœdiarum argumentis, tanquam in speculo quilibet se intueatur, & quod spinosioribus conclusiunculis philosophi, quod inanibus verborum phaleris oratores, quod frigida narratione historici vix ab hominibus extorqueant, hoc videndo persuadentur à nobis, vt boni esse velint, vt peccare reformident. Quis enim post spectatam Belisarij exoculationem fortunæ suæ nimium tribuat? quis Maxentio Tiberinis hausto vorticibus non discat in Constantiño religionem triumphare? quis ex horribili aut Nabuchodonosoris Assyrij, aut Armenij Tigranis transformatione modestior domum non reuertatur? audisti sapientum voces ad virtutem ducentium? eas spreuerat Crœsus quẽ in pyra spectasti. Grauis est tibi diuturnior parentum vita; Chosroes parentem suum excarnificari fecerat, quem filij sagittis confossum vidisti. Nepotinis sumptibus

rem familiarem exhaurire non times? At Imperator erat Caligula, & immensarum opum dominus, qui tamen post dilapidatum vicies ac septies millies HS. à Chærea ob libidinem iugulatus interiit. Hæc est, Iudices, spectaculorum nostrorum consuetudo, hac doctrina theatra nostra quotidie circumsonant, sic iuuenes instituimus, hoc frænum adolescentiæ iniicimus. Ibi explicantur consilia, quæ senes approbent: hic opum formidanda possessio demonstratur, ne diuites superbiant: hic in sapientibus sanctisque viris paupertas amatur, ne inopes desperent: hic vngulæ, equulei, rotæ, ignes martyribus admouentur, vt minore incommodo cœlum emere condiscamus. O tragœdiam conscientiæ medicinam! ô theatrum culturam animi, ducem omnis officij, vitæ regulam, fontem sanctitatis! ô pretiosam artem & cuiuis præferendam quæ quod est in Rep. maximè expetendum, ciuitates ipsas, imo prouincias & regna in officio continet, & ad virtutem suauissimè conducit! Quid habent Catones ipsi suis in exhedris melius, quid sanctius, quid humanæ vitæ conuenientius? Ad virtutem hortantur; nos ducimus: bonorum præmia, impiorum supplicia in hac, in æterna post hanc vita cogitanda proponunt; nos spectanda exhibemus: sanctos laudant in cœlum receptos; nos gradus quibus ipsi ascenderunt, monstramus: imminentem mortis necessitatem denunciant; nos facimus. Hoc tantum differimus quod illi in templis, nos in theatris; illi inter sacra, nos per animorum remissionem; illi serio, nos ludendo homines ad bonam frugem reducimus. Vidistis nonnunquam

Maiore cum efficētia quam sacræ conciones vitæ honestatem persuadent.

quam, Iudices, illorum aliquos frigere in suis illis rostris inter raros anicularum greges, somniculosorum cateruas, mendicorum manipulos; quibus, quia domi prandere non licet, in templis residere non displicet: aut si paulo iustiore corona nobilitati sunt, si quid vehementius dicere moliuntur, iactare ceruices, ferire pulpita, exclamare, lamentari, toto corpore sudare, omni denique dicendi ratione paratragœdiari inter otiosos auditores inanissimè. Quis ab illa concione melior excessit? quis abstinuit à somno? quis horam solidam sine tædio exegit? quis, si tympanum increpuerit statim à templo nostra subsellia numerata pecunia non redemit? Deus Immortalis! quàm hic diuersa consessus facies, quæ spectantium nobilitas, grauitas, frequentia? quæ audiendi cupiditas, videndi assiduitas? quàm gratum voluitur per ora murmur si quid dedecorè gestum, politè dictum, inexpectatò productum? Clamores postulat rei præteritæ concinnitas, futuræ expectatio cohibet: approbare non vacat, quia audire delectat: plausum impedit ipsa plausus materia, & exultantes animi, artus subsilientes, ora hiantia soli linguæ silentium imperant. Quis hic clepsydras numerat? quis exitum fabulę ad quem auidè properabat, non vidit inuitus? Discedunt corpora, figitur animus in theatro, &, quod vnum superest, iucunda spectaculi recordatione voluptas anteacta regustatur. Hoc est, Iudices, homines tractare, hoc est docere virtutem, non illam seuero & horrido pallio metuendam, sed sua dulcitudine expetendam. Hoc moliuntur hoc tæcum honestum bonumque delectando propi-

nant: hoc agunt scenici artifices cum integritatem morum, vitiorum turpitudinem, fraudum, & flagitiorum euenta tanquam ex tabula repræsentant. Hæc exempla sicas extorquent à furiosorum manibus: hæc rerum humanarum vicissitudo inopes à potentiorum iniuriis defendit: hæc diuinæ Nemesis duritas latumias exhaurit & carceres. Vultis Iudices, quis enim de vestra humanitate dubitat? legis verba nunquam effari? homines ad theatra mittite. Vultis flagitiosos homines scelerum suorum stimulis perfodere & cruentare? cogite spectare tragœdias. Vultis improborum conscientiam tanquam equuleo admonere? in nostris subselliis collocate. Videbunt parricidas terreri furiarum tædis ardentibus; mirabuntur vigilem illum diuinitatis oculum nihil latere; produci in apertum scelera omnia, & suppliciis ex improuiso subigentibus, Deo teste, reuinci. Contremiscent totis artubus ad aspectum Tartarei Phlegetontis, & ferreum Rhadamanti tribunal accusante conscientia formidabunt. Tum enimuerò si quid humani sensus habent & ingenij, per me licet, amentiam suam augeant, & eorum flagitia æmulentur, quorum supplicia intuebuntur.

Si qui fortè tragœdiis ad obscœnitatē abutuntur, non ideo penitus tollendæ sunt.

Quid est Cato? renides? num conturbo te qui tuis omnibus inflammatis concionibus vnum alterum-ue, nimis dixi, præfero spectaculum, & in eo vim maiorem ad virtutem hominibus persuadendam constituo? Subrides? numquid mentior? num circunuenio Iudices? num decipio consessum hunc vniuersum, quem testem hac in causa, suffragatoremque habere non renuo?

Effare quid cogites, licet interloqui, conuince falsitatis si potes, si audes hisce præsentibus. Equidem quæ sint animi tui sensa non perspicio: nisi forte cum ea quæ dixi hactenus negare summæ sit impudentiæ; quæ pulchra, quæ honesta, quæ sancta nostris in theatris exercentur malitiosè prætermittis, vt ad sordes nescio quas tanquam importuna vespa adhærescas. Id nimirum obiicis quod ad rauim vsque declamitare soles, obscœnitate fabularum theatra nostra contaminari. Hoc verò si, non dico à me, meisque gregalibus, sed omnino ab honestis vllis scenicis fieri, si accidere sæpius, si castas & non superstitiosas aures verbo violari confeceris, vicisti, pono arma, herbam porrigo. Sin autem mendiculi aliqui & triobolares ioculatores circum fora, & compita scurrilem in modum deformati, seruitiis & operis temerè coactis sumptas de triuio cantilenas occinunt, ob eam tu indignitatem graues & sapientes comœdos accuses? in artem præstantissimam refundas si quid fortè nonnullorum culpa peccatur? rem penitus ex hominum consuetudine exterminandam contendas qua pauci aliqui, & vulgo ignoti histriones abutuntur? Pecuniam igitur ab hominum manibus excute, quę auaritiæ scelerumque omnium seges est: arma omnia regio tolle interdicto quæ sunt furoris & inuidiæ comites & administri: iudicia pelle de Rep. quibus innocentes aliqui per fraudem opprimuntur. Quid? vites euelli debere censeas si duo tibi in agris occurrerint rustici ex vino vacillantes? Solem è mundo velis eripere si necessarium sibi cæcus esse negauerit, nocere etiam lus-

citiosus iurauerit? Te conuenio, tecum disputo, integerrime vindex sanctitatis: respondebis opinor ex animi tui sententia magne religionis propugnator: habes-ne aliquid in sacris tuis, in Ecclesiasticis cærimoniis, in cœlestibus Sacramentis à fraude, à superstitione, ab abusu, à sacrilegiis tutum penitus atque alienum? Nulli tremenda cœlo Angelisque mysteria polluunt Sacerdotes? nulli altarium ministri sacras possessiones à piis hominibus traditas, in profanos vsus, à me enim alia non audies, conuertunt? nulli quæstuosam habent rerum sanctissimarum distributionem? Quid dicam de nundinationibus Præbendorum, de supposititiorum redemptionibus, de sacerdotiorum sectionibus, quorum sacrilegiorum tam est corroborata institutio, tam altè in iniquitate temporum infixa consuetudo, vt facilius sit templa atque aras, quàm eiuscemodi dedecus atque obscœnitatem conuellere. Accusa igitur quę sunt apud nos augustissima, destrue fana omnia, & sacrificia, sacrorum antistites veta reditus annuos possidere. Absit hoc, inquis, sed abusus tollatur. Iniquissime mortalium, mysteria illa aduersum quæ sine sacrelegio peccari non potest, abusu tantum sublato purgari posse pronuncias, & leue aliquod negotium ad exhilarandos homines comparatum, si gestu, ...io, si syllaba à paucis intellecta peccatum est, iubes ex toto funditusque deleri? Calumniatum architecte, fingere audes in maiorem priuati cuiusque, & ipsius Reip. perniciem redundaturum si quis paulum insolentius lusit, quàm si sacra omnia sunt violata?

Corrigen- Non sic, inquis, sed nullibi abusus toleretur.

Præclarè, nostris ergo singuli finibus circumscribamur: tu tuis sacris, ego lusionibus meis modum imponam: quid in officium meum violentus quadruplator inuolas? malè feriate heautontimorumenos.

da sunt ergo quæ honestas & non superstitiosas aures possunt offendere.

Tantum-ne est ab re tua otij tibi
Aliena vt cures, eaque nihil quæ ad te attinent?

Domi cæcitas tibi est, in vicino totus oculus, totus auris, nosti etiam si quid in aurem Iupiter Iunoni dixerit. Quid? ita sumus ex scelerum colluuione concreti vt nulla apud nos habitet pestis perniciosior? Ita sunt tragœdiæ nostræ in omni flagitiorum obscœnitate effusæ, vt in Repub. nihil sit quod prius medicam Censoris manum postulet? Si tu in ceruicibus nostris impositus es morum magister, vt videas ne quid Respub. detrimenti capiat, ante omnia palliatis tuis sacrificulis iniicienda est fibula, extinguendæ beneficiorum nundinæ, vindicanda sacrilegiorum atrocitas, mercatorum fraudes & periuria, vsuræ, locupletum publicanorum latrocinia, militum stupra & rapinæ, vitilitigatorum calumniæ, iudiciorum iniquitas comprimenda. In his campis gloriosè triumphabit eloquentia tua, hîc opima de magnis aduersariis spolia reportabit oratio: tum denique ad ludos etiam nostros virgam extendet censoriam & paulo liberiorem cachinnum faciet capitalem. Quin potius ego iam nunc illa te cura & solicitudine libero, si quid rogare permittis. Nam mihi tecum prius conueniat oportet quàm tragœdias meas verbis optimis exoculem. Quid appellas tragœdiæ obscœnitatem? aut hoc verbum in quo argumento ponis? opinor in ludis

Floralibus quos Pop. Roman. extrema à parte in Catonis præsentia delumbauit. Postulas igitur vt illam nudatarum meretricum proteruiam à theatris ablegemus; facile negotium quæ nunquam spectata est eam non admittere Num quid amplius? num amantium munuscula, riualium litigia, ephœborum deliciæ, coniugum oscula, Zelotyperum æstus nimis herculè delicatus es, si te offendunt, nimis infirmus, si aures vulnerant, nimis superstitiosus, si mentem consauciant. Quamquam si hac tantum ratione aditum tibi ad theatra nostra quereris interclusum, per me licet bona verba pereant, dum tu consessum nostrum cohonestare digneris: ea lege vt nos seria altè cothurnati, & Romanè cincti agamus negotia: tu contracto supercilio, corrugatis naribus, ore colloque rigido risu temperare promittas.

Tragœdiarum actores poetis scriptoribus sunt suppares.

Sentio me, Iudices, terminos prætergressum quos mihi ipse posueram, & poëticarum tragœdiarum vtilitates consectantem, ad artem nostram quæ eas in theatris exhibet, sensum esse deductum. Sed neque Rhetorum istæ partitiones quomodo tractentur scire vehementer laboro, neque illud poëticę scriptionis genus ab actione nostra puto seiunctum esse oportere. Siquidem audio lucubrationes illas à sapientissimis viris fuisse tantú olim productas, vt Dionysiacis artificibus traderentur: atq; istos sic in iis exhibendis omnes artis ingeniiq; neruos contendisse vt optimis per se operibus admirabilem gratiam & venustatem adiicerent, & quod aiunt, tabulas benè pictas in bono lumine collocarent. Nimirum illa, honestissimarum artium parens & altrix Græcia

præmiis propoſitis tragœdiarum ſcriptores & actores ad pulcherrimum ingeniorum certamen inuitabat: quorum alios iam temporum faſtidia in tenebris iacere patiuntur; alios Catonum ſupercilia ex vrbibus, atq; omnino ſi poſſint, è viuis exturbare moliuntur. Quàm iucundum erat ex omnibus Græciæ populis conuocari ſpectatores: accurrere ad Panegyrim frequentiſſimam Reges maximos, Duces triumphales, Magiſtratus ſanctiſſimos, & ipſa Philoſophorum Lycea atq; porticus, choragium miniſtrantibus ciuitatibus ipſis atque prouinciis, ſedentibus iudicibus quos florem orbis delibatum merito diceres, poëtas eo in conſeſſu, ingeniorum ſuorum merces proxenetis hiſtrionibus explicare; auditis ſpectatiſq; omnibus voce pręconis proclamari victorem eum poëtam qui abſolutiſſimè ſcripſiſſet, hiſtriones qui venuſtiſſimè egiſſent. Quis vnquam Olympionica glorioſior extitit, licet eius nomine anni notarentur, & in vrbem patriam per diſiectos muros eam coronaturus intraret? hoc faciebat florens illa viris & ingeniis Græcia: ſic ludebat ſapientiſſima pars terrarum fortiſſimaq; cum Darios debellaret, Xerxes profligaret Siciliam, & Italiæ partem teneret, imperaret Perſidi, maria occuparet. Hæc theatra frequentarunt Cimones, Ageſilai, Timoleontes, Miltiades, Epaminondæ, Alexandri, Alcibiades: Ex his ſpectaculis magnos aduerſus hoſtes animos hauſit Themiſtocles: longè profectò maiores, quàm è gallorum gallinaceorum aſpectu ſumma cum obſtinatione pugnantium. Quid de Ariſtotele dicam, qui illi ſapientię certamini, quod Philoſophum decebat, leges præſcri-

Apud Græcos magno in honore & pretio fuerunt.

psit? Quid de Socrate Philosophorum Deo qui assiduus in theatris fuit in quibus Euripidis tragœdiæ docebantur. Quid de Lælio Romanorum sapientissimo, qui Terentianas comœdias non vanis coniecturis creditur conscripsisse? Vnum nominaui Romanum, cum totam in theatro Curionis & Scauri Romam spectare liceat, cum scena argentea L. Murenæ summo populi consensu Consulatum pepererit. Quid? publicum non est Pop. Rom. hoc est grauitatis ipsius, de arte ludicra testimonium, quod Roscium tanto in pretio habuerit, vt quoties luderet, mille ei denarios diurnos assignaret? quod Æsopus eius æqualis post illam centenariam patinam sexcentis sestertiis æstimatam, moriens filio ducenties HS reliquit vt is securius margaritas voraret? Atq; id ea in vrbe factum est in qua Regulus agro sub villicum sine Senatu prouidere non potuit: in qua Cato censor seruo vno, equo vno, eoque non toto vsus est. Repertæ sunt & Pantomimæ fœminæ quæ decies sestertio nupserunt in eo imperio in quo defuncti Tuberonis vxor fundum quem vnum habebat, vendidit vt dotem reciperet: Cn. Scipionis filiæ dos à Senatu numerata est: in quo homines post dictaturam & Consulatum, nisi bubulci fierent, angustia rei familiaris premerentur. Deus sanctè! vbi viuimus? apud quos versamur? in quæ tempora deuenimus? Romana Resp virtutis & sapientię sedes ad miraculum vsq; histriones locupletauit; & nobis ex ære à volétibus collato terni, quaterni-ue asses inuidentur: illa virtutis antiquæ medulla Socrates, ille mortalium sapientissimus oraculi voce appellatus, ille dux & princeps, &

A Romanis locupletati sunt.

moderator philoſophorum omnium ſua grauitate & conſtantia indignum eſſe non putauit, quod ſuperſtitioſi neſcio qui, vt Catonianam ſimulent ſeueritatem, ſemel in vita facere hodie dedignantur. Sed hunc hominum ſtuporem, in quem iterum inuitus relabor, in præſentia omitto, vt cum omnibus conſtet artem noſtram ſocietate, & quaſi agnatione quadam cum poëſi coniunctam eſſe, atque adeo in partem eius gloriæ & vtilitatis venire; priuata ipſius bona, eaque rebuſpublicis bene conſtitutis perneceſſaria ex me, iudices, hoc loco accipiatis. Sic enim in ea non modo nihil vituperatione dignum, nihil bonis artibus legibuſque contrarium eſſe, quod tertium propoſueram, verum etiam commodi vtilitatiſque plurimum reperiri cognoſcetis.

Dico igitur, & certa ratione conficio ciuitatum, prouinciarumque rectoribus artem hiſtrionicam, ſi adeſt, ſtudioſè conſeruandam eſſe; ſin abeſt, cupidè aduocandam. Enimuero cum ſic à natura ſimus inſtituti, vt ad aſſiduam mentis agitationem, & negotiorum, vt loquuntur, ſerietatem, acies omnis humana retundatur, & corpora ipſa continuo labore exhauſta, atque exantlata fatiſcant; illud ſapientiſſimè eſt à legiſlatoribus excogitatum vt ſtatis quibuſdam temporibus ferias imperarent. Tunc enim animo ſoluto ac libero, corporibus ceſſatione reparatis noua quædam alacritas dies profeſtos excipit, & neſcio qua auiditate inflammatos homines ad laboris viciſſitudinem reducit. Eo autem tempore ſi quis exiſtimat ita eſſe feriandum, vt ab omni penitus opere, ab ipſa corporis animique delectatione ceſ-

Ars hiſtrionica Rebuſpub. neceſſaria eſt ad otiũ populi ſaltendum.

setur : is profectò mihi quæ sit hominum consuetudo,quæ rerum humanarum natura,quę tyrannis otij atque inertiæ nondum assecutus esse videtur. Desidebunt ergo in tenebris lustrorum ac stuprorum , alea rem familiarem euertent, compotationibus exhaurient, blasphemiis atque periuriis cœlum , terramque funestabunt. Inde amicorum iurgia, coniugum dissidia, furor ex vinolentia,ex furore cædes, ex cædibus familiarum immortales inimicitiæ;tum publicæ dissensiones, crebræ seditiones , assiduæ omnium , vt in bello ciuili , anxietates , sacrorum direptiones , ciuitatum euersiones. Atque vt hæc non semper eueniant quæ semper timere necesse est , quam multi malè agere gestiunt, ne nihil agant ? quam multi per otium publicũ consiliá furtim ineunt otium publicum euersura ? Sunt igitur animi negotio aliquo non iniucundo ,non laborioso occupandi, & eruptura in perniciẽ cogitata,vt aquæ cõclusæ, atq; corruptæ,aliò deriuãda.Quo quidem inuento narrant historiæ Arcadas veteres quod essent natura ferociores,vti instituisse:iisque ludis illam ciuium ferocitatem ita fuisse temperatam , vt aliquandiu Græco cœlo ,& reliquorum humanitate Græcorum non indigni visi sint. Sed vt est ingeniorum intempestiua diuersitas, & funditus exscindi non potest naturæ vitiositas, aiunt ab eorum posteris neglectui habitam eiusce modi mentis,corporumque exercitationem,eosque sic animis obduruisse vt tota Græcia execrabiles haberentur. Hic autem reuocate in memoriam, Iudices,honestas animi remissiones , & vel vnam hac nostra conuenientiorem vtilioremque com-

memorate. Ludos permittetis sellularios vt aleam? at illi sunt virtutis scopuli, bonorum Charybdes, voragines patrimoniorum. Imperabitis actuosos vt pilam vt cursum, vt palæstram? at agitatio diuturna labor est, non relaxatio; defatigatio, non oblectamentum. Conueniant igitur in theatrum otiosi, & paucas horas in honestissima voluptate cum animi simul & corporis quiete collocent. Hic se totos impendent spectaculis: ibi quaternis assibus ex tiabilem canis iactum redimient: hic quid agendum sit bonis, quid vitandum felicibus edilcent, Nullus ibi popinarum coquinarumque nidor, nullus comessantiũ discursus, tumultus ebriosorum. Silent in theatris infelicium aleatorum blasphemiæ, inuidorum iurgia, maledicta pedissequorum. In illa denique, ne iam dicta replicem, si Socrates rediuiuus intraret, Platonis sui Academiam nũquam modestiorem fuisse iuraret. Sunt hæc profecto magna, Iudices, & lõgè magis necessaria, quã aut capere vulgus possit, aut ego dicendo exprimere. Vos qui ad gubernacula Reip. sedetis qui capitalia exercetis iudicia, qui paci trãquillitatiq; publicæ præsidetis, quo illa spectẽt quãtũ habeãt momẽti ad cõtinẽdos in officio homines peruidetis.

Aliud adiungo in eorum adolescentium gratiam qui per collegia, id est, seminaria Reip. liberalibus disciplinis, præcipueque rhetoricis artibus instituuntur: quas sine histrionica perfici non posse constans est Rhetorum omnium sententia, & eloquentissimorum virorum vsus atque experientia. Quid ais Cato? Perij, Iudices, nisi subuenitis, ita me graui & hostili obtutu po-

Ars histrionica ad oratorũ actionem perpoliendam magnopere conducit.

stulabat ad deuorandum. Dicam tamen quod omnes sentiunt, neque oculos illos tuos, licet rem nouam & in scena mea nondum spectatam, reformidabo. Scitum est quas in dicendo partes aptæ decoræque actioni, cui penè totũ se debere profitebatur, dederit Demosthenes ille Græcorum Oratorum vertex: neque leuius de ea iudicium est aut eius aduersarij Æschinis, qui ex histrione factus orator, & per id in Rep. spectatissimus, in æmulo suo male formatos gestus arguebat, quo culmen eloquentiæ nondum attigisse monstraret: aut Romanorum, vt M. Ciceronis, qui actionem esse quasi corporis quandam eloquentiam affirmat, vt Hortensij, qui in gestu elaborando plus operæ, atque studij, quam in perficienda posuit eloquentia. Sentiebant, videlicet, homines acutissimi, ipsam per se facundiam animos hominum inuadere non posse nisi eorum aures voci & pronunciationi, oculos gestui, & actioni traderet permulcendos. His instructi pręsidiis torpentes excitarunt, remissos inflammarunt, oppresserunt improbos, iudices excæcarunt. Sine actione iacuit doctissimorum hominum oratio, quæ eadem in aliis adhibita quas seditiones non extinxit, quæ furiosorum tela de corpore Reip. non reuellit, quas vrbes non optimus fundauit institutis? Iam tu mihi negare aude eximiam illam rhetoricæ partem, illam eloquentiæ vim, & animam, arti nostræ acceptam referri debere. Reclamabit statim tuus ille Cicero qui in oratore *vocem tragœdorum gestum pene summorum actorum requirit.* Docebit te litteras Quintil. qui puero, quem ad eloquentiam qua-

ſi ſolum præparat, *dandum aliquid Comœdo quoque* præcipit. *Eatenus qua pronunciandi ſcientiam futurus orator deſiderat.* Audis Ariſtarche? Fabius loquitur, & dubitas? Quintilianus præcipit, & abnuis? Rhetorum magiſter imperat, & contradicis? Is qui ſtudia per viginti annos erudiendis iuuenibus impendit: qui annos præterea duos legendis auctoribus, qui ſunt innumerabiles, dedit: qui delectus eſt ex omni populo Romano, ex orbis vniuerſi prouinciis cui Domitiani Cæſaris nepotes inſtituendi committerentur: talis ille vir ac tantus cum rhetorem futurum inſtruit, iubet à puero ſcenicis artificibus operam dare: ſine illa inſtitutione, & quaſi fundamento negat firmum & ſtabile futurum quicquid ſuperſtruetur: Et hic neſcio quis de grege nouitiorum artem totam delere, exterminare artifices, euertere theatra, hiſtriones ab hominum ſocietate voce deturbare publica, magiſtratuum edicto conatur, quo, ſi apud barbaros exularent, eſſent reuocandi. Quid enim, per Deum immortem poteſt eſſe pulchrius quàm ſi quis à Theodoro didicerit omnium quas exhibebit perſonarum voces ſic imitari, vt non effictæ, ſed natiuæ ſingularum videantur? quid eſt admirabilius quam edoceri in omnes ſeſe mutare ſpecies, & ab homine vno tam multa, tam diuerſa fieri actionum genera, vt multos eſſe poſſis credere, quod barbarus ille apud Lucianum iurabat? Atque hoc profecto ſciuit Quintilianus quantum ars oratoria Demoſtheni, & Ciceroni, quantum iſti artificio noſtro deberent. Quotus enim quiſque veſtrum non

Id Ciceronis, Demoſthenis, Quintiliani auctoritate probatur.

meminit perdito ac penitus suis rebus desperanti Demostheni occurisse Satyrum Mimum & paucos Euripidis aut Sophoclis versus eo corporis motu & vocis tenore pronunciasse, qui esset conuenientissimus: tum vero didicisse Demosthenem in apta pronunciatione, rerum quæ dicerentur pretium esse constitutum. Itaque vt illam assequeretur eadém qua cætera diligentia constanter & assiduè Andronici Hypocritæ præcepta audiuit, & in eius disciplina summus Atheniensium orator euasit. M. autem Cicero Æsopo Tragœdo, Roscio Comœdo vsus præceptoribus quam non iam eloquentiæ solum, verum etiam Reip. Rom. partem non excoluit, conseruauit, amplificauit? Alterum igitur Demosthenem pater genuit, alterum Andronicus: neque minus Roscio debet Cicero, quam Roma Ciceroni. Per Ciceronem Æsopus P. Clodium fregit, Catilinam eiecit, Lentulum suffocauit, Antonium compescuit. Loquentem in Cicerone Roscium timuerunt proscriptorum liberi rerum nouarum studiosi, tumultuantes in quatuordecim plebeij, Tribuni plebis auctore Cæsare crucem Senatori Romano minitantes. Perorante Cicerone cessit Roscio Catonis grauitas in causa Murenæ, Sex Clodij furor in domus restitutione, iracundia Cæsaris in Ligarij conseruatione. Quam quidem artis vtilissimæ ostentationem nō ab istis Rhetorū arculis, sed ex ipso veritatis sinu depromptam vobis Roscius ipse persuaderet, Iudices, si nobile ingenij monumentum non sui tantum sæculi hominibus, sed etiam nostræ ætatis censoribus exhibere potuisset. Illum enim sci-

mus ſcriptis libris elegantibus ſanè & eruditis, artem hiſtrionicam cum eloquentiæ facultate comparaſſe. Quo in opere quid aliud, per Deum immort. efficere potuit, quam quod nunc agimus, actione quæ tota hiſtrionum eſt, omnem perſuadendi vim contineri, ſine ea tabulas frigere, iacere dictionem, mutam eſſe ipſam, penè dixerim eloquentiam. Quæ res autem eam illi mentem iniecit? quam habuit cauſam operis tam præclari animo concipiendi? ſtudium Ciceronis. Cicero, inquam, ipſe oratorum Deus, eam homini confidentiam dedit, vt hiſtrioniam, quam vos tantopere contemnitis, reginæ omnium, & flexanimæ orationi parem faceret. Nam dum aſſiduam Roſcio dabat operam Tullius, non ſemel in contentionem vterque venit, vtrum ille vario geſtu, eoque commodo eandem ſententiam, an hic diuerſo ſermone per eam qua pollebat eloquentiæ vbertatem & gloriam repræſentaret. Eximium profectò certamen, Iudices, & oculis Pop. Rom. dignum! quo præſtantiſſima duo ingenia, non ſe tantum inuicem agendo, ſed ipſam quoque rerum naturam, cuius in varietate laus eſt præcipua, prouocabant. Quis noſtrum votis omnibus in illud eloquentiæ theatrum admitti non cupiiſſet, in quo dicebat Tullius, agebat Roſcius; & alter in alterum veluti transfuſus accipiebat à ſocio maximum artis ſuæ lumen & gloriæ incitamentum? Longè videlicet vtilius quam apud Græcos Glycera, cum pictore Pauſia certabat, diſpareſ-ne illa flores felicius miſceret in coronis, quam hic in tabula peritius deformaret. Et tamē (ô peſſimos rerum æſtimatores oculos!)

Respondetur sanctorum Patrũ testimoniis quæ aduersus spectacula scenica produci solent.

peruenit ad posteritatem pictura quæ flosculos referebat: sui vero sæculi metas transgredi non potuit liber ad saluberrimas humani generis delicias comparatus.

Habet igitur multa histrionum exercitatio adiumenta ad oratorum institutionem & ad Reip. salutem multa; quibus si quid in ea mancum & imperfectum est, quod rebus humanis euenire solet; tegere oportuerat; non res leuissimas in crimen vocare, & diem ciuitati dicere quod fractum curis ánimum honestissima nonnunquam voluptate remittat. Nam si latet sub formæ venustate næuus atticuli; & pictores quædam in tabulis de industria negligunt, quo magis id quod præcipuè spectari volunt emineat: quid est causę cur omnia in theatris ad viuum resecentur, & histrionum caput ob malè curatam reduuiam in discrimen vocetur? Atque quid sit illud quod tantopere aduersariis nostris displicet iamdiu apud me disquiro solus: quod certè ita teterrimum est, vt aciem meam fugiat; si quid aliud esse dicitur quam hominum præiudicium. Satis enim compertum habeo quantum in recitandis aduersum nos Sanctorum Patrum testimoniis irraucescere soleant declamatores nostri: quibus, nisi me fallunt libri illi quos apud Pragmaticum depositos video, instructissimi venerunt. Sed vt sanctissimos illos fidei nostræ coryphæos, Religionis buccinatores, virtutis antesignanos summo sẽper in honore apud me esse volui (quicquid isti de nostra impietate calumnientur:) sic eorum contra nos voces, quanquam multas & graues, nunquam mihi pertimescendas esse putaui. Etenim cum

illis

illis adhuc sæculis vanissimus idolorum cultus optimam orbis partem occuparet, essentq; theatra Veneri, tragœdiæ ipsæ Diis aliis consecratæ in quorum honorem exhibebantur, antistites sapientissimi Christianos vt ab iis celebrandis abducerent, grauiter & verè pronunciabant, ad theatra non posse tum adiri, nisi per externam saltem superstitionis professionem, per cultum mali dęmonis, per fidem Christi eiuratam. Hinc illa dæmonis mulierem in spectaculo arripientis apud Tertullianum excusatio *iustissimè feci; in meo eam inueni.* Hinc eiusdem Africani scriptoris argumentum ita colligentis. *Si ex idololatria vniuersam spectaculorum paraturam constare constiterit, indubitatè præiudicatum erit etiam ad spectacula pertinere renunciationis nostræ testimonium in lauacro, quæ diabolo, & pompæ, & Angelis eius sunt mancipata, scilicet, per idololatriam.* Atque illud maximè vos animaduertere cupio, Iudices, priuatam eius interdicti causam in scenicis spectaculis nullam assignari, sed generaliter spectacula omnia vt circum, vt venationem, vt gladiatorium munus prohiberi. Hoc enim grauiter, adiuncta etiam Stoicorum porticu profitetur author, cum negat Christianis quicquam esse *dictu, visu, auditu, cum insania circi, cum impudicitia theatri, cum atrocitate arenæ, cum Xysti vanitate.* Ex quo certè fonte prodiit illa Saluiani Massiliensis exaggeratio. *In spectaculis quædam apostasia fidei est, & á symbolis ipsius, & cœlestibus sacramentis lethalis præuaricatio.* Quæ dicta vt ab illis auctoribus prodita sunt vobis omni fide quantum memoria suggerit, expono; ne quid de eorum sensu, aut dissimulare ta-

cendo, aut obscurare mutando censeat. Sed hæc quantum à sęculi nostri moribus abhorreant quis non videt, cum religio Christiana totó orbe propagata vanitatem ementitæ diuinitatis exclusit? nullæ iam Diis aræ extruuntur nulla idolis sacra fiunt, ludi celebrantur animi causa non superstitionis. Cessat illa Cypriani querela. *Quod spectaculum sine idolo, quis ludus sine sacrificio, quod certamen non consecratum mortuo?* Itaque cum id aut solum, aut potissimum in theatris accusarint Ecclesiæ optimates, luce meridiana clarius apparet ipsos ita suorum temporum censuram exercuisse, vt nostra penitus non attigerint. Iaciant igitur, & immittant in nos telum illud quantumlibet aduersarij, non peruenient ad famam & existimationem nostram nisi forte vt suo illos fero vulneremus. Nam illud ipsum, Græcos mortalium sapientissimos, Romanos omnium grauissimos in humanis ritibus nihil inuenisse post sacrificia & hecatombas augustius sanctiusque quo Deos, vt aiebant, immortales colerent, & placarent, quàm scenica spectacula: nonne apertè declarat quàm exaggeratam de illis opinionem imbibissent? non enim hic quæritur quàm veros Deos colerent, sed quàm sanctè & syncerè quos pro veris habebant, adorarent. Nullum ergo fuisse publicum & solemne sine ludis sacrificium in funeribus clarorum virorum in supplicationibus, in triumphis, in lectisterniis adhibita theatrorum spectacula, in vrbibus, in oppidis, inter publica & necessaria ædificia non magis aras quàm scenas, non prius templa quàm theatra fuisse numerata: & hæc à Græcis inuenta & exculta, à Romanis auidè arre-

Græci & Romani post sacrificia nihil habuerunt spectaculis scenicis augustius.

pta, & ſtudioſè conſeruata quis ſine admiratione ſpectaculorum audiuit? quis legit ſine approbatione theatrorum? Nemo iam mihi Athenienſes recenſeat, apud quos hiſtrioniam feciſſe fuit glorioſum: nemo Ciceronem Roſcio patrocinatum, theatrum à Pompeio, & Auguſto extructum, ſpectacula regionatim à Cæſare exhibita per omnium linguarum hiſtriones, Publium & Laberium mimos ſpectante populo vniuerſo ab eodem Cæſare equeſtri donatos annulo, & in quatuordecim ſedere iuſſos: & id genus ſexcenta commemoret: ſunt enim illa priuatorum iudicia, quorum leuior eſt auctoritas, quando communi gentium omnium conſenſione, ſine lege, ſine imperio, ſine edicto, id eſt, naturæ ipſius voce ſpectacula ſcenica recepta, ſtabilita, confirmata fuiſſe monſtrantur.

Naturæ ipſius voce ſpectacula probata ſunt.

Et vos in eandem venire ſententiam dubitabitis? Iudices, plus apud vos ponderis habiturum eſt Agelaſti vnius interdictum, quàm tot Regum & Imperatorum, tot Senatorum & Philoſophorum, tot populorum atque nationum conſpirans voluntas & conſuetudo? An dum theatrorum ſaxa loquantur, expectatis? hominum conſentiente auctoritate contenti non eſtis? at clamant illa ſe omnibus ſæculis quaſi ludum virtutis & ſcholam modeſtiæ patuiſſe: apud ſe ciuiles ferias in integra, innocente, religioſa hilaritate poſitas, magiſtrorum ſuorum artem Reip. conuenientem, iuuentuti neceſſariam eſſe: verſari in aulis Regum, in oculis Magiſtratuum: non minus animo concepturum ſcelus antiquitate teſte, qui theatra euerterit, quàm Xerxem, qui templa, qui aras, qui de-


lubra Græciæ disturbauit. Habeant sibi & musis suis Catones melancholiam suam, cur ciuitati vniuersæ voluptatem inuident? cur bonum quo ipsi frui nolunt, omnibus subtrahere moliuntur? Et hoc vestra voce, Iudices, fieri posse sperant bipedum stolidissimi, si nesciunt; impudentes, si cogitant tribunal hoc vestrum aram esse iustitiæ, sacrarium legum, propugnaculum innocentiæ. Vestram æquitatem reis solis scopulum esse; bonis autem ciuibus portum, anchoram calumniarum turbinibus & tempestate iactatis. Non petimus ali in Prytaneo, quod non melius de humano genere meritus Socrates, flagitabat: non ambimus magistratus & legationes, quibus insulis histrionum claros Græci rerum omnium æstimatores scientissimi decorarunt. Liceat tantum per vos in aris & focis nostris habitare, in sinu parentum, in complexu amicorum, in consuetudine ciuium viuere: interim castissimæ voluptatis officinam aperire, & agendo tragœdias efficere ne otiosi ciues nihil agere, vt negotiosi aliquando nihil agere videantur. Hoc ordines vniuersi expectant, hoc à vobis cum ciuibus postulat peregrina iuuentus, cui hac vestra sententia & ludum dabitis ætati necessarium, & disciplinam olim Reipublicæ profuturam.



MODESTINVS PROLATARVM CONFVTATIONE RATIONVM,

Histriones cum Fabulis suis procul amandandos esse demonstat.

ORATIO X.



ÆPENVMERO cogitanti mihi de histrionum licētia, venit in mentem optare vt aliquando daretur ille consessus, apud quem virtutis & modestiæ causam agere,& de tota spectaculorum proteruitate ex animi mei sententia disserere liceret.Sic enim existimabam, sic mihi persuadebam alios temporis fallendi gratiā tanquam delectabile negotium alios exemplo tanquam rem indifferentem theatra frequentare, & id ab vtrisque ex veteri consuetudine potius, & more pristino fieri, quàm prudenter atque cogitatò celebrari. Quæ quidem inconsiderantia si alicuius hominis ora-

tione graui & libera edoceretur, si hoc à se impetrarent homines, vt per otium animo quieto, solutoque rationum momenta ponderarent; sperabam equidem & errore suo, & magistris ad peccandum damnatis, tanquam ad aspiciendam veritatis lucem posse reuocari. Horum alterum singulari Dei beneficio mihi hodierna die obtigisse video vt vobis sedentibus, Iudices, vt audiente infinita hac corona, quę ad istud iudicium accurrit, quę sunt olim à me contra scenicorum artem cogitata proponam. Alterum erit æquitatis vestræ, prudentiæque conficere vt orationem meam, & eorum qui post me dicturi sunt, cum omni diligentia & accurratione perpendatis. Atq; id quod alia in causa vehementer reformidarem, mihi hoc loco accidisse gaudeo, vt erectos ac suspensos animos vestros docta sanè ac diserta Panurgi huiusce reddiderit oratio, qui licet infantiam imperitiamque suam non semel excusasse visus sit, in iis tamen quæ ad causam facerent inueniendis, solertiam; in enunciandis facundiam; in agendo artem ipse suam omnibus patefecit. Arguant fortasse iuuenes isti Rhetorum filij quod in aliqua orationis parte non satis ex decoro impudentius egerit; neque quid grauitas vestrã, quid dignitas huius consessus; quid causæ magnitudo postulet, animaduerterit. Non est enim ita vt arbitraris Panurge, aliud est in scena Aiacem, aliud in iudicio reum agere, aliud collectam otiosorum turbam fabulis, aliud grauissimos iudices rationibus mollire: hoc ferre homines in regno tuo coguntur; in foro, in subselliis, apud tribunal non solent. Neque minus contra maiorum instituta fecisti cum

occupato priore ad dicendum loco, in hoc iudicium non vt reus, sed velut accusator irrupisti. Sed nimirum, licet consilium tuum dissimules, video quo tendas: qui prior diceret, eum existimabas non parum sibi prçiudicij ad hoc iudicium comparaturum. Itaque eorum more qui cum valentiore aduersario congrediuntur, cum impetum meum sustinere non posse prospiceres, mihi cauendi necessitatem imposuisti: vt qui paratus ad accusandum veneram, mutata derepente iudicij forma in responsione de gradu deturbarer. Quæ conditio, quanquam est insolens & iniqua, sic admittetur à me, Iudices, vt in hoc certamine arma illa quibus ad tegendum instructus apparebo, etiam ad nocendum sumere permittatis. Neque enim æquum, bonumque fuerit occupari me totum in euellendis gladiatoris istius telis, nisi referire aliquando liceat: & cum præparatam domi accusationem abiudicem, atque repudiem, necessarium est vt saltem ab hoste arma accipiam, si pugnare volo lacessitus. Quod non potius causæ fiducia mihi persuadet, quam vestra, Iudices, humanitas & prudentia, qui dicentem illum auerso sæpè vultu exhorruistis: vt facilè appareret, vos eius phaleras ad populum remittere, & apud aures tam eruditas malè mendacia venditari. Et certè si tantum à doctis & sapientibus viris eius audita vox esset, deplorata iam foret theatrorum causa, & iste aut vt fraudulentus calumniator, aut vt iniquus præuaricator literam suam in fronte gestaret. Sed abusus est vestris auribus dum seruit plebeiis; & qui in hoc consessu fraudes suas ab aliis detegi per ignorantiam non posse

existimat, ab aliis propter humanitatem non debere confidit, veritatem prodit apud sapientes, vt eam penitus à populi mente deiiciat. Quam audaciam cum sit è vestra dignitate, reque publica, teste populo ipso reuinci, idque à me non tacita neque obscura voluntatum testificatione requiratis: non permittam fidem hanc in parte meam desiderari, quin, vt occurret occasio, tabulis etiam in medium prolatis eius mendacia diuulgentur.

Atq; vt incipiam pedem conferre, quærit Panurgus quid difficiles morum magistri in tragœdiis suis, quid in arte histrionica, quid in se sodalibusque reprehendant? Suorum quidem innocentiam in tuto esse non dubitat: Histrioniā verò quasi ex altera parte respondere poëticæ facultati, & duo esse peregregia humanæ vitæ ornamenta proclamat: fabulas deniq; meram esse Philosophiæ medullam, earum autem exhibitionem sacris concionibus longè præferendam contestatur. Quę quàm vera existimet non habeo dicere: certè vobis persuasisse sibi persuadet, & etiamnum in sinu gaudet, quia inter orandum oculis sæpè emissitiis in ima corona reperit qui sibi arriderent. Ego verò, quanquam interpellare lætitiam inurbanum est, ne me tamen inter suffragatores suos enumeret, præcisè respondeo me in arte nequitiam, in fabulis obscœnitatem, in personis infamiam, vbiq; turpitudinem, nullibi pilum probitatis inuenire. Quę omnia iam vobis cognita atque perspecta, Iudices, pro vestra in omnes benignitate, & in Remp. charitate, oro atque obsecro patiamini multitudinem edoceri: vt cum grauem in histriones sententiam pronunciabitis, de rei æquitate nemo du-

bitet; neque vllus in posterum è ciuibus veritatis ignoratione ad amorem spectaculorũ abutatur.

Ars sceni-ca apud Atticos ab ebriosis inuenta, & ex maledictis confla-ta.

Et vt ab arte initium dicendi faciã, à qua velut ab impurissimo fonte in personas&fabulas,omne dedecus flagitiumque promanat; eius originem, si placet, & incunabula considerate: tum vt spero statuetis ita esse ipsi à natura insitam fœditatem vt nulla hominum adulatione celari, nulla histrionum industria deleri posse videatur. Sic enim accepimus rusticos veteres, non eos quos ab aratris & ligonibus ad prætextas & fasces Romani euocabant, sed facetos, & dicaces Atticos per vindemias feruente musto, spumante cuppa, labris vuarum succo, genis fæce apprimè purpuratis, conuicia inuicem iactitasse; tum post multiplices choreas, per pagos & κώμας (vnde & Comediæ nomen) discurrentes, obuios quosque lepidis illis & bonis dictis impetiisse. At non diu in agris & rusticorum magalibus morata est illa licentia, sed quod in torcularibus casus inuenerat, id in vrbibus iuuentum excoluit industria. Nam vt pessima facile proserpunt, inuasit vrbanos adolescentes ea maledictionis dulcedo, & arte quadam rudi iocos illos scriptitarunt: deinde velut confirmatis viribus, maiore hominum frequentia, promptiore audacia proruperunt in satyras: nec vllum licet prudentissimum, licet ciuitatis principem intactum reliquerunt. Itaque cõcurrebant ad histrionum theatra quasi ad conuiciorum officinam qui suam profuderant famã, alienæ imminebant: venalem histrionum vocem, & stylum contumeliosum sibi adiungebant improbissimi quique vt in aliorum existimatio-

nem nullo suo periculo eo confidentius sæuirent, quo tutius atque occultius. Deus sancte! quam indignum erat applaudente populi fæce turpissimorum ganeonum vocibus, grauissimos & sanctissimos principes Pericles, Alcibiades, Pisistratos, Socrates, Thrasybulos lædi atque infamari, proponi spectanda omnibus ficta vitia, quæ si vera essent, tamen priuatis parietibus cælari debuerant. Hæc tempora nascentis Comœdiæ tanquam scopulum cautè vitauit aduersarius, ne cogeretur agnoscere eam; quam velut filiolam suam osculatur, apud impudentes rusticos, inter dolia prognatam, ex ebrietate atque maledictis concretam incredibili audacia & importunitate in vrbes irrupisse: designasse ad infamiam præstantissimos ciuium, &ea recitando edocuisse flagitia quæ se tantorum virorum auctoritate non difficile tuerentur Memini tamē audire me alios spectaculorum patronos qui originis suæ turpitudinem inuerecundè, vt omnia publicarent: eius inuentionis venustatem, apertæ reprehensionis vtilitatem commemorarent: indignarentur homines ea facere ausos quæ audire non sustinerent. O censores graues! ò sanctos morum publicorum castigatores! adeone cor cum fronte perdidisse scurras petulantissimos, Balliones flagitiosissimos, vt fæcibus ori inductis migrarent subito in nouos Solones, & viros integerrimos notarent, omnium conuiciis exponerent, infami digito monstrarent? Itaque cum alia multa, tum illud iustissimè instituerunt Græci, in Satyricos illos histriones, qui, vt ait ille, nuditate nominum abusi plurimum vitia carpebant,

plus homines, vt impudentissimo latratu abstinerent, & vel inductis, vel mutatis nominibus, vitæ communis vitia non tam verbis reprehenderent, quam actione.

Reprehensionis specie vitia docentur in Comœdiis.

Sequitur ergo quasi altera ætas comœdiæ, quę à sui exordio non leuiter alienis aspersa est maculis, sed in omnium scelerum luto totius corporis vestigiis volutata: simillima torrentibus, qui omnia cuiusque modi rapiunt, & cum cloacas atque compita perpurgauerint, eorum sordibus inquinatissimi feruntur. Atque vtinam fecisset Deus Immortalis vt aculeum illum aut nunquam sensissent Græci, aut primo quod inflixit vulnere extraxissent! Vtinam non Eupolim tantum, sed & vniuersam cum illo Comœdiam à qua sæpè in infamiæ voraginem demersus erat Alcibiades, vno impetu oceani vorticibus obruisset! non tot inde scelera hominum vitam, non tot calamitates Rerumpublicarum status, non tot vindictæ diuinæ fulmina orbem vniuersum pessundedissent. Hac enim licentia ad omnes libidinum impuritates abusi Dionysiaci artifices, quas continentiæ strages, quas castitatis cædes non ediderunt? vbi sæpius exposita scorta, vbi licentius redemptæ meretrices, vbi inuerecundius audita verborum propudia, quam in theatro? Ignoscite, Iudices: plura quæ sentio liberè proferre nō possum: licet enim rei indignitas à me si exponeretur, iracundiam vestram excitatura esset; mihi tamen verba subtrahit verecundia, & tribunalis huius sanctitas sola rerum flagitiosissimarum commemoratione non contaminanda. Equidem Græcorum hoc loco magnoperè requiro prudentiam, qui se bo-

norum virorum officio satisfecisse putarũt si nomine ciuium scenicis interdicerent, vitiorum repræsentationem concederent Nam vt est oculorum quam aurium sensus acrior, atque acutior, & mentem ab oculis euocare difficillimum est, & flagitia cum naturæ vitio facilius in animum irrepunt quam virtutes, tum per oculos quasi fenestras expeditissimas blandissimè sese insinuãt. Itaque licet disciplinæ artesque omnes auditu commodè percipiantur; in vitiorum tamen, vt sic dicam, doctrina principem ad intelligendum locum iure suo visus obtinet. Hinc illa pessimi vis exempli, & perquam efficax praui documentum mala actio multis videntibus perpetrata. In quo illud etiam lugendum animaduerto, scitè pictam in tabula deformitatem mirari nos, & ridere monstrosum hominem ore distorto, pendente lingua, fluentibus buccis; qui tamen eius similitudinem speciemque gerere velit, reperiri neminem: cum è diuerso morum turpitudinem, quod portenti genus longè perniciosius est, spectatam in alio sic amari videamus, vt eius imaginem plurimi homines in vita sua deformare non dubitent. Quid quod in his ipsis theatris aurium sensus, quanquam hebetior, asperum nihil & iniucundum pati potest: oculi nihil alienum respuunt ab honestate? Nam histrio si vna peccauit syllaba exsibilatur, atque exploditur: si subsiliit indecorè, si digitis turpiter micauit, si ad aspectum meretricis expalluit, acclamationibus celebratur. Id vero nõ semel expertus est Euripides tragicorum poëtarum grauissimus, qui cum ex personæ, quã inducebat, decoro Iouem se neque

ſcire quis eſſet, neque an eſſet vllus laborare, ſcripſiſſet, tumultum populi, cum talia recitarentur, exortum non prius ſedauit, quam blaſphemos illos verſus obliteraſſet. Alia quoque in Tragœdia cum Bellerophontes immenſa quædam de pecuniæ diuitiarumque laudibus prædicaret, conſeſſus vniuerſus contra carmen & recitatorem exſurrexit: neque erumpens ſeditio ante cōpoſita eſt, quam proſiliret poëta ipſe in publicum, & illum auri admiratorem auaritiæ ſuæ pœnas daturum extrema fabula promitteret hęc ergo Græcorum nonnulli æquis auribus accipere non potuerunt, & apud alios, fortaſſe & eoſdem, apud Romanos quoque haud paulo grauiores comœdorum partubus, hiſtrionum ſubagitationibus, nudis floralium meretricibus nemo reclamauit. Niſi forte id in laude ponimus quod ſemel præſente Catone Pop. Rom. ab illo propudioſo aſpectu ſibi abſtinentiam imperauit. Atqui ſi benè & honeſtè ſcorta nuda in ſcenam, in oculos omnium producuntur, quidni coram Catone? ſin autem id fit virtute profligata, proſtrata pudicitia, honeſtate proſtituta, cur etiam illo abſente? Catonem timuerunt, & cœlum conſciū, & vindicem Deum non timuerunt. Atque hæc contra oculorum ſenſum pro auribus non diſputo, quod exiſtimem nullum caſtitati vulnus à verbis verſibuſque apud Comœdos eſſe metuendum. Scio enim quam altè voces prætextatæ in animum deſcendāt, quam firmiter ad memoriam adoleſcentium libidinis iſta fax adhęreſcat, quam multis exitio fuerit ea audire in theatris, quæ poſtea domi reguſtarent, quę in familiarium con-

suetudine referrent, quæ in lupanaribus exercerent. Sed Histrionum quam ipsi industriam, sapientes impudentiam appellant, à Poëtarum scriptione discretam esse monstrare volui, vt cum incunabula comœdiæ in rusticorum comessationibus deprehenderitis, robustiorem ætatem in edocendis flagitiis positam fuisse intellexeritis, verum iudicium de artis ipsius sanctitate, & præclara vtilitate feratis. Verum cum ad gestus accesserunt verba, cum vtroque sensu præsentium verecundia tentatur, cum collatis viribus hinc Poëtæ, inde Histriones hominum castitatem oppugnant, quæ lorica constanriæ tam est fideiis vt illo cupidinis telo non perfodiatur? quæ virtutis arx tam est altè ædificata, ad quam ignea veneris sagitta non perueniat? quæ sanctitatis munitio tam est inexpugnabilis, quam duplex ille aries non labefactet, perfringat, euertat?

Histrionica recitatio à facultate poëtica penitus seiuncta est.

Laudas hic mihi tu, nouè Rosci, Poëticam facultatem. Quid ad te? quid est affinitatis arti pulcherrimæ cum lutulenta tua actione? videlicet cum in arte tua laudabile nihil occurrat, mutuum sumis è vicina. Geographorum hoc est, quos patriæ paruitatis suppudet, quando sola in tabula describenda est: confines circunquaque adiiciunt populos oppido liberaliter, vt in eadem membrana Rhenus flūat & Tamesis, & vnus oculorum coniectus Parisiensem Luparam, & Romanum Capitolium annotet. Ita se magnos autumant magnitudine vicinorum. Quanquam quæ illa vicinia est? quam parum attinet ad poëticem recitatio? quam est extraria? Dramata, collocutiones, diuerbia quota pars poëseos sunt? Et istis quoq;

necessariam esse pronunciationem Histrionis Aristoteles negat, quia sine illa vult placere legentibus: & totum scenæ apparatum, machinas, modos musicos & id genus alia extrinsecus ascita minimè artificiosa videri pronunciat. Importuna quin etiam actorum contentione coactos affirmat Poëtas natiuam tragœdiæ venustatem detrahere, & vltra præscriptos à ratione terminos ad maiorem iusta producere granditatem. O germanos Poëtarum Histriones, qui fratres coegerũt crescere vt claudos exhiberent! ô vicinam Poëticę Histrioniam, quæ afflatu suo tanquã pestilenti sidere totam eius formã obscurauit! Quod si operam tuam Tragici, Comicique vt perfecti sint, reformidant, vide quo te iure in nobiles Epicorum, Lyricorum, Elegiacorũ cohortes inferas atque intrudas. Omni prædicatione dignam poësim profiteris. Assentior: & quando te minus peritum esse putas, si vis alio die de eius laudib⁹ ex me audies, etiam resectis iis quæ in alteram partem probabiliter dici solent. Sed Poëtas afferri audies sanctos, graues, innocentes: illos quodã afflatu quasi diuini furoris inflammatos, non fractos & molles, non impudicos & effœminatos & planè tuos, qui Mineruã suam constuparunt, Musas prostituerunt, Parnassum vestigiis libidinum fœdauerunt Fabulas probari audies, non Plauti Bacchides, Eunuchum Terentij, sed Sophoclis tragœdias & Euripidis, quarũ argumenta sint humanæ vitæ documenta, singuli versus singulæ sententię: quas qui spectarit, vt Socrates, incitetur ad philosophãdũ, qui legerit, vt Alexander ab Homero totũ Regis officiũ, vt L. Lucullus ab historicis munus impe-

ratorium, sic iste ex iis libris artem benè viuendi condiscat. Sed vereor vt palato tuo insulsa videatur illa laudatio qui iocis parasiticis, salibus meretriciis, amatoriis pulmentis scenam tuam soles conspergere.

A Comœdiis nunquam abest obscœnitas & turpitudo.

Hoc sibi in more institutoque positum significauit, si attendistis, Iudices, cum simplicitatem nostram irrisit, qui venereos illos scrupulos non admittimus, & omnia quibus castitas deflorescit, vt canem & anguem euitamus. Hoc palam profitentur emissarij theatrorum amatores, qui tantoperè ad istorum fabulas adhinniunt, eas non amari, in quibus non amatur, non placere spectatoribus, in quibus nulla puellæ forma placet actoribus: & si quando sui propositi oblitus poëta histrionicus serij & grauis argumenti tragœdiam vendidit, eamque isti egerunt, friget scena; quoniam in ea caro putida defuerit, nisi elegantem mimum adiiciant pro tragematis & bellariis vt illecebram turpitudinis, otij inutiliter positi corollarium, libidinis appendicem. Hanc in rem mulierculas circunferunt, quarum non minus domi pudicitia, quam in theatro forma publicatur: quæ intra priuatos parietes suos exercent amores vt in scena penitus ad viuum alienos repræsentent. Hæ sunt virtutis scholæ quas tu, Rosci, tantoperè prædicabas: hæ prælectiones tanto interuallo sacris concionibus ante ponendæ: hi ludi casti atque innocentes rebusp. necessarij; hi denique magistri sanctitatis. O cœnum! ô sordes! ô ciuitatum propudium! labes iuuentutis! non satis efferuescebat illa, antequam hæ nouæ faces subderentur? non poterat præceps in flagi-

tium ruere nisi illud tam facili methodo perciperet? Proh Deus Immortalis, potest ne plausibilior doctrina maiore cum efficientia demonstrari? lô gymnasia! ô perditos Gymnosophistas! libido claro meridie, patente domo, titillante sensu, approbantibus omnibus per oculos & aures in animum introducitur, incidit flamma in idoneum fomitem, alitur voluptate, tegitur recordatione, augetur consuetudine; quod incendium, Iudices, quam morum perniciem, quam famæ, opum, corporis ipsius ruinam peruidetis? Sperate vtiles in bello milites, in Curia Senatores, integros in tribunalibus iudices, sanctos sacrorũ præsides, fidos principibus, commodos Reip. ciues, si in tali eos schola educatis. Hoc enim profiteri omnes cogimur vsu rerum & experientia edocti, animo per libidines corrupto nihil altum inesse.

Obscœnas fabulas, nõ edere sæpè sed frustra promittunt histriones.

Vidit hunc scopulum aduersarius, & euitatum credidit illa veteri & decantata responsione, obscœnitatem paucorum culpa in theatrum irrepsisse, tolli posse facili negotio; debere certè, quando id vnum graues & honestos oculos offendit. Hoc cum fingeres, Panurge, non animaduertebas tentari à te patientiam iudicum qui vultu auerso, fronte contracta, indignantium gestu si quid sapis tibi dicebant. Quæ, malum! ista est inueteratæ turpitudinis excusatio? quandiu rancidam cantilenam plani isti nobis occinent? quod semper pollicentur, quod millies iam factum putauimus, ne semel quidem fieri potest? Sexto quoque mense nos inuisunt, primo aditu in vrbem proposita tabula publicè, priuatim per domos nobis recipiunt facturos se vt ciuium verecundiæ consu-

latur: non esse de illorum grege qui pudicitiam quæstui habeant: in basilica Burgunda Regi & aulicis iucundo fuisse spectaculo: quid plura? binas aut ternas principio exhibent magnificas & ab omni voluptatis lenocinio satis expurgatas, quibus cum irretita fuerit hominum etiam optimorum curiositas, redeūt deniq; ad ingenium, & sub extremum eo nequiores fiunt quo diutius perditæ consuetudinis torrentem continuerunt. Ita non incautos illudunt, & probitati nostræ insultant eam expugnando. Quod si paucorum id vitium est, cur omnes sic viuitis, sic agitis, sic fallitis? Si corrigi debet, certè potest. Itaque corrigatur: quoties promissum est, quoties iussimus? corrigatur tum demum liberos ipsi nostros manu in theatrum deducemus. Id si fieri non potest, impudenter spondetis: si potest flagitiosè recusatis: vtrumque vobis vrbe nostra penitus interdicit, Mihi quidem vestra hæc querela, Iudices, qua parte vos sępissimè falli doletis iustissima semper visa est. Si tamen ipsi nequitiæ honesta potest prætendi defensio, nego solos in culpa esse histriones, qui id non faciant quod facere nolunt: sed vos etiam aliquantum illa aspergi macula qui tamdiu speraueritis id eos facere velle quod omnino non possunt. Nam vt illæ quondam simiæ in puerorum morem comptæ & ornatæ naturam suam tamdiu dissimulare potuerunt, dum nuces in theatrum coniectæ sint: sic isti honestæ formæ artifices, vbi plusculum lucri olfecerint, sponte, atq; ipso quasi naturæ impetu, in turpissimas bestias degenerant. Non licere autem ipsis non esse nequissimis, sed ea flagitia eorum arti esse innata

& in ea penitus insita, vna mihi ratio persuadet, quam tibi, Panurge, probandam spero, quoniam & ad eam digitum intendisti, sed planè latenter: & vides me non esse ita tibi inimicum vt malitiam tuam alio non deriuem Scio equidem liberum tibi olim fuisse artis huius potius quàm probę atq; ingenuæ delectum; in quo quantum peccaueris, hac præsertim ingenij bonitate, quantam oratione tua perspeximus, ad causam non attinet: Sed vbi semel ad illam rationes omnes tuas applicuisti; tum fateor impositam tibi omnis turpitudinis necessitaté, & scelera tua non à te in theatrum illata, sed à theatro potius in te tuosq; socios deriuata.

Quoad enim possum replicare anteacta sæcula, & artis histrionicæ prima exordia recordari, semper eam flagitiis contaminatam fuisse comperio. Id autem non ab actoribus primum profluxisse demonstrat Atellanorum honestas: non præcisè ab ipsa tragœdiarum exhibitione profectum esse probat etiamnum oppidorum & Academiarum consuetudo, in quibus ciues honestissimi, nobiles atque liberaliter educati adolescentes animi causa personas sustinent, & laudabilia è sacris profanisque literis argumenta, summa cum dignitate repræsentant. Itaque ad ipsam artem scenicorum pertinet ea M. Tullij reprehensio æquissima, qua negat vnquam Græcorum comœdias, nisi consuetudo vitæ pateretur, theatris sua flagitia probaturas. Eodem refertur quod apud Romanos, quorum historia quàm Græcorum nobis notior est, monéte ipsorum doctissimo obscœnum à scena dictum est: quare turpe inquit, id obscœnum est, quod nisi in scena palam dici non debet. Hist-

Turpitudo in comædia natura penitus insita est.

Theatrum & prostibulum idem est.

palensis autem Isidorus diligens latinitatis indagator idem Theatrum & Prostibulum esse ait, eo quod post ludos exactos ibi meretrices prosternerentur. Quod certè nemini mirum videbitur qui cogitauerit Pompeij theatrum aliud nihil fuisse quàm gradus Veneris templo suppositos: imo vniuersè theatra omnia non alteri Deo quam Veneri fuisse dedicata. Nam si nihil turpitudinis in scenicis potius, quàm aliis ludis publicis esse putauerunt Romani, cum Mercurium palestræ, Circo Neptunum, arenæ Martem præposuerint, cum theatro non Apollinem Poëtarum Deum, non Mineruam disciplinarum præsidem, non Bacchum ipsum vt Græci, sed Venerem præfecerunt? Certè indignatur Arnobius in Floralibus ludis flagitiosas res agi, & migratum ab lupanaribus in theatra. Plautus è contra post spectaculum meretricem promittit, quæ sine auspicibus vltro nuptum eat. Sunt ergo theatra septa vndique & munita luxuriæ quasi excubiis: quocunque te vertas, vt Sirenes, sic impuræ occurrunt in spectaculis libidines: transitur à lupanaribus in theatra, à theatris in lupanaria reditur, in ipso theatro lupanari constituitur locus ad quem spectatores inuitentur. Viri illi prudentia & grauitate præstantes, coram filiis impuberibus aut iurare, aut turpe verbum proferre nefas ducebant, quæ palam adolescentibus præsentibus & dicere & audire religiosum putabatur? vxorum vinolentiam (& quantum illa ab adulterio distat?) probatam osculo, morte plectebant: & ipsam libidinem in theatris, ipsam Venerem per oculos immissam sine crimine habebant? Nimirum exterminata è priuatis do-

mibus scelera atque flagitia debuerunt in vrbe locum reperire, quo velut in sentinam, & sordium omnium receptaculum confluerent: quibus qui se vellent oblinere, conferrent eo se se alacres volentes bonis auibus: qui castis & sanctis moribus studerent, ij talis loci contactum effugerent.

Hac igitur dictorum licentia, hac impunitate flagitiorum, locorum opportunitate, adulteriorum commoditate histriones & ipsos frui, & alios vti docere, tam fuit illis temporibus necessarium, quam doctori medico artem curandorum corporum, Philosopho scientiam indagandæ naturæ, Rhetori copiosę dicēdi disciplinam tradere. Nam si verè Tertullian. Theatrum *proprie Veneris sacrarium, & priuatum consistorium impudicitiæ* nuncupauit; quos Antistites eiuscemodi templum, quos præsides consistorium, quos genios locus habere potuit præter histriones? si tragœdiæ, quod idem scriptis affirmare non veretur, sunt (*scelerum auctrices, & libidinum, cruentæ & lasciuæ, impiæ & prodigæ*, eas ne sic agere posse videntur histriones, sic gestu exprimere, domi meditari, memorię infigere, quæ est pertinacissima praui custos, vt non illa vitia ad eorum vitam & mores adhęrescant? Id vero in hac hominū consuetudine fieri non posse declarant non tantū Demosthenis in Æschinē actiones, non Ciceronis pro Roscio patrociniū, quo multū sudat magnus orator vt Comœdū vnum virū esse bonū iudicibus persuadeat: & verò id nunquā efficeret, nisi simpliciter & serio affirmaret, tam bonum virū esse, vt eam ob rem vnus esset indignus qui in scenā prodiret: sed maximè grauissima Sanctorum Patrum auctoritas per omnes ętates ab il-

Turpes & flagitiosos histriones esse oportet.

lis Rom. Imperij temporibus perpetua serie penè ad nos vsq; deducta, qui nihil magis in spectaculis quàm luxuriã impunitam, nihil minus in histrionibus quã vitæ probitatẽ deprehenderunt. Quem ego locũ non attingo, ne quid de sapientissimi viri qui peroraturus est, oratione & officio videar delibare. Et licet Christiana forte modestia effrenatam illã gentilium licentiam aliqua ex parte compresserit; quã amplę tamen eius reliquię, quã fœda vestigia in fabulis remanserint, quotidie ad videndũ inuitamur; De histrionibus aueo scire quę sit hominũ opinio. Est ne vllus, non dico vestrum, Iudices, nõ est enim ordo sanctissimus interrogatione contumeliosa dignus, sed illorum quos procul stare videtis, eorum opificum qui arte sordida quotidie quæstũ faciunt; est ne inquam qui filiũ suum patiatur inter Comœdos profiteri? qui opificium quantum-libet humile & abiectũ cum arte scenica velit cõmutari? qui suũ quęsticulũ illorũ lucris, laborẽ deliciis, tenuem supellectilẽ splendido choragio putet oportere postponi! Quis autẽ est omniũ sensus, quę vox cũ prætereuntes digito monstrantur tanquã noui è Peruuio, aut Iaponia homines? quis paulum honestior à Comœdo salutatus non erubescit? quis eius notitiã sibi honori ducit, pedem in domũ inferre permittit mẽsa, hospitioq; dignatur? Vagãtur per oppida sine tecto, sine lare, ignotis parentibus quasi vulgo quæsiti, amicis & sodalibus è iuuentutis fæce collectis, incertis facultatibus quę in scęna corrogatę, in cœnis dissipantur: operam locant in leuissima voluptate hominibus concilianda, id perficiũt quinq; aut sex vt summũ tragœdiis vetustate rancidis, at-

tificio impolitis,arguměto lasciuis,dictione vernacula suauibus,quibus recitãdis,actitãdis,declamitandis omnia vicinarũ vrbium sphæristeria cõtriuerunt. Quæ vbi sunt exhaustæ omnes, nemo quærat nũquid amplius? aulæa tollũtur, vasa colligũtur, ludiones euanescunt,idẽ alibi,idem centies reddituri. Sic in patria exules, semper abiecti, nunquam exclusi, vbiq; viuunt, nullibi habitant, amati & contempti, priuatas domos exhauriunt, tabernas meritorias locupletant; adueniunt mendici, exeunt inopes, & quod est nouum Philosophiæ genus, seipsis suaque saturitate contenti.

Iam verò illos homines hac vitæ integritate, his morum insulis ornatos, vobis, Iudices, Panurgus hic offert, qui posteaquam vos in spectaculis exhilarauerint, liberos vestros iam grãdiores, & rhetoricis imbutos disciplinis, artem aptè pronunciandi edoceant, quæ cum illis nata, cum illis moriatur necesse est. Nam quo vos obstringetis scelere si aut eloquentiam à Rep. aut actionem ab eloquentia, aut artem scenicam ab actione tollitis? Quod si aliud quidpiam quam quod ex tragicis comicisque rebus edisci potest scire debuisset, si à theatro reflectere oculos, & cœlum suspicere potuisset, si in Astronomum Manilium incidisset, iam locupletes & honestæ domus, omnes histrionibus refertæ essent: neque iam quaternos à vobis asses emendicarent sancti & graues homines, sed honestissimi quique, & publicæ rei priuatæq; studiosissimi magna ambitione certarent, quis primus Pantomimum in familiam familiaritatemque adsciscere. Aiunt enim Astrologi Pædagogorum & histrionum eandem esse genituram, sub

Falso assumit aduersariùs actionem oratoriam ab histrionibus perpoliri.

Aquario adiuncto ad Cepheum. Itaq; si cœlo ipso teste, si astris consentientibus, si fatali quadam, vt cum antiquis loquar, naturę necessitate, & quasi cognatione coniuncti sunt cum Pædagogis histriones, quidni liberis vestris Pędagogos ex theatro & histrionia prouideatis? Quid hic agam, nisi me docetis, Iudices, quo me vertam equidem nescio: ita mihi omnes ad effugium exitus seu veritas, seu aduersarij oratio interclusit. Negem eloquentissimos omnibus sæculis viros omne momentum in actione posuisse? negem omnibus numeris absolutam esse histrionum actionem, plusq; illos gestu probari sæpè quàm voce? vtroque autem aptè concinneq; vtentes ea quæ dicunt si per se laudabilia sunt, efferre in maius; si iacent, erigere, & vt vendibilia proponere? negem histrionibus vsum esse Demosthenem, aut Ciceronem? vtendum præcepisse Quintilianum? hæc cum pro certis compertisque habeantur, quis ferat si dixero quod mihi mens suggerit, quod ratio vehementer suadet, quod causa penè extorquet, alienam esse omnino ab oratoris facultate actionem histrionicam; ab hac non modo in illam nihil profectum, sed si rerum repetundarum iudicium exercetur, hanc illi plurimum debere: deniq; non oratorem à Roscio, sed ab oratore Roscium didicisse? Et tamen ita res habet, iudices, id loquuntur historiæ, id auctorum monumenta declarāt Nam actione qui pręter cęteros valuit Q. Hortensius Æsopum, & Roscium frequētes habuit, auditores dicam an spectatores? accurrebāt cupidissimè ad eum causas agentem artis ludicrę Coryphæi, defixos in oratoris vultū oculos, manus, corpus tenebant hi-

Plus venustatis in agendo ab oratoribus histriones quàm ab histrionibus oratores accceperunt.

ſtriones pręſtantiſſimi: quid diceretur Iudices, ipſi autem quomodo, diceretur omni animorũ contentione ſpectabant, vt geſtus in foro diſcerent, quibus in theatro vterentur. Itaque per me licet, Ciceronem totum refinxerint? ſolum enim quod ab Hortenſio mutuum acceperant, id Ciceroni reddiderunt. Eſto illorum opera M. Tullius oratorum princeps & penè regula ad eloquentiæ faſtigium conſcenderit; illa ſcientiæ perfectio à rege fori Hortenſio dimanauit. Denique quód Tullius Roſcio, id Roſcius debet Hortenſio. Dicet aliquis, vnde igitur Hortenſius tantam rei difficillimæ abſolutionem eſt conſecutus? Quæriſne quî fiat vt in omni diſciplinarum genere aliqui ſine magno magiſtrorum præſidio ſumma cum laude verſentur? vnde accidat vt in ludis literariis pueros non paucos videamus annuas in theatris exhibere tragœdias, æquali, ſi non maiori cum venuſtate quam ludiones iſti dupondij, qui tam ſunt miſera ad artem ſuam natura, vt ab ea concinnum verſus vnius geſtum toto anno vix poſſint extundere? Neque enim omnes Roſcios eſſe putandum eſt, aut Ambiuios: Turpiones certè videmus plurimos ore ſordido, manibus hirſutis & pinguibus, voce agreſti, planipedes, craſſipedes, qui cum ſtolidos agunt in ſcena, eos ipſos eſſe nemo peierauerit. Neſcis quanta vis ſit cogitationis, & impreſſæ in animo notionis: quam ſint aliqui à natura facti ad res quaſlibet effingendas: quid poſſit improbus ille labor & induſtria, cui ſi non Hortenſius, certè Demoſthenes acceptam ſemper retulit actionem. Eſt enim per ſanè ridiculum duobus vulſis & recaluaſtris lu-

Demoſthenem labor & induſtria, non hiſtriones oratorem fecerunt.

dionibus totam Demosthenis gloriam attribuere : illud ingenium quod victor apud Chæroneam Philippus exhorruit, à mimis nescio quibus arcessere : illam eloquentiam, quam aduersus Tutores feliciter expertus, contra Midiam, Æschinem, Philippum ipsum gloriosè exercuit, in duos terræ filios refundere. Nimirum balbutientem eius linguam ita soluit Satyrus vt primam artis suæ literam expeditè pronunciaret. Vocis acerbitatem mitigauit, lateri firmitatem addidit Andronicus : cum illisorum fluctuum fragores declamando superaret; cum ore calculis referto, continenti spiritu multos versus recitaret; cum gestus & ip sum totius corporis habitum in ingenti speculo quæreret; cum angustissimo in loco pendentem è lacunari hastam penè in humeros demitteret, vt vitiosum motum euitaret, nihil promouebat Demosthenes, sed quasi Sisyphi saxum versaret, in studiorum initiis semper insistebat, donec histriones duo eloquentiæ genij cum manu prehensum in illud consummatæ virtutis culmen educerent. Quod si ab arte scenica tam multa, tamque magna accepit beneficia, profectò crudeliter ingratus fuit, qui Æschinem tam malè tractauit: Æschines autem fustuarium meruit, qui Satyri tyronem ipse primarum partium histrio non potuit sustinere,

Actio histrionica in oratoribus à Cicerone non probatur.

Age vero quid à clarissimis illis Athenarum luminibus didicit, si quid tandem discere potuit Demosthenes? Actionem inquis, quam? oratoriam. Audio. qualis autem illa est? Quærendum ex oratoribus. Præclarè? Vis ergo consuli Ciceronem, illum quem Æsopo & Roscio addictum

gloriaris? Prę illo neminem alium. Audias igitur oportet quę sit eius in oratoriis institutionibus sententia. Sanè libenter. Atqui ille Atticum oratorem cum informat, actionem in eo requirit *non tragicam, nec scenæ, sed modica iactatione corporis.* Vides nihil hic tuum, si nomen excipis, postulari. Quanquam cur ipso nomine actio tua potius futura est, quam oratorum? nisi quia fortasse virtutum tuarum caput est, oratoriarum accessio. Alio præterea libro, de toto agendi genere in Crassi oratoris persona disputans gestum motui subiicit *non scenicum qui verba exprimat:* laterum inflexionem addit *fortem ac virilem non ab scena & histrionibus, sed ab armis, aut etiam à palæstra.* Iam-ne sentis Rosci quam parum adiumenti actio tua oratoribus importet? videtur-ne tibi gestus histrionicus Demosthenem perfecisse, qui Æschinem suum defecit in concionibus? Audes prædicare Roscium M. Ciceroni quicquam contulisse, cum hic illum audierit tantum vt expenderet? expenderet autem? imo vt contemneret, vt discuteret, vt expelleret. Nam si quæras à Cicerone; dic M. Tulli placet ne tibi actio in oratore? vel maximè: inquiet, Ecce illam apporto, vtere. Quis tu, & vnde? à Scena histrio. Apage cum scenica tua mollitie. At Roscium & Æsopum amasti. Etiam obloqueris tu? in theatrum ludio. Aliunde hoc quam à nobis speres? habeo vnde quæram honestius, ab armis, à palæstra:: hinc semper ad cauenddum petendumque promptus efficiar. Ita quidem ad agnatos Cicero te remittet. Sed Quintilianus luculentus scriptor ac celebris, armis & palæstra non contentus, ipsam

Quintiliani consentiens eadē in re iudicium.

etiam saltationem destinato ad eloquentiam puero commodiorem arte tua tota iudicabit. Erubescis Panurge: mira res: vnde hic tibi color? quid times? quæ vox à te grauiter accepta est? an indignaris saltationem leuissimam artem, & censoria Catonis nota iamdudum condemnatam histrionicæ præferri? an potius ad Quintiliani nomen exhorruisti? at illum honoris causa appellasti, eius auctoritatem magnoperè extulisti, ad eius testimonium quasi ad Archimedis inuentum exclamasti. Verum scito illi vt respondeam laudatum à me Quintilianum: neque enim possum committere vt error hic in plebeiorum mentibus diutius resideat. Decepisti, Panurge, imperitos, si ex ignorantia quam sæpè professus es, veniam mereris: sin ex animi proposito, cum scires alia omnia sentire Fabium, eius verba decurtata protulisti, vt veritatem iudicibus surriperes; quid expectas nisi vt te ipsi Rhetorum discipulis tradant conuiciis & sibilis verberandum? Putasti, opinor, vir in omni literatura hebes ac rudis ignotum nobis auctorem quasi ex Euandri sepulchro educere, quem possumus ex memoria promptius expromere quam tu omnium sphæristeriorum Rolandum aut Syluiam.

Expenditur Quintiliani prolatum ab aduersario testimoniū. lib. 1. Inst. orat. c. 1.

Quare ante omnia scire te volo, quod inuitissimus iterum audies, à Quintiliano pluris fieri saltationem arte omni ludicra. Deinde vt fraudes tuæ & citati loci calumniæ luce & palam reuincantur: dic si potes quem in vsum adhibere velit Comœdum Fabius Quintilianus? Pædagogum puero præfici? Credo, qui cum Chrysippo *nutrices sapientes, certè quantum res patietur, optimas;*

qui æquales inter quos educabitur puer eloquētiæ destinatus, illis nutricibus simillimos cuperet, minorem in Pædagogo probitatem requiret. *l.1.c.20.* Domum ergo aduocetur extemporalis doctor, institutorque pueritiæ: Quam tu Comœdi partem M. Fabio placere affirmas? Ipsum spectaculum? at illud cum otiosis sermonibus, conuiuiis, tesseris, somno inter *ineruditas voluptates* enumerat. *l.1.c.17.* *l.1.c.19.* *l.11.c.3.* Corporis decentem & aptum motum qui dicitur εὐρυθμία? at eum aliunde quam à musica peti posse negat. *l.1.c.19.* Chironomiam, seu gestus legem? at eam à palæstricis haberi monet. E diuerso autem *manum tremuldm, complodere manus, & pectus cædere*, quia scenica sunt, respuit. *l.1.c.4.* Vocis moderationem ad vsum orationis definitam? at *l.1.c.19.* Comœdos pessimè facere arguit qui *senes tremula, mulieres effeminata voce* effingant. Quid igitur, verbo vno gestum ac motum? at *ne omnem quidem à Comœdis peti* vult, sed oratoris *plurimum abesse* iubet *à scenico, nec vultu, nec manu, nec excursionibus nimium.* Atenim primum in paruis ingenij signum esse notat memoriam, alterū imitationem. Certè, sed *ebrietatis vitia, amoris, auaritiæ, metus affectum* imitari non permittit: quid ita? quia neque *oratori sunt necessaria, & mentem præcipuè in ætate prima teneram adhuc & rudem inficiunt.* Quod igitur erit eius *doctoris officium*? qui vsus? quæ exercitatio? *Inprimis vitia oris emendabit, vt expressa sint verba:* Rem magnam, Panurge, & difficilem! quam nutrices blandius possint exequi. Obseruabit deinde *vt recta sit facies dicentis, ne labra distorqueantur.* Hoc materteræ apud nos & amitæ faciunt, amantes aniculæ. Quid ergo post-

ea? *Debet etiam docere Comœdus quomodo narrandum, qua sit auctoritate suadendum.* Eam vero prouinciam cui imponat Comœdo, aut exigi à prætextato puero velit Fabius, equidem non satis perspicio: sapit enim ea pronunciatio annos prouectiores, & ætatem bonorum suorum non ignaram. *Cæterum cum legere orationes oportebit*, prima illa pronũciationis rudimenta prætereuctum, *cum virtutes earum iam sentiet*, firmioris paulo vt ætatis, sit iudicij, *tum mihi assistat* non histrio emptus de theatro & prostibulo, non otiosus ioculator, non planipes indoctus & inscitus, sed *diligens aliquis ac peritus, qui non solum lectione formet*, quod erat Comœdo munus iniunctum, *verum etiam ediscere electa ex his cogat*, vt non tantum externum corporis ornatum & habitum verũ etiam *memoriam*, interiorem animi facultatem, quod nunquam Comœdo traditum est, *exerceat.* Hoc est plenum de arte tua. Quintiliani testimonium: hoc profitetur is quo suffragatore vel causam capitis obtinere sperabas. Hæc est tua Panurge, fides, qui decerptis pauculis, grauioribus & euidentioribus prætermissis, triumphas in corona quasi Iudicum ignorantiæ securus. Nesciebas videlicet cum voce extra modum absona & magna illud Fabianum, *dandum aliquid Comœdo quoque* proclamares, hanc esse Rhetoris mentem vt balbutienti adhuc puero parumper Comœdus adiungatur, qui legere doceat, *suis quasque literas sonis enunciari faciat, circa quasdam earum delicias non ferat.* Hos esse in honestis domibus, in oratoris futuri institutione comicæ industriæ terminos definitos: plus vltra nihil licere: cum puer depo-

ta togula prętexta caligatus domi apparebit, tú vero celerrimè abigendum histrionem ne vitiorú *frequens imitatio transeat in mores*. O artem eximiam, quæ in literis suauiter appellandis immoratur! ô necessariam disciplinam, quam ad id Fabius adhibet, quod audiendis mulieribus, si Tullio fides, maiori cum venustate discitur! ô ingens ad eloquentiam præsidium, & admirabili Dei prouidentia hominibus concessum munus, quod si puero desit, potest à nutrice laudabiliter expleri! Quid hic agitis adolescentes, quid expectatis? quin sedetis in theatro noctes & dies, Rhetoricæ studiosi? docent enim nobiles illi magistri quemadmodum pusiones blandissimè pappare & lallare possint, qui proximus est ad eloquentiam gradus. Concrepuit tympanum, Panurgus ad spectaculum inuitat; accurrite vocis flexiones audituri, quas vehementer improbat Fabius; visuri gestus & motus corporis, quibus Cicero vendibili oratori interdicit: exclamationibus permouendi quas in Æschine risit Demosthenes: & per hæc ad illam flexanimam, & omnium reginam eloquentiam compendiosa via pertingetis. Superi te perdant, circulator vanissime, ita non modo nequam & flagitiosus es, sed etiam facultatis præstantissimæ, & optimæ iuuentutis inimicus.

Quod si profana in re, in auctore peruulgato tantum consessum dolis & fallaciis circumscribere conatus est, quanto capitaliore malitia sanctissimos Ecclesiæ Patres detorsit in alienam à veritate sententiam? Sed eam causæ partem non attingo ne quid de viri doctissimi qui tertius dicturus est actione detraham. Itaque dum finem di-


cendi facio, vos oro atque obtestor, Iudices, vt auditas vtrimque rationes æstimetis, momentoque suo ponderetis. Negauit ille scelere vllo constrictos histriones: demonstratum est à me omnibus flagitiis coopertos, ne si velint quidem frugi esse posse. Spectaculorum vtilitatem commemorauit: vos dicente me turpitudinem eorum estis execrati. Artem denique vt Rhetoribus necessariam magnificè ostentauit: vos vt ridiculam explosistis. Quæsiuit in Demosthene, Cicerone, Quintiliano perfugium: ab eo ignominiosè deiectus est. Non hoc nescit ille, se ab æquitate causæ penitus derelictum: sed eundem se hoc in iudicio præbet qui semper fuit, & audacem in agendo, & impudentem in persistendo. Putat vt in scena, sic in foro actioni finem plausu & strepitu esse imponendum: aut certè vt in fabulis fieri solet, ex turbulento & implicato negotio sperat emergere lætam sodalibusque suis conuersionem. Eam qua machina sit allaturus, equidem nescio: nam præstigiis apud sapientes & peritos viros quis locus esse possit? Verum quoniam suspecti semper isti esse debent de artificio: vos in grauitatis & constantiæ gradu decet consistere, donec speculam qua sibi adhuc blanditur, abiecerit. Quod vt spero clarissimorum apud antiquos ingeniorum auctoritate conficietur, cui nemo prudens vnquam refragari volet: qua nescio an causæ nostrę bonitas nouis rationibus demonstranda sit, certè quæ sunt à me propositæ confirmabuntur.

PHILO-



PHILOLOGVS PVBLICIS PRIVATISQVE PROFANORVM HOMINVM testimoniis grauiter Histriones vrget ac premit.

ORATIO XI.



I TANTVMMODO, Iudices, quid perspicua veritas, & æquitatis ratio postulet, spectari debuit, non video quàm necessarium fuerit huic me iudicio apparere hominem & ad istas forenses actiones perquam ineptum, & ab iis longo temporis interuallo, atque ipso studiorum genere penitus alienum. Nam si tota lis rationibus penditur atque æstimatur, eas recens Modestini clarissimi viri oratio in conspectum vestrum summa cum fide & eloquentia protulit. Sin autem auctoritate & aliorum præiudicio res tanta conficitur, nemini qui mentem non amiserit obscuram hac in causa puto esse veterum vo-

luntatem. Fingamus enim hanc in aulam conue-
niſſe ex omnibus orbis terræ partibus, è præter-
tis ætatibus & ſæculis ſpectatæ ſapientiæ & gra-
uitatis ſenatores, & cauſa ſpectaculorum v-
trinque quo vidiſtis modo perorata, diſceſſione
poſtulari; quis ſanus dubitet vtra pars non tan-
tum melior, ſed etiam maior futura ſit? Enimue-
rò licet aduerſarius aliquorum nomina quos ſu-
fragatores videri volebat magna cum ambition
ediderit; quàm multos tamen ſibi oppoſitos præ-
teriret animaduerſum eſt; & in explicatis exam-
natiſque Ciceronis & Fabij ſententiis quàm pa-
rum fidei mereretur, deprehenſum. Verùm quo-
niam audacia mentientis in eorum animis domi-
nari ſolet qui anticipatam veri ſpeciem non ha-
bent, iis autem quibus iam olim lux veritatis a-
fulſit eius recordatio iucundiſſima eſt: certè cau-
ſa bipartito diuiſa, & tractatis iam ante rationi-
bus, ea pars quæ in teſtimoniis verſatur nullius
incommodo debet explicari. Id enim vbi confe-
ctum fuerit, nihil cauſari poterit aduerſarius qui
turpiter obmuteſcat: nihil amantes theatrorum
prætendere cur ab illis non abſtineant: Iudice
autem cum ipſi doctrinæ veteris reuocationem
amplectentur, tum maximè gaudebunt ab omni-
bus intelligi controuerſiam hanc eſſe vndiqu
prætentatam atque perſpectam. Atque eam pro-
uinciam ab oratore accepi, non quod plurima le-
ctione & doctrina, ſed quod minimo eius veſtro-
que faſtidio poſſim in ea commorari. Nam com-
mutatis dicendi vicibus, & is qui iam defatigatio-
ne ingraueſcebat recreabitur; & vos quibus ora-
tionis longitudo ſatietatem attuliſſet recente

ad hanc partem, vt nouam aliquam causam venietis Et hanc quoque testimoniorum productionem quia diuinis humanisque, sacris & profanis continentur, duobus actoribus visum est tradere conficiendam : ne quid aut ignorantia mea causæ detrahat, aut importunitas fatigatis iam auribus offensionem conciliet. Quo fit vt maior mihi vestræ, Iudices, humanitatis spes oboriatur, quòd & eadem quæstio disputatur quam summa cum beneuolentia audire incœpistis, & ab aliis actoribus, aliaque ratione agitur quàm vt vobis offensioni & fastidio futura videatur. Accidit enim percommodè ad varietatem conciliandam quæ delectationis mater est, vt ex officio submissius agere debeamus, & aliena dicta prolatis auctorum verbis enuncianda sint. Quare illa exundans facundia quæ in aliquo amplificationis genere exardescit, qua me non inficior olim delectatum, & à nobis hoc loco non requiretur, & latebit sub illa literatura, & rerum antiquarum recensione, à qua obtundi solet & eneruari. Si tamen hebetes illos aculeos interdum in oratione videritis excitari, & vt se dabit occasio in aduersarium emitti, peto à vobis, Iudices, vt eos non eloquentiæ, quam funditus repudiare deliberatum est, sed iustissimo dolori concedatis, qui sæpè infantissimis ea dicta quæ diserti non respuant, subministrat.

Quis enim sine stomacho ferre possit istum, nescio quem, qui nihil scire se profiteatur quàm quod tractat in scena, cornicum quod aiunt, oculos velle configere, & in hoc consessu doctis vel le imponere vt quod suis ipsi quotidie oculis a- *Falso iactauit aduersarius natura voce probari*

spectacu-la. trum vident, album esse persuadeat? vt malitios
paucorum productione verborum apertissimar
scriptorum mentem interuertat, & ad se transfe
rat? vt totam antiquitatis historiam, vnanimer
sapientium omnium consensum, communer
plurimarum gentium & propè humani gener
vocem refutet & confundat? vt naturæ, Deus sa
cte quo illa progreditur impudentia! naturæ in
quam ipsi sua inurat flagitia, & in ea obscœnita
tum suarum cupiditatem insitam esse gloriētu
Nam dicta tua recognoscas oportet, Panurg
(sic enim te appellatum existimo, & fortasse v
terem in te Roscium reuixisse vis videri, qui ei
discipuli nomen assumpseris) Num tu extrem
oratione proclamasti quod altè animo meo ins
dit, naturæ ipsius voce spectacula scenica instit
ta fuisse & approbata? Benè est; annuisti. Quo
probas argumento? populorum omnium conse
su. Quorum? Græcorum, Romanorum. Dic pr
terea. Sapientissimi fuerunt illi, & orbis vniuer
victores. Heus Thraso, vbi alij? omnes ostentas
subsistis in duobus de quorum sapientia dica
postea: de imperij amplitudine minimum lab
ro. Nam quocunque pedem inferant idem ser
per populus est, eædem leges, eadem institut
neque vlli nouum est ciuem Romanum qui G
dibus aut ad Euphrátem habitet, Romano mo
Populi pe-ne omnes scenica spe-ctacula ignorarunt. viuere. Itaque quid tandem essent scenæ & the
tra, vel teipso teste, nescierunt Ægyptij, quoru
magnitudinem admirabiles pyramides, sapie
tiam obscura literarum mysteria, antiquitate
prædicata illa, quanquam falso, diis regnantib
seculorum millia declararunt. Spectaculorum v

luptate caruerunt Assyrij, qui tentatis bello vicinis primi imperium fundauerunt: Amazones quę corporum imbecillitatem animorum magnitudine superarunt: Phœnices & Tyrij qui nauigatione inuenta & exculta orbem nominis sui fama, patriam orbis diuitiis impleuerunt: In ludis occupata non erat Carthago vetus, cum Amilcares & Annibales suos in orbis imperium mittebat: Chaldæi autem pro theatro cœlum, pro ludionibus astra maluerunt, quorum perpetuos cursus & conuersiones haud paulo vtilius quam Græci chori sui strophas, & antistrophas annotarunt.

Illam animi relaxationem vt Reipubl. necessariam iactauit aduersarius: estne credibile in assidua contentione fuisse Persas Orientis dominos, Medos, Armenios, Ponticos: aut in Septentrione Scotos, Britannos, Orcadum incolas; ad meridiem Arabes, Æthiopas, Maurusios, apud quos nullum spectaculorum vestigium reperitur? Putatis-ne Parthos reges æquis oculis theatrorum turpitudinem visuros, qui Crasso superato, librum obscœnitate refertum in eius impedimentis inuentum, per triumphum duxerunt, vt ostenderent non se de gloria Romanorum, sed de luxuria triumphare? Quid? histrionum fraudes callebant. Hispani illi veteres, quibus Sertorij cerua prodigium fuit? Quid? ludionum exercitatio nota erat Gaditanis antiquæ simplicitatis hominibus, qui cum supplicationes Neroni Cæsari decretas audirent: quod Pythia vicisset, credebant formidoloso bello teterrimos aliquos hostes qui Pythij dicerentur ab eo superatos. Ita Romano Imperatori decus apud exteras nationes non sua

ipsius vita, sed barbarorum error faciebat. Sed vt à veteribus non recedam, quis credat Palæstinos aut Ammonitas gentes bellicosissimas theatris vacauisse cum durissima seruitute Iudæos opprimerent Dei præsidio destitutos? Nisi forte ludicrum appellatur spectaculum cum excœcatus Samson ridenti populo expositus, saltationis suæ exordiũ sibi crudelissimisque victoribus fecit luctuosum. Ipsi vero Hebræi in summa pacis & otii tranquillitate, in Regum clarissimorum pacato imperio, in admirabili opum omnium copia non ludebant? non bené beateque viuebant? at nemo apud illos spectacula celebrata esse somniauerit. *Nam quod Elias*, vt eleganter iam olim monuit Cyprianus, *auriga est Israëlis, non patrocinatur spectandis Circensibus: in nullo enim is circo cucurrit. Et quod Dauid in conspectu Dei choros egit, nihil adiuuat in theatro sedentes Christianos fideles; nulla enim obscœnis motibus membra distorquens desaltauit Græcæ libidinis fabulam. Nabla, æra, tibiæ, & citharæ Deum cecinerunt, non Idolum.* Hanc Remp. cum nomino, Iudices, institutam à Deo rectionem statuum politicorum formam & exemplum, Regnorum legem nomino: quam instinctus à Deo Dux & Propheta constituit, sanctissimi viri gubernarũt. Ea dum præceptis diuinis vacauit, dum cœlestibus vixit legibus, dum in suis principibus Mosem, in Mose Deum agnouit, quæ illi vnquam defuit aut prosperitas ad gloriam, aut affluentia ad diuitias, aut honesta voluptas ad delectationem? In ea autem choros musicos, orbes saltatorios, instrumenta musica omne genus, conuiuia festorum publicorum hilaritatem, vindemiales &

Hebræo populo multi ludi concessi, theatrorũ in scriptura nulla mencio.

Cuprian. l. de spectac.

tonsarum ouium ferias ænigmatum quæsitas solutiones, sapienter propositas sententias, sagittariorum etiam exercitationes reperio: spectaculorum & artis scenicæ ne vmbrã quidem deprehendo. Mutata est apud Hebræos Principum administratio, & à Iudicibus Prophetisq; gubernacula ad Reges traducta; defecerunt ab optimi numinis cultu ad vicinorum Gentilium insaniam: victa deinde gens iniuriam suam vlciscente Deo, euersum sanctissimum templum, vastata prouincia, captiui Babylonem deportati Chaldæorum more vixerunt. In patriam postliminio restituti, Machabęos Pontific spreuere, & ad Græcorum mores, gymnasiis etiam erectis, & inducta natalis sacramenti cute deflexerunt: tamen illis temporum inclinationibus, morum deprauationibus, legum corruptelis. cum prima Sinę Montis instituta vix iam in sacris libris conseruarentur, numquam apud eos theatra legimus introducta. Tantum in iis flagitij ponebant, vt cùm praua omnia concupiscerent, porcinam solam & Græca spectacula recusarent.

Eadem quoque viguit apud Gallos maiores nostros ludorum despicientia, quandiu sui iuris, suęque virtutis homines Europam omnem armorum suorum terrore commouerunt Nam vt Massilienses transeam qui teste Valerio Maximo, *nullum aditum in scenam mimis dederunt, quorum argumenta maiore ex parte stuprorum continent actus, ne talia spectandi consuetudo, etiam imitandi licentiam sumeret*: in tota Gallorum natione profitetur Iulianus Imperator sua tempestate *nullam in theatris petulantiam, neq; in scenam cordacem admissum fuisse*. Narrat etiam Cappadocem quendam diu

Galli veteres ea spectacula contemptui habuerunt.

Valer. Max. l.1.

Iulian. in Misopog.

Antiochenis innutritum deliciis exilio tandem solum commutasse, & in Galliam delatum saltandi artem edocere voluisse; attonitos primum verbi, deinde rei nouitate Gallos in regiam conuenisse magna frequentia vt hominem coram Rege, pellitisque proceribus saltatorios versantem orbes aspicerent: id verò spectaculum bellicosis animis tam inutile, tamque ridiculum visum esse vt magno omnium risu sibilisq; Cotyliistem abegerint. Erant tum fortissimæ nationi spectacula cæsorum hostium capita ad oppidorum porta affixa; habebat Druidas virtutis magistros quorum fortem & virilem Philosophiam prius lauda-

Iustinus l. 24. Laertius, quàm Græcorum sapientiam. Tū enim uerò gens aspera, audax, bellicōsa, vt ait Iustinus prima Alpium post Herculem victrix superaba Illyricum & Pannoniam, Ligures subigebat, Mediolanum condebat: transgressa in Asiam occupabat Ilium, Reges Attalicos Bythinosq; vexaba Illi tum Galli theatrorum ignari, Rom. quoru spectaculis gloriaris, fundebant ad Alliam: Romam sub libra vendebant. Illi Græcos spectaculorum auctores duce Brenno, Macedonas potentissimos tum Græciæ populos Duce Belgio ipsorum etiam Rege Ptolemæo cui à fulmine cognomen fuit, interfecto, depopulabantur. Atq; vtinam nobilissima illa terrarum portio aut nunquam Romanis seruiisset, aut institutorum suorum tenax in eorum delicias natiuam continentiam non fregisset! nunquam te Augusta Treuirorum fur barbarus ter quaterq; continuatis euersionib vastasset. Hanc enim nobilissimæ opulentissimæ ciuitatis cladem, imo totius imperij vulnus quo

ipse oculis vsurpauit, cui causæ putatis assignare Saluianum? Romanis moribus, id est, perditis, & inter cætera insanæ Circensium theatrorumque cupiditati, quæ plebis infelicissimæ reliquias in eam adduxerat dementiam vt vrbe iam euersa atque inflammata theatra ludicra postularent à Principibus, exercenda videlicet super bustum & cineres, super ossa & sanguinem peremptorum. Reuiuiscat nunc ille Gallicanorum flos & magister Episcoporũ, & attritam bellis, pestilentia, rerum necessariarum penuria & caritate Galliam videat scenicis vbique tympanis personare; aspiciat plebem tributorum vectigaliumque onere oppressam, pannosos cerdones, pistores farina oblitos quibus ad victum tenuissimum vix comparata sufficiunt diaria dodrantis vnius aut alterius, asses quatuor, reditum hebdomadis histrionico ianitori erogare, vt sedem in sphæristerio mercentur, ibique ad multam vesperam desidere otiosos, ieiunæ coniugis, eiulantium liberorum immemores, crastini securos. Quanto potiori iure de nobis, quam de Treuiris eximium illud dicturus est. *Assiduitatem calamitatum, augmentum criminum fuisse: creuisse scelera his ipsis quibus coërcebantur, & pœnam ipsorum criminum, non aliud quam matrem esse vitiorum.* Saluian. l. 6. de Prouid.
Illis ergo remediis sanè acribus & violentis cum Romana, vt sic dicam, Gallia curari non posset, in Francorum potestatem ditionemque transiit, vt resectis peregrinarum voluptatum deliciis, diæta quadam ad antiquam integritatem reuocaretur. Quis enim putet Reges eos qui à Germania in has regiones primi commigrarunt

inanibus iocis delectatos fuisse, cum Clodouæu à Theodorico Italiæ Rege quasi nouum aliquo & ingens munus citharœdum acceperit? Qu in consequentium temporum historia non an maduertit vix mentionem histrionum fieri, ni cum ex aula, & Regno exacti scribuntur? quo summa cum laude fecerunt inter cæteros du fortissimi principes D. Ludouicus, & ante illun Philippus Augustus, quorum iste vestium sua rum exuuium nunquam histrionibus, sed mendi cis erogasse perhibetur: imo potius eos regn eiecisse vt otiosi & perquam inutilis negotij ma gistros. Patrum autem nostrorum memoria Ca rolus Nonus vt deploratissimorum temporun licentiæ aliquem modum imponeret, in comitii Aurelianensibus edicto cauit choreas publicas mimos, funambulos diebus festis exerceri dum sacra in templis mysteria peraguntur; funditu profecto sublaturus si sæculum ad honestatem subditos ad pietatem, errantes ad religionem ad ducere potuisset. Adderem istis omnibus laruas & personas scenicæ suppellectilis partem non contemnendam, quibus vt facies, sic flagitia tegi videntur, Francisci primi edicto sub pœna capitis, Parisiensi deinde & Rhotomagensi Senatusconsulto imposita grandi pecuniæ mulcta ex omnium manibus excussas; nisi me alio vocaret institutum, & à vobis postulare cogerer quam ve rè naturæ ipsius vocem appellarit aduersarius duorum tantum populorum consentientem ad delicias voluntatem?

Cassiod. l.1.2.ep. 40.

Reges Frãci histriones eiecerunt.

Ludi scenice tardè Romam

Sed quoniam ingens aliquid & humano pené augustius sonant illa Græcorum & Romanorum

nomina: lubet hoc etiam animi causa propugnaculum oppugnare. Credidisti hactenus tibi concessum, Panurge, apud Romanos, Græcosque in vsu & pretio fuisse spectacula. De hoc etiam volo controuersari. Sume Romanos. De vsu non disputo: ludos theatrales apud eos in pretio fuisse pernego. Quanquam & si aliqua parte vsum tibi eripiam quid oppones? imo si Augustinus eripiat, affirmetque *illas theatricas artes diu virtutem Romanam non nouisse: quæ si ad oblectamentum voluptatis humanæ quærerentur vitio morum irreperent humanorum.* Quando enim ludos Romæ scenicos putas institutos? certè anno ab V. C. 389. C. Sulpicio Petico, C. Licinio Stolone Coss. antea Circensibus contenti fuerant Romani: qui homines Deus Immortalis! Reges septem, Consules, Dictatoresque fortissimi vt Publicolæ, vt Manlij, Cossi, Camilli, Cincinnati. Quale autem exordium ludis illis fuit? vt *placandi cœlestis numinis gratia compositis carminibus vacuas aures populus præberet.* Quid deinde? crescente industria *iuuentus rudi, atque incomposito motu corporum iocabunda gestus dedit: eaque res Ludium ex Hetruria accersendi causam præbuit,* Postea autē? *Paulatim ludicra ars ad satyrarum modos perrexit.* Nimirum ab illis græca tragœdia sumpserat exordium. Ex iis profecto verbi significatio deducta est, vt Plato κωμῳδεῖν Aristoteles διακωμῳδεῖν vsurparint pro alicuius existimatione lædenda: & Nonius Marcellus è Grammaticorum schola non inscius *obscænum & maledicum* eadem affirmarit. A satyris *primus omnium læta Poëta, Liuius ad fabularum argumenta spectantium oculos & animos tran-*

inuecti sunt, corruptis Reip. moribus.

August. l. 2. de Ciuit. Dei c. 13.

Valer. Max. l. 2. ex T. liuio l. 7.

stulit. Quando illud? C. Claudio Cæci F. I
Sempronio Tuditano Coss. anno V.C. 513. Tu
autem spectacula vocabis quibus Poëta vn
suorum carminum actor in theatro cantat? qu
aliquandiu fecit Liuius qui tamen *cum sæpius*
populo reuocatus vocem obtudisset, adhibito pueri
tibicinis concentu gesticulationem tacitus pereg
Venit ea ferè consuetudo vsque ad Plautum q
Catone Censuram gerente anno V.C. 569. mo
tuum accepimus. Cui aliquanto postea succes
Terētius, quem scimus ludis Megalensibus an
587. Andriam docuisse Coss. C. Sulpicio Gall
M. Claudio Marcello. Qua etiam tempesta
licet Plautus præcessisset, inuerecūdā penitus a
pellare non ausim scenam Romanam: Siquidc
prius Terentio non licuit fabulam in vulgus pr
ferre, quam eam M. Fuluio, M. Acilio Glabric
Ædilibus Curulibus domi recitasset. Quod m
nus P. Mutio Tarpæ Ciceronis ætate legimus c
mandatum. Vtinam hoc more apud honestas
religiosas aures scenici isti nostri fabulas suas p
uatim ante deponerent quam eas populo in sc
na cantitarent! Inuideo vobis Hispani, quib
etiam in ludo seriis & grauibus esse licet, cu
apud vos religiosè modesteque scena haberi c
catur, mulcta etiam indicta, propositaque pœ
si quod verbum temerè histrio effutierit, qu
non ante à magistratu expensum probatumq
sit. Redeo ad Romanos apud quos tantum.

Prius expensæ à magistratu Comœdiæ quam in publicum prodirent.

Punico bello secundo musa pinnato gradu
Intulit se bellicosam in Romuli gentem feram

quo fabularum auctores vt Plautus, vt Næuiu
quo Ennius, Cæcilius, & alij floruerunt: Itaq

iam tu mihi ex populo Romano anteacta tempora, id est, heroica, & verè Romana detrahas oportet: quibus scenæ vsum qualis postea visus est, Romæ nullum fuisse confirmant historiæ. Illius autem Reip. puram castamque pueritiam, excepit adolescentia paulum corruptior, quæ non obscurum futuræ aliquando nequitiæ specimen dabat. Scitis enim, Iudices qua vrbanitate Cato ille antiquus populum in Censuræ petitione prensaret. Ægrè, inquiebat, habet Resp. opus est seuerior medicus; create me Censorem. Hoc in cãpo Martio comitiis centuriatis dicebat Cato; hoc communi delatæ Censuræ suffragio populus approbabat, regnante in scena Plauto, saltatione in iuuentutem introducta, græcanicis artibus primũ vrbem afflantibus. Quem enim alium morbũ contraxisse tum potuit Romana Resp. sub Cn. Scipione, sub Sempronio Graccho, sub M. Catone, Fabiis, Claudiis, Marcellis? ante hæc tempora Romam inualetudine laborasse quis conquestus est? quis eius vel febriculam deprehendit? Totis ergo quatuor, & amplius sæculis viguit salubritate Romanæ fortitudinis; corroborata est variis Italicorum bellorum successibus optimi corporis temperatio, viguit vsque ad Plautum & Næuium succus ille & sanguis incorruptus primigeniæ virtutis: admisso theatro sanitas illa paulatim defluxit, Græcorum institutorum admiratione, diuitiarum peregrinarum amore sensim humores perniciosissimos collegit: à quibus annis tandem ingrauescentibus obruta, perdita, sepulta est. Hic ego posteriora cũ prioribus sæculis nolo conferri; hoc tantum postulo, vt cum Ro-

manos theatris deditos audietis, non cinctutos
los Cethegos, non Fabios Verrucosos, non as
ros callo Cincinnatos, non Curios in ligneo ca
no feruentia rapa vorantes cogitetis, sed ignau
simum Africani superioris filium, sed Metellos
Hispania conuiuantes, sed Pompeij trossul
vulsos delicatos qui vulnus in facie, vt morte
metuebant: ne posteriora Imperatorum, n
tempora, sed portenta commemorem.

Apud Romanos improbi soli, & abiecta plebs ludis delectati sunt.

Itaque iam à me quæritur num Romani salte
deterioris notæ magnoperè spectacula scen
coluerint atque æstimarint? Antequam respo
deam peto à te, Panurge, quid populi Roma
nomine intelligas? otiosam-ne in triuiis turba
clientes sportulis inhiantes, mendicos audac
los qui vocem concionibus, manum seditio
bus, linguam periuriis locabant, rusticos ad c
mitia ventitantes, libertinos & Marcos Dam
in tribubus vrbanis temere collocatos? hos ve
ciues Romanos si populi Romani nomine app
las, vicisti. Nam populus ille Iuuenale Satyri
indignante duas tantũ res anxius optabat, *Pan*
& Circēses: & verè pronunciauit Cicero, *Populu*
ac vulgus imperitorũ ludis magnoperè delectari. S
illum esse Populum Romanum, victorem o
nium gentium, ex illis hominibus conflatos e
Romanos rerum dominos gētemque togatam si pu
nobis persuadere planus es, & circulator, qui
ambiguo ludis. Romanum ergo populũ Senat
equestri ordine, plebe vniuersa, tot Consularib
Censoriis, Triumphalibus, Patriciis viris Ron
natis; ornamento gentium clarissimarum ciuita
donato, municipiis illustribus, coloniis fideliss

mis, Latinis sociis, Regibus amicis, nationibus fœderatis constare intelligimus: quem ego populum ludorum scenicorum amantem fuisse inficior. Nam si eius imperij Principes, si lux & flos sapientiæ in eo populo delibatus theatra contempserunt, si condemnarunt, si euerterunt, quis dubitet quin eorum sententia pro totius populi voce & sensu accipienda sit? Reclamas Panurge, an exclamas? ignosces enim si gestus histrionicos non satis perspicio. Prouocas fortasse ad eos, quos indicasti, potentes, nobiles, diuites, quibus cara fuerunt spectacula. Benè mones, sunt enim tua digni memoria: & quoniam vt es indoctus, plures, vt arbitror, non nosti, habe me in tanto suffragatorum tuorum numero quasi nomenclatorem. An ego amicius, vtilius, gloriosius officium tibi deferre possum? Itaque illis quos nominasti adiunge paucos istos è multis: Milonem Clodij interfectorem, qui vno ædilitatis anno patrimonia tria in ludos impendit. Iunium Messalam, *qui patrimonium suum scenicis dedit, hæredibus abnegauit*. Neronem Cæsarem, qui sæpius in scena sceptrum gestauit histrionicum, quam in Senatu Imperatorem gessit: melius Canacem parturientem effinxit in theatro, quam ordines duxit in bello. Non enim quid in arte histrionica flagitij sit & dedecoris vllus satis conciperet, nisi & Nero fuisset histrio, & Epirotam quendam Tragœdum æmulum suum, in Isthmiis spectante populo interfecisset. Adde Caium Cæsarem, qui *scenicos ludos & assiduè, & varij generis multifariam fecit*. Qui vidente vniuerso populo in ipsis spectaculis Nestorem pantomimum osculaba-

Ascon. in Milonianam.

Vopiscus in Carino.

tur: qui *ne publicis quidem spectaculis temperabat quo minus & tragœdo pronunciant concineret, & gestum histrionis quasi laudans vel corrigens palam effingeret.* Sed quis polypus tam fuit vnquam varius quam hoc, penè dixi, Imperator qui *inter iocos Apellem tragœdum flagellis discidit, collaudans subinde vocem deprecantis, quasi ingemitu pradulcē.* Caue prætermittas Lentulum Senatorem Populi Romani qui laureolam tam aptè repræsentabat in scena, vt satyrico *iudice dignus vera cruce* videretur. Domitianum quoque Augustum apud quē precipua gratia floruit Paris Pātomimus, licet eū idem Iuuenalis allatraret indignareturque quod eius fauore *præfectos Pelopea faceret, Philomela Tribunos.* Neque tibi Heliogabali authoritatem inuidebo, qui *multos quorum corpora placuerant de scena, & circo, & arena, in aulam traduxit, Ipse cātauit, saltauit, ad tibias dixit, tuba cecinit, pandurizauit, organo modulatus est.* Atque idē amplissimam Præfecti Pretorij dignitatē contulit saltatori qui Romæ histrionicā fecerat. Quid murmuras histrio? subirasci videris. Ne metue, plura de Heliogabalo nō dicàm: non enim ad artem tuam pertinet, quod in singulis vrbib⁹ singulos, Romæ autē quatuordecim vrbi præfectos lenones omnes turpissimos & vltimæ professionis homines constituere decreuerat. Nec vero id magis nouum nobis apparet, quā promissus equo Caij Caligulæ cōsulatus. Quod si eiuscemodi hominū suffragatio turpis tibi videtur, quid facias historiæ quæ ita retulit, veterū monumētis qui ea scripserūt, oculis hominū qui tū viuebant, cum talia fierent? Nos poëtæ nō sumus, gesta narramus, non quæ geri debuerunt.

Bonos

Bonos ergo viros, quos ciues Roman. omni iure possis appellare mauis in theatrorum causa produci. Assentior. Do tibi Pop. Rom. corculum Scipionem Nasicam, cui vt optimo ciuium, Senatus admittendæ in vrbem Matris Deum prouinciam commisit. Is est qui perpetuos in theatro fieri gradus omni grauitatis probitatisq; suæ contentione prohibuit. Nam cum Censores Messala, & Cassius lapideum in vrbe theatrum extruendum curarent, Nasica vir consularis triumphalis intercessit, eoq; *auctore ex S. C. tanquam inutile & nociturum publicis moribus destructum est.* Audis Panurge, necessitatem spectaculorum oratione tua tantoperè prędicatam? Notabis etiam illud quod Piso tradidit, ab eo tempore quo illi Censores fuerunt, pudicitiam apud Rom. fuisse subuersam: vt scias natalem theatrorum stellam esse pudori pestilentem, neq, nisi super castitatis ruina theatra posse fundari. Ac ne existimes vnius hominis eum fuisse sensum, (quanquam semel totum Roman. senatum produxi Nasicæ consentientem) auctor est Tertull. *sæpe Censores renascentia cum maxime theatra destruxisse, moribus consulentes, quorum scilicet periculum ingens de lasciuia prouidebant.* Profero Imperatorum optimum; Nescio an Traianum noueris. Hic *Pantomimos & effœminatas artes, & indecora sæculo studia damnauit.* Reuocauerat in scenā Nerua histriones ante ab ipso Domitiano, quis credat? eiectos: Traianus iterum eiecit, *vtrumque recte*, inquit Panegyristes, *nam & restitui oportebat quos sustulerat malus Princeps, & tolli restitutis. In his enim quæ à malis benè fiunt, hic tenēdus est modus vt appareat auctorem displicuisse non factum.* Quin&

Optimi autem ciues eos sēper contempserūt.

Liuius l. 48.

Tertull. l. de spect. c. 10.

Plin. in Pa neg.

ipse Nerua, vt ab alio scriptore proditur, nouo cōsilio ad imminuendos sumptus quędā spectacula simul cùm sacris & Circensibus ludis sustulit. Addo non dissimilem Alexandro, Alexandrum Mammeæ filium principem sanctissimum qui *voluptates scenicas in conuiuio nunquam habuit: Scenicis nunquam aurum, nunquam argentum, vix pecuniam donauit: pretiosas vestes quas Heliogabalus, dederat, etiam sustulit cum eos seruorum domesticorum more alendos diceret.* Iulianus Imperator magno vir ingenio, etsi multa in religionē peccaret, tamen aut esse, aut haberi volebat Philosophus. Eius autē dicteria in Antiochenos mimis, saltatoribus, & vniuersè spectaculis omnibus impensè addictos falsa sunt, & acuta. Hæc enim cum contemneret, eamq; ob rem inurbanus voluptariis hominibus videretur, ita se defendit homo non infacetus, si quid in moribus suis durum & agreste videatur, illud non sibi, sed Pedagogo suo fraudi esse debere, quia is puerum adhuc, quem Imperatorem fore, & Antiochiam aliquādo venturum, diuinare non poterat, ita docuit; ne sineret se ab æqualibus in theatra deduci, neq; vlla eius spectaculi cupiditate teneretur; ludos Circenses & fortiorem histrionica saltationem in Homero melius, vtiliusq; posse spectari; theatra non adeunda, ne aspicienda quidem: theatra inquam ignobilissimum & turpissimum vitę genus: neque enim fas est quenquam domi temperātem esse, si foris dissolutus sit, theatrisq; delectetur. quamobrem sic institutus insuper apud Gallos, Germanosq; nationes bello quā voluptatibus aptiores educatus *arceo à theatris,* inquit, *meipsum per summam stultitiam, neq; in au-*

Lampr. in Alexandro Seuero.

Iulian. in Misopog.

lam admitto scenam, nisi noui anni calendis: idq; præ animi mei stupore quasi pauper agricola tributum aliquod pendens iniquo domino: ac tum quoq; cum illuc introiui videor iis defungi. Hæc diceret Iulianus vir ingenij quàm animi melioris, nisi Romanam grauitatem spectaculorum amor dedeceret? Permittesne in his subselliis sedere Ciceronem hominem sanè ingenio & rebus gestis Principem, Consularem & Patrem patriæ: nam & hunc virum bonum fuisse Quintil. tuus probare non veretur, & scenæ seruisse cum vrbanus foret, aliunde disces. *Vult* igitur ipse *amari constātiam suam* ab Attico. Cur ita? quia ludos spectare non placet. Est enim ὑποπόλοιπον *cum velim vitare omnium deliciarū suspicionem repente ἀναφαίνεσθαι, non solum delicate, sed etiam inepte peregrinantē.* Vide ineptam peregrinationē quę ad theatra deducit vis etiam scire quam ea sit inutilis & contemnenda? Pōpeij ludos, quibus theatrum suum dedicabat, apparatu magnificentissimos, varietate distinctos, diuturnitate spectabiles M. Marius M. Tullij amicus videre fuerat dedignatus. Quid hic orator? Si tu inquit, *hæc quæ cæteri mirantur contemnenda duxisti, & cum per valetudinem posses, venire tamen noluisti, vtrumq; lætor, & sine dolore corporis te fuisse, & animo valuisse, cum ea quæ sine causa mirantur alij, neglexeris.* Quæ enim causa ludos illos faceret mirabiles? an apparatus? at eius *expectatio tollebat omnem hilaritatem, quo quidem apparatu non dubito quin æquissimo animo carueris. Quid enim delectationis habēt sexcenti muli in Clytemnestra? aut in Equo Troiano arcerarum tria millia? aut armatura varia peditatus & equitatus in Iliaca pugna? quæ popularem admirationē habuerunt;*

Cicero l. 2. ad Attic. ep. 1.

Cicero l. 7. fam. ep. 1.

delectationē tibi nullam attulissent. An actorū concinnitas? at *in scenam honoris causa redierant ij quos ego honoris causa de scena decessisse arbitrabar. Deliciæ verò tuæ noster Æsopus eiusmodi fuit vt ei desinere per omnes homines liceret.* Hæc cū apud M. Ciceronē lego, atq; is hominem illum animo valere profitetur qui apparatissima spectacula totius Italiæ concursu celebrata videre contēpserit, reuoco in memoriā festiuum Abderitarū morbum, quem inter latinā istam grauitatē, interiici quasi diuerbium aliquod recreandis animis non inutile, patiemini. Narrat enim Lucianus Archelaū Poëtam ea tempestate celebrem, Andromedam docuisse apud Abderitas, eamq; fabulā ab iis ardentissimis animis sūma æstate spectatam. Itaq; à theatro, rediisse omnes febri assidua & flagrante æstuantes, subitoq; è mentis statu dimotos cursitasse per vrbem velut acturos tragœdicos, & iambicis versibus, tragœdorumq; vociferationibus totum oppidum impleuisse. Occurrebant parētes filiis, cognati alienis, inimicis inimici, in Andromedas & Perseos, & Medusas transformati: salutationes, negotia, conuiuia in iambos transfusa erant. Interdiu paratragœdiari, nocte Emmeliā saltare videbantur: tota vrbs theatrū erat, histriones vbiq; sine larua macilenti, sine fuco dementes. Quis tū hospes non timuit & ipse tragœdiam facere? quis peregrinus Euripidis carminibus salutatus non refugit? quis septē dies sanè actuosos quibus mali catastasis viguit nō est execratus? ventū est tandē ad Catastrophen, sed nō sine sudore ac sāguine. Siquidē aliis immodicus sudor totis vndiq; artub⁹ expressus, aliis largè profluens è naribus sāguis reddidit

Lucian. de historia scribenda.

ſanitatē. Quę, vt arbitror, nō illepida eſt eorū imago qui ad ſcenicas iſtas voluptates tā ardenter adhinniunt, quos corpore quidē fortaſſe, ſed nō animo valere putamus. Artem verò hiſtrioniam quid aliud quàm Abderiticum morbum appellare poſſumus, eo vehementiorem quo diuturniorem? Quanquam illi quidem ægri, hi autem ſani & valentes inſaniunt; illos morbi neceſſitas, hos ſpectatorum voluntas agit ad dementiam: Sed vt Romanos reducam in proſcenium, non reiicies opinor, Panurge, teſtem Plinium quem vocant iuniorem: ille ſi neſcis & Conſulatum geſſit Traiani beneficio, & ſeculi ſui magnū lumen, feſtiuiſſimum ingenium fuit. Hic licet de theatris non agat, vide tamen quid de Circenſibus ludis exiſtimet, quos ſcenicis non paulum honeſtiores Græci ipſi iudicarunt, qui viros Principes viderunt in olympico puluere decurrentes. Ait ſe inter pugillares & libellos tranquillè Circenſiū tempus exegiſſe, quia in eo ſpectaculi genere *nihil eſt nouum nihil varium, nihil quod non ſemel ſpectaſſe ſufficiat: quo magis miror tot millia virorum tam pueriliter identidem cupere.* Et id quidem non vulgo ſolum iucundiſſimum eſt, ſed etiam grauibus hominibus, *quos ego cum recordor in re inani, frigida, aſſidua tam inſatiabiliter deſidere, capio aliquam voluptatem quod hac voluptate non capiar. Ac per hos dies libentiſſime ociū meum in literis colloco, quos alij ocioſiſſimis occupationibus perdunt.* Adeo parcebat tempori vir literarum & virtutum amantiſſimus, cuius auunculus ne in geſtatione quidem & itineribus libris abſtinebat, vt ab *ineruditis voluptatibus*, & *ocioſiſſimis occupationibus* animū rebus optimis imbuendum

Plin. Iun. lib. 9. ep. 6.

summa cum delectatione auocaret. Verùm non videntur tibi fortasse satis graues, & decoctę Philosophiæ Cicero atq; Plinius. Senecam igitur audi Romanorum φιλοσοφώτατον. *Nihil est tam damnosum bonis moribus quam in spectaculo aliquo desidere: tunc enim per voluptatem facilius vitia subrepunt. Quid me existimas dicere? auarior redeo, ambitiosior, luxuriosior.* Ecce illam virtutis scholam, Panurge, quam omnibus Academiis & Porticibus anteponis: illam benè viuendi disciplinam quæ sacris omnibus concionibus te auctore antestat.

Romanæ leges de infamia histrionibus irrogata.

Et hæ quidem artes tragœdiasque tuas spectant sapientissimorum hominum pronunciata: Quid si vos ipsos conuenio, Panurge, si dedecus & infamiam vestris inustam personis, censoria nota, Senatus consultis, legibus Romanis huic expono multitudini (nam toties in Iudicum oculos incurrunt, quoties illi Romani iuris libros peruolutant) pergesne dicere, quos edicta Imperatorum, responsa prudentum, leges publicæ, decreta senatus omnibus ignominiæ maculis turpificarunt, eorum artem Populo Romano placuisse? Sta in gradu, histrio: expallescis? iam non velitor, causæ iugulum peto: exhorrescis? eo te incautum & alia omnia sperantē adegit Deus vt Romanorum faceres mentionem. Quid de arte tua, quid de te in iure Romano statuatur, ignoras? ô te cæcum! ô rudem, & malitiosè imperitum! Sciebas tu quidem, sed ne quid officeret actioni tuæ dissimulandum putauisti? ô te semper impudentem! cui in circulis & triuiis laudari satis est: qui Prologum, quo artem tueris tuam, quocunq; circumfers, & omnibus Tragœdiis applicas, dignum patella o-

periculũ: ratus imperitorũ acclamationẽ plenũ esse testimoniũ veritatis. Iam tibi res non est cũ Cerdonũ & Cauponum stupore, cum ebriosorum vociferationibus, cũ ociosorum plausu: quę isto loco dixisti, quę populo persuadere soles, ea reuincenda sunt. In oratoria illa tua diuisione negasti personas à nobis vestras vituperari, eumq; locum celerius penè dicendo prætervectus es, quã ego referendo. Huc te reuoco, hîc cogo insistere & histriones *infamiæ maculis* vt loquitur ille, *aspersos* considerare. Et quoniã non minus verba legum, quã auctoritas sancta esse debent, ne quid immutare, aut affingere me putes, bona Iudicum venia, ex tabulis ea recitari iubebo. Meministis, Iudices, Romanam scenam prius satyricis versibus quàm tragicis dedecoratã fuisse. Audite quid aduersus eiusmodi ciues decreuerint antiquæ illæ XII. Tabularum leges, veteris sapientiæ medulla. Recita legem XII. Tabularum à M. Tullio explicatam.

Nostra XII. *Tabulæ cum perpaucas res capite sanxissent, in his hanc quoque sanciendam putauerunt, Si quis occentauisset, siue carmen condidisset quod infamiam facerent flagitium-ue alteri. Præclare. Iudiciis enim ac magistratuũ discrepationibus legitimis propositam vitam, non Poetarum ingeniis habere debemus, nec probrum audire nisi ea lege vt respondere liceat, & iudicio defendere.* Quæ res quia Græcis Comœdiæ ipsius auctoribus minus indigna videbatur *apud eos fuit etiam lege concessum vt quod vellet Comœdia nominatim de quo vellet, diceret.* Plato autem popularium suorum errorem longè sapientiori decreto castigat, prohibetq; Comicum vllum Poëtam aut versuum cuius suis generis

Cic. l. 4. de Rep.

August. l. 2. de ciuit. cap. 9.

Plato l. 2. de legib.

scriptorem quacunq; tandem ratione vllius è ciuibus famam lædere qui secus faxint statim ac sine mora eius Comœdię actores iubet eiici in exilium, aut mulctæ nomine tres minas ei Deo pendere cui ludus fuerit consecratus. Verùm ne in exordiis hæreamus quæ diuturna esse non permisit Liuius Andronicus, ex quo scenæ ratio ad agẽdum atq; exhibendum traducta est, quid de ipsis actoribus Romani censuerunt? lege Censorium de scenicis iudicium à D. August. comprobatum.

August. l. 2. de Ciuit. cap. 13. *Romani quamuis iam superstitione noxia premerentur vt illos Deos colerent, quos videbant sibi voluisse scenicas turpitudines consecrari; suæ tamen dignitatis memores ac pudoris actores talium fabularum nequaquam honorauerunt more Græcorum, sed sicut apud Ciceronem idem Scipio loquitur, Cum artem ludicram scenamq; totam probro ducerent, genus id hominum non modo honore ciuium reliquorum carere, sed etiam tribu moueri notatione Censoria voluerunt. Præclara sanè & Romanis laudibus annumeranda prudentia. Sed vellem seipsa sequeretur, se imitaretur. Ecce enim rectè quisquis ciuium Romanor. esse scenicus elegisset, non solum ei nullus ad honorem dabatur locus; verùmetiam Censoris nota tribum tenere propriam non sinebatur. O animum ciuitatis laudis auidum Germaneque Romanum!* Idem à Tito Liuio, idem à Valerio Maximo historicis proditum est, *histriones moueri tribu, & stipendia non facere.* Hoc autem miror tam breuiter dici, quod nulla satis oratione potest explicari. Nam cum Romanę tribus vilissimis opificibus, ac sceleratissimis hominibus refertæ essent, artem scenicam ipsa vilitate humiliorem, histriones autem omniũ hominum

Histriones tribu mouentur neque faciũt stipendia.

nequiſſimos habitos fuiſſe oportet, quorum nomina ne in vrbanas quidem tribus referri potuerunt. Hic ego libens te accuſauerim, Apollinaris Sidoni: tu dicebas Romam communem eſſe patriam, in qua ſoli barbari & ſerui peregrinarentur: tertium genus è ſcenicis facere debuiſti, qui ſic peregrinantur vt ciues nunquam eſſe poſſint; ſic plerique ciues naſcuntur, vt per artem in patria ſua peregrinari cogantur. Enimuero qui magis barbari Romanis quam Thraces, Galli, Hiſpani? at ex iis non modo ciues, ſed imperatores etiam Roma ſuſcepit. Qui magis remoti quam Gaditani? at Cornelium Balbum Gadibus ortum, Romani non ciuem modo ſuum, ſed etiam Conſulem fecerunt. Quis magis ſeruus quam bello captus, ſerua natus, ductus in triumphum? At P. Ventidius ex ea humilitate in tantam ſurrexit gloriam vt aliquando de Parthis triumpharit. Et quidem ſeruum hominem ſola domini voluntas, & vindicta Prætoris libertum facit, & ciuem Romanum: ſed eo numquam aſpirare licet hiſtrioni. Qui natus fuerit in Græcia, Cilicia, Ponto, Armenia Romani Imperatoris beneficio ciuis Romanus eſſe poteſt; hiſtrio qui Formiis qui Capuæ, qui Tuſculi, qui Romæ in ipſa imperij ſede natus ſit ex liberis & ingenuis, non poteſt Romana ciuitate donari. Cn. Flauius Scriba populi ſuffragio ad Ædilitatem prouectus eſt ea lege vt ſcripturam deſineret. Neque dubito, licet exempla modo non ſuppetant, quin aliqui nota cenſoria gradu moti, poſteaquam vitæ honeſtate, & claris facinoribus priorem illam maculam deleuerunt, in priſtinum dignitatis gradũ Cenſorum

iudicio sint reuocati. Scenicos vero non tantum dum scenam exercent, sed etiam si exiguum aliquod tempus exercuerint, natalibus restitui leges vetuerunt. Id profecto quam iustis de causis fiat, non difficile peruidebit, qui & vitæ illorum turpitudinem, & officij, si sic appellare licet, inutilitatem, considerauerit. Cur enim tantæ ciuitatis & imperij iure gaudeant ij, qui nullis pro Rep. periculis, nullis laboribus perfunguntur? Stipendia non faciunt histriones, nunquam manu aut consilio iuuant exercitum, hostem non vident nisi quem persona fecit: vrbes non expugnant nisi in theatro adumbratas: nulla inuadunt castra nisi quæ poëta descripsit: armantur in hospitalibus, æstuant in popinis, sudant in lectis, pugnant pro meretricibus, nunquam nisi ebrij coronantur. Quid illis ergo cum iure regni cuius onera non sustinent; cum maiestate imperij quam vita sua dedecorant; cum vrbis pomœrio à quo hostem arcere non possunt?

Histriones seruorum loco Romæ habiti.

Cur inquam ciuium Romanorum priuilegiis vtantur ij qui seruorum loco habentur, qui non sinuntur legiones Romanas, & Aquilas militares consortio suo funestare? Nam traditum est à Marcello Iurisconsulto *Militē æquè puniendum capite, si artem ludicram fecerit, ac si in seruitutem se venire passus sit.* Est etiam in iure definitum. *Senatoris filiam, neptem, proneptem libertino, vel ei qui artem ludicram exercuit, cuius-ue pater, mater-ue id fecerit, legitimè nubere non posse. Senatoris filiam quæ corpore quæstum vel artem ludicram fecerit, aut iudicio publico damnata fuerit, impunè liberto nubere: nec honorem ei seruari quæ se in tantum fœdus deduxerit,*

l. quædam delicta. D. de Pœnis.

Scimus etiam ex Suetonio *coercitionẽ in histriones magistratibus omni tẽpore & loco lege vetere permissam fuisse.* Quam licet Augustus Cęsar iis ademerit *præterquam in ludos & scenam*: responderitque aliquando *immunes verberum histriones esse*; legimus tamen histriones aliquot virgis ab eodem cæsos ob culpas alioqui leuiores. Cædebatur in atrio Imperatoriæ domus Hilas Pantomimus: circunducebatur per trina theatra iussu Imperatoris Stephanio Togatarius tundentibus valentissimis lictoribus. Tacebat suauis illa vox, Ciuis Romanus sum: soli plagarum crepitus, & Præconis flagitia commemorantis clamor audiebatur, Quis tum ingemuit præter vapulantes? quis ad ludicrum non risit spectaculum pręter histriones? Quam iucundam putas fore ciuitati Comœdiam si te, Panurge, pari modo Iudices ludis tuis facerent præsultorem? Tiberius autem histrionum flagitiis seditionibusque nimium fatigatus illam virgarum medicinam tanto malo imparem ratus primum *arte penitus interdixit, quia & mulieres ignominia afficiebant, & turbas dabant.* Deinde Senatus consulto Italia expulit questus *multa ab iis in publicum seditiosè, fœda per domos tentari.* Alias quoque cum ad Senatum ea de re referret, decerni curauit, *Ne domos Pantomimorum senator introiret; ne egredientes in publicum Equites Romani cingerent; aut alibi quam in theatro spectarentur, & spectantium immodestiam exilio mulctandi potestas Prætoribus fieret.* Videte, Iudices, quam sit ars illa extinguendis seditionibus, continendo populo, ocio vtiliter occupando idonea. Spectate domos ipsas hospitum turpitudine pollutas senatoriam

Tacit. l. 1. Annal. & l. 4.

Histriones eiecti ob seditiones.

abollam, & patricios mulleos inquinare. Considerate quantum agentis histrionis occursus aut aspectus ciuib⁹ Romanis dirus esset & ominosus: siquidem ne singuli seruũ habere cogerentur qui obuiũ submoueret (quemadmodum à Vestalibus carnifices & meretrices per lictorem abigebãtur) cum in theatrum compingebant, tanquam in ergastulum, vt in sola sçena spectaretur: in scena inquam, loco *tam turpi vt tanto minus ibi homo esse discat, quanto fuerit magis vir bonus.* Contrarium autem Domitianus, vt est ante à me indicatum, facere coactus est, licet Paridem adamaret, & magna mala homo flagitiosissimus non improbaret. *Is enim histrionibus introduxit scenã, intra domum quidem exercendi artem iure concesso.* Hæc, inquam, est ars illa pacis & tranquillitatis publicæ conseruatrix, hi sunt homines otij nostri defensores, quos publicè priuatimque turbas cientes ne pessimi quidem Imperatores ferre potuerunt: qui si domi artem exercent, quæ flagitia priuatis parietibus non occultant? si theatra celebrant, quibus seditionibus & populi factionibus campum non aperiunt? Posteriores quoque Imperatores pari consensu in histrionibus è publico eiiciendis, ne statuas quidem ipsorum in foro spectari permiserunt. Recita Rescriptum Theodosij, & filiorum de statuis histrionum.

August. l. 1. de Consensu Eu. c. 33.

Impp. Theodosius, Aycadius, & Honortus Rufino P. P. Si quis in publicis porticibus, vel in his ciuitatum locis in quibus nostræ solent imagines consecrari, pictura Pantominum veste humili, rugosis sinibus agitatorem, aut vilem offerat histrionem, illico reuellatur: neque vnquam posthac liceat in loco hone-

l. Si quis 4. de Spectaculis tit. 40.

sto, inhonestas adnotare personas. In aditu vero Circi, vel in Theatri prosceniis vt collocentur non vetamus. Sed ne omnia commemorare velle videar, quæ sunt in hoc genere infinita, vnum adiiciam quod vestra, Iudices, interest recordari: in iis videlicet causis ob quas filius à parente exhæredari potest, hanc à Magno Iustiniano constitui, *Si præter voluntatem parentum inter arenarios & mimos se filius sociauerit, & in hac professione permanserit.* In Authent. Deus sancte! potest-ne vlla reperiri arctior sanctiorque in natura rerum coniunctio quam filij cum parente? at eam dissoluit ars histrionica. Imaginem suam, sui particulam, sua viscera ob illud vnum facinus legitimè pater oderit, perdat, dissipet? viuo filio orbus pater, patre diuite egens filius esse possit, si in histrionia perseueret! ô scelus! ô portentum infra mortuos amandandũ! Nam quæ mundi regio, quæ plaga terrarũ eos recipiet, si leges, & Principum edicta spectantur? Romæ habitabunt? quo loco si eos priuatis domibus Tiberius, scena & theatro Domitianus excludit? morabuntur in Italia? at id Senatus vetabit. In exercitu ergo militabunt? at legiones Romanæ tantum dedecus non admittent. Latebunt igitur in sinu parentum vndecunque eiecti & extrusi? at nullum ibi perfugium est filiis omnes turpitudinũ maculas in familiam inferentibus. Quod si monstra diris omnibus & execrationibus deuouemus, quod tetrius monstrum fingi potest quam vt homo quispiam eius filius non sit, à quo est in lucem editus: eius vrbis ciuis esse non possit, in qua natus est: in illis castris parentes suos videat, in quibus stipendia non

facit: Romæ solum natale vertat in barbariem, sine domino seruus, domi suæ inquilinus, hospes in patria, eiectus è tribu, laudatus in scena?

Comœdorũ & histrionum eadẽ est ars & conditio.

Teneri aduersarium, Iudices, crebra coloris mutatio admonet: quem certè iamdiu pœnitet Romano nomine artis suæ humilitatem & infamiam tegere voluisse. Et hæc fortasse oratio longior visa est, quod vobis trita & peruulgata commemoraui. Sed veniam ab humanitate vestra postulat causę ipsius necessitas, imperitia populi, histrionum impudentia, quæ scriptis legibus & grauissimorum hominum testimoniis fuit reuincenda. Eorum tamen nonnulli hunc etiam exitum repererunt, vt in se negent ea côuenire, quæ pro veris agnoscunt: siquidem mimi non sunt ipsi, & viles aliqui planipedes, sed Comœdi, & è prætoria histrionum cohorte quorum vox & opera Regi & aulæ fuit in deliciis. Hæc cum dicunt, cum augustum Comœdorum nomen pronunciant inclinante in aurem pileo, mystacem mulcentes, producto vestigio, suum illud *Æqualis astris gradior*, meditari videntur. Quibus ego subtile istud effugium facile intercludam si per vos, & leges Romanas licuerit, quas sine fuco & fallacia more maiorum repræsentabo. Recita Prætoris edictum de iis qui notantur infamia.

Prætoris verba dicũt, infamia notatur qui artis ludicræ, pronũciandi ue causa in scenam prodierit. Explica quid scenæ nomine intelligatur ab Vlpiano.

Vlpian. l. 6. ad edictum.

Ait Prætor, qui in scenam prodierit infamis est. Scena autem est, vt Labeo definit, quæ ludorum faciẽdorũ causa quolibet loco vbi quis consistat, moueaturue spectaculũ sui præbiturus posita sit, in publico pri-

tuato-ue, vel in vico: quo tamen loco passim homines spectaculi causa admittantur. Eos enim qui quæstus causa in certamina descendunt, & omnes propter præmium in scenam prodeuntes, famosos esse, Pegasus, & Nerua filius responderunt. Itaque si illi à scena se abstinent, si sui spectaculum non præbent, si ad eorum theatra nulli homines admittuntur, si quæstus causa nihil faciunt; sunto comœdi quamlibet, & si volunt comedones: bibant modo cum Eupolide suo quicquid Alcibiades propinabit.

Venio tandem ad Græcos, quibus si non iucundissima fuisse spectacula, & artificum Dionysiacorum operam non honestam & vtilem visam esse dixero, mentiar, Iudices. Licet enim Tatianus Assyrius non doctiori quam veriori oratione demonstret pulcherrimarum rerum inuenta quibus falso Græci gloriantur, aliis nationibus accepta referri debere; huius tamen negotij inuentionem, amplificationem, magnitudinem quanta maxima vnquam fuit, Græcis hominibus volens libensque concedo. Nam vt modo prætermittam quæ hanc in rem allata sunt à Modestino, narrat historia Romana multos artifices è Græcia venisse cum M. Fuluius ludos quos Ætolico bello vouerat, exhiberet Sentio Posthumio, & Q. Martio Coss. anno v. c. 568. Deinde in triumpho L. Mummij de Achæis & Corinthiis Græcos ludos spectaculo fuisse in vrbe anno ab ea condita 608. Marcellum quoque Syracusis expugnatis scenicos artifices Romam transtulisse quasi opima de Græcis spolia: qua populi Romani indignatione non dicam, ne Græcos effugere videar,

Apud Græcos in pretio fuerunt Dionysiaci artifices & eorum spectacula.

exquisita mētione Romanorum. Denique vt appareat quam altè in Græcia labes illa insederit, quamque pertinax in ea fuerit amor ludorum, Cassiodori Senatoris æuo, Gothorum Regibus Italiam obtinentibus, Thomati cuidam aurigę ex orientis, id est Græciæ, partibus aduenienti, cum is patria derelicta Italici sedes fouere delegisset imperij, annona è fisco Regio est assignata, cum talis elogij præfatione. *Quantum histrionibus rara constantia, honestumque votum, tanto pretiosior est, cū in eis probabilis monstratur, affectus. Carum est enim homini reperisse vbi aliquid se laudabile non putauerat inuenire.* Ita multis sæculis vt phœnicem, sic histrionem vnum virum bonum natura vix parturit. Habet igitur aduersarius illam Europæ partem in qua se efferat: triumphet cum Græcis theatrorum institutoribus, & ambitiosam illam naturæ vocem, sola ex omnibus orbis terræ nationibus Græcorum prædicatione coërceat.

Cassiod. l.3. ep.51.

Athenienses præcipuè libidinibus dediti homines theatra adamarunt.

At quorum hominum Deus immortalis! in quibus perpetua leuitas, infinita loquacitas, inertissimum & desidiosissimum otium, vsitato apud cæteras gentes prouerbio deridetur: quorum sapientiam pallio & barba tenus prodeuntem sola superbiloquentia fecit admirabilem: Quorum semidei vt Socrates, vt Plato, (istis autem nominatis quē prætermissū existimare possumus!) fœdissimo in pueros amore exarserunt. Quam naturæ contumeliam non tantum exercuit Solon, sed etiam quasi honestam legibus sanxit: cauitque vt ea liberis libera esset, seruis autem minimè permitteretur. Taceo Tribadum impudentissimam nequitiam & cætera libidinū portenta

quæ

quæ ſine flagitio commemorari non poſſunt, illi honeſtè facere ſe iactabant: hoc tantum habete, Iudices, egregij illius legiſlatoris temporibus Theſpim poëmata ſua plauſtris vexiſſe; inde ortam Tragœdiam & Comœdiam velificante morum labe, & caſtitatis integra pernicie ad illud quod ſcimus incrementum perueniſſe. Puduit tamen aliquando Græcos inuenti ſui, vt miſeras matres monſtroſi partus: cum Olympiadis 85. anno 1. Comœdias agi vetuerint. Sed continentiæ ſuæ breui pœnitentes anno extremo eiuſdem Olympiadis legem aduerſus Comœdos latam abrogarunt. Eximiè profectò, & magna morum cum legibus conſenſione. Nam quomodo fieri poterat, vt qui in illam intemperantiam effuſi eſſent, Comœdiam non amarent, aut qui theatris delectarentur, non profligatiſſimè viuerent? At Heroës illos Græcos duos Atrei filios, duos Aiaces, Vlyſſem, Diomedem, Neſtorem ea non vexabat libidinis inſania, qui tamen ludis funebribus ad Patrocli buſtū iucundiſſimè ſe exercebant: non ſe Dorico bello Codrus pro patria deuouit, verè bonorum Regum vltimus, vt ſua poteſtate in Solonem Archontem delapſa pudoris & naturæ lex lege lata abrogaretur. Maiora longè ſpectabat Theſeus cum Atticorum ex oppidis duodecim in vnam vrbem συνοικίᾳ faceret, eique ciuitati Deæ virginis nomen inderet, magna deinde Panathenæa inſtitueret; quam vt populus totos dies in theatris deſideret, vel famoſi illi *Athenienſes ad nihil aliud vacarent niſi aut dicere, aut audire aliquid noui*. Non formidabat hiſtrionum vociferationem Philippus, ſed fulmina

Oratorum: non mirabatur desidiam theatrorum Xerxes tota Asia in Græciam armatus, sed cursum, luctam, pancratium, & vniuersas quinquertij exercitationes arborum frondibus compensatas: Non erant illi tanto terrori Athenæ suis sedibus dimotæ, quanto trecenti Lacones Thermopylarum angustias animis suis oppilantes. Illi, inquam, Lacones flos Græciæ, qui Athenienses iure optimo ridebant, quòd quam pecuniam nauibus fabricandis deberent impendere eam theatris assignarent: illi Lacedæmonij apud quos non vox in scena, sed membra in campo, non thymele in orchestra, sed generosa in prœliis saltatio; non corpora in lupanaribus, sed animi in Phiditiis exercebantur. Theatra igitur Græci frequentarunt. qui? Athenienses, apud quos Epicurus scholam tenuit, Paulus Apostolus vix auditus est. Vixerunt Dionysiaci artifices, vbi? in ea vrbe in qua Phocion capitis damnatus est, Phrynice meretrix absoluta. Flagitia sua publicè docuerunt ludiones, vbi? Athenis, vbi Socrates cicutam bibit, Cleon & Critias imperarunt. Regnauerunt histriones, quo loco? Athenis, vnde ob ingenium Alcibiades, ob dignitatem Themistocles, ob virtutem Aristides Ostracismo sunt eiecti. Coronis & prœmiis donati sũt scenici, à quibus? ab Atheniensibus, qui Demetrij Phalerei statuas euerterunt, equarum Phidolæ, Cleosthenis Cimonis iconicas dedicarunt. Atenim cur theatris & histrionibus apud populum sapientem tantus honos habitus est? quid? sapientem appellas populum quem Demosthenes, vnam facit è belluis à Minerua temerè adamatis? quid? bonum atque honestum

Lacedæmonij studium theatrorũ in Atheniensibus condemnarunt.

eligi potuit in ea vrbe quæ hinc armis circumsonabat, & bellico strepitu, inde mercatoribus & nauticis è tota Græcia quisquiliis redundabat? Quid? veræ virtutis gustum habere potuit misera & ieiuna plebs, cuius aures vndique Philosophorum mera somnia, eaq; inter se contraria garrientium clamoribus obtundebantur? quæ mente atque animo Rhetorum calliditate obscurato, sine deliberatione, sine iudicio, protensis manibus psephismata faciebat? Nam solos cogitare Socrates, Platones, Zenones: putare in ea vrbe in qua iudicia exercuerunt Areopagitæ perniciosos ciues consistere non posuisse, hominis est rerum Græcarum, imò certè humanarum stolidè imperiti.

Cur ergo illic amati histriones? profectò non ob eorum pudorem & sanctimoniam, vel Aristotele teste locupletissimo: quem suis verbis loquentem audire vos, Iudices, vehementer cupio. Est enim & in hominis ingenio pondus, & in Philosophi indagatione ratio, & in vtriusque auctoritate veritas. Recita quæ de histrionum improbitate scribit Aristoteles. Arrige aures Pamphile. *Cur histriones sint vt plurimum improbi.*

Cur Dionysiaci artifices vt plurimum improbi sunt? Quia rationis & sapientiæ minimè participes sunt: vt qui pene semper in artibus ad vitam necessariis occupentur. Præterea quia maximam vitæ partem in intemperantia traducunt, alteram in indigentia: Quorum extremorum vtrumque ad improbitatem gignendam est idoneum. Quam sententiam Taurus Philosophus, vt est à Gellio proditum discipulo suo adolescenti diuiti perscriptam misit quotidie lectitandam: ratus ea vna nimis acrem & parum honestum Comœdorum, & Tibicinum amorem, *Aristot. in Problem. sect. 30. q. 10.* *Gellius l. 20. c. 3.*

quo is laborabat, posse comprimi. Eadem fermè dicuntur à Cassiodoro, ne Græcum auctorem incomitatum relinquamus: cum is Tribuno voluptatum gubernandorum histrionum committit prouinciam. Selige præcipua quædam ex formula tribuni voluptatum.

Cassiod. l. 7. ep. 10.

Quamuis artes lubricæ honestis moribus sint remotæ, & histrionum vita vaga videatur efferri posse licentia; tamen moderatrix prouidit antiquitas vt in totum non effluerent, cum & ipsæ iudicem sustinerent. Temperentur & hæc legum qualitate negotia, quasi honestas imperet inhonestis, & quibusdam regulis viuant qui viam rectæ conuersationis ignorant. Student enim illi non tantum iucunditati suæ, quantum alienæ lætitiæ; & conditione peruersa cum dominatum suis corporibus tradunt, seruire potius animas compulerunt. Quapropter Tribunum te voluptatum nostra facit electio, ne quod ad lætitiam constat inuentum, tuis temporibus ad culpas videatur fuisse transmissum. Cum fama diminutis salua tua opinione versare. Castitatem dilige cui subiacent prostitutæ: vt magna laude dicatur, virtutibus studuit, qui voluptatibus miscebatur. His sapientiæ oraculis si adiungimus corroboratam tot postea sæculis nequitiam, auctam impunitate flagitia, superiorum temporum præ hac ætate, penè dicam, innocentiam: quis veterum dicta requirenda existimet, vt profligata histrionum vita nobis cognita sit atq; perfecta?

Cur Græci potius quã Romani scenicos honorarint.

Sed vt rem definiamus, cur ex omni scelerum importunitate concretos homines summis honoribus non indignos existimarunt Græci, Romanis alia omnia sentientibus? Fatendum est, Iudices, id maximè à praua de Diis opinione profectum.

Nam quia aduerſus eos religioſi videri volebant, erantque ſemper illorum alicui conſecrata ſpectacula, imò ſæpè propudioſa eorum facta ſcenicis fabulis exhibebantur. *conſentaneum non putabant*, vt loquitur Auguſtinus, *cum eaſdem artes, eoſdemque ſcenicos ludos etiam Diis ſuis acceptos viderent, illos, per quos agerentur, infamium loco ac numero deputare.* Id verò Magnus vir in Romanorum inſtitutis concoquere non poterat, vt omnem deformandorum Deorum poteſtatem poëtis facerent, qui tamen ab exiſtimatione ciuium abſtinere iuberentur: vtque ſpectaculis Deos honorare ſe dicerent, qui ſcenicos ſpectaculorum actores nec plebeiam tribum, quanto minus ſenatoriam curiam tenere permitterent. Idem Tertulliano, idem Arnobio viſum eſt, imminui à Romanis dignitatem Deorum, *res turpiſſimas Diis conſecrando quas Cenſor animus reſpuat, & quarum actores inhoneſtos eſſe ius Romanum, & inter capita computari iudicauit infamia.* Non probant hi quidem efficťas in theatris Deorum libidines, cum Græcos ea parte, qua illorum actoribus aditum ad honores reliquerunt, Romanis eoſdem ignominia notantibus anteponunt. Sed vtroſque apud æquiores Iudices in ius vocant: alteros quod fabulas probarent, earum actores à ſocietate ciuium remouerent: imo verò poëtas fabularum ſcriptores colerent, *cum rectum non videatur vt poëticorum figmentorum & ignominioſorum Deorum infamentur actores, honorentur auctores*: alteros autem quod inuerecundius quidem, ſed conuenientius & fabularum, & actorum propudiis Deos crederent honorari. Ad ſcrupuloſum illum vanæ religionis cul-

Auguſt. l. 2 de Ciuit. cap. 10.


Arn. l. 7.

Auguſt. l. 2. de Ciuit. cap. 14.

tum accessit ipsa Græcorum poëtarum industria; præsertim ex quo Cimon expeditione Persica feliciter perfunctus Tragœdorum certamen instituit Olympiade 77 Ipsis enimuerò omnibus eloquentiæ artisque suæ neruis sibi gloriam, ciuibus delectationem parare connitentibus; qualem concursum ad eximios nobilium ingeniorum partus fieri ab elegantibus & otiosis hominibus oportebat? Quæ res enim alia Socratem Euripidis studiosum fecit, & in eius tragœdiis summi Philosophi animum defixit & intendit, quàm tragicæ poëseos maiestas, & singuli versus pro singulis testimoniis reputati? Quis autem ad Empedoclis Agrigentini, Cratetis Thebani, Diogenis Sinopensis, Iouis Chij nobilium Philosophorum theatra, tanquam ad lyceum aut Porticum accurrere non debuit, si quas illi scripserunt tragœdias, recitari publicè voluerunt? Itaque artem ex superstitione quasi necessitatem ornamentis locupletauit poëtarum solertia, vt vtraque illecebra, cuius est incredibilis potestas in hominum animos, currentem per se multitudinis curiositatem incitaret. Quod genus scriptionis ferè neglectum est à Romanis, qui gloriam factis quàm verbis comparare satius duxerunt: atque illa ipsa quæ gloriosè gererent historica fide conscribi, quàm poëticis ambagibus obscurari maluerunt.

Sentio me, Iudices, ad eum locum deuenisse, in quo actioni meæ terminos scitis esse constitutos. Nec enim ad sacros Ecclesiæ Patres transire fas est; nec ea causæ pars quæ ex illorum testimoniis conficitur, eruditissimo viro qui modo dicturus est, sine præuaricationis periculo potest detrahi,

Itaque hic mihi finiendum eſt perfunctoqua potui fide teſtificationibus antiquorum; quibus, niſi omnia me fallunt, è patentiſſimo naturæ campo quem glorioſus hic miles occupare ſe putabat, in exiguas vnius nationis, atque ne integræ quidem anguſtias compulſus eſt. Quod ſi abſque illa ſpectaculorum luxuria benè conſtituta regna diu viguerunt: ſi bonis legibus imbutæ Reſpublicæ illa ſemel admiſſa, quaſi omnibus virtutis neruis eliſis in perniciem & exitium corruerunt: ſi Romæ apud probos contemptui, apud improbos non conſtanter in amore fuerunt theatrorum voluptates: ſi in Græcia ſolam Athenienſium plebeculam vt ſtupidas animantes tenuerunt; quis non videt quàm illud otiandi genus ſit inutile ciuitatibus, exitioſum moribus, legibus contrarium? Eoſ-ne, Iudices, excipietis quos proprij parentes eiecerunt? ſine infamia ſuis in vrbibus habitare non poſſunt, & in hac veſtra honorificè reſidebunt? Eligite modo quorum ſimiles in eorum cauſa eſſe velitis, an otioſorum Græculorum, aut Perſarum, Ægyptiorum, Hebræorum, Gallorum & ipſorum optima ex parte Romanorum: liberam-ne contrà leges vagandi licentiam conceſſuri, an impoſitas à legibus pœnas irrogaturi ſitis? Meditamini ſententiam dignam veſtris auribus, hoc loco, veſtra virtute. Hoc expectant omnes boni, hoc verentur improbi, hoc iamdiu optat Reſpub. vt ſe importuniſſimorum hominum ſceleribus & turpitudine liberetis.



GRATIANVS

CANONVM ECCLESIASTICORVM ET SANCTORVM PATRVM DICTIS ATQVE decretis histriones penitus profligat.

ORATIO XII.



ANQVAM in ludicro ad aram Promethei decursu, mihi, licet impari, lampada tradis Philologe, & nõnihil cunctantem ad extremam actionis vestræ partem exequendam, non verbo potius, quàm exemplo excitas & impellis. Equidẽ satis animaduertebam illata Græcanicæ superstitionis mentione, refricari memoriam eius erroris, quem non incredibili coniectura persuadere voluit aduersarius. Sed ita me sibi totum deuinxerat oratio tũa conferta omnigenæ eruditionis varietate,

vt officij animique mei penitus obliuiscerer, meque huc non ad agendam, sed ad audiendam caussam venisse gauderem. Simul ita mihi persuadebam cum sensim & pedetentim progrediens in hunc locum delapsus esses, tibi ad eum tractandum voluntatis aliquid fore, cui ad salutandum aptè & ex arte industria non defuisset. Quod si & lassitudini vestræ, & Iudicum fastidio sic consultum voluistis, vt in hæc membra causa distribueretur; alteri certè committenda fuit, qui & plurima lectione, & maxima polleret eloquentia. Quis enim præuaricationis non accuset, si cum testes producere debeam, honestissimos ex ignoratione prætercam? cui autem ridiculum nõ videatur ab infantissimo homine viros ingeniosissimos & eloquentissimos in iudicium adduci, & de re ad virtutem & religionem pertinente sententiam testimoniumque rogari? Quibus incommodis nisi ea qua decreui ratione mederi me, Iudices, vosque actores permittitis, iam nunc profecto rem totam desinere deliberatum & constitutum est. Nam quia singulos in medium proferre non possum, vna ista denunciatione contentos vos esse cupio, ex antiquis Ecclesiæ Patribus qui spectaculorum scenicorũ mentionẽ induxerit, ea cõprobasse neminẽ, omnes verbis grauissimis cõdemnasse. Deinde ne quas imperitia mea illorum eloquentiæ tenebras offundat, quod Philologus in adducendis legibus, id in eorum proferendis testimoniis obseruare me oportet, vt ea ex scripto quamlibet prolixa, nulla addita, detractaue littera, recitentur. Cum enim de re proposita interrogentur absentes, necesse est eos ex tabulis

respondere: cum autem altercationes sustinere non possint, quo prolixius dicent sententiam, eo certius clariusque de ipsorum voluntate cōstabit. Illud demum quod in me desiderari sentio, quod mihi negauit ignorantia, disertissimorum hominum admirabili facundia tegetur. Et quoniam semidocto noua & magna videri solent omnia, si quid fortasse contritum apud vos, & commune affe o: vel inscientiæ meæ excusationem accipite, vel Senecam non tam Lucilio suo quam mihi, sapientiæ voce istud ipsum quod ago imperantē attendite. *Istis dicentibus, quousque eadem? Responde. Ego debeo dicere, quousque eadem peccabitis? Remedia ante vultis quam vitia desinere: Ego vero eo magis dicam, & quia recusatis perseuerabo. Tunc incipit medicina proficere, vbi in corpore alienato dolorem tactus expressit. Dicā etiam inuitis profutura.*

Seneca ep.

Dicta Sanctorum Patrum magnum auctoritatis pondus apud nos habere debent.

Sed ne vobis iniuriam facere videar, qui de vestra humanitate tantoperè dubitem, & quasi desperem; ad nostram controuersiam aggredior Iudices, eamque vobis clarè spectandam propono. Equidem accusationis partes expletas esse video: nihil habeo quod addam aut ad Modestini rationes, aut ad profana testimonia Philologi oratione producta: reliqua pars litis in veterum Ecclesiæ Patrum sententia inquirenda vertitur: Quid de Scenicis cū actoribus, tū actionibus, quid de arte ipsa, quid de spectatoribus quorū gratia res ea comparata est, existiment, inter nos controuersamur. Non iam simpliciter de rei æquitate, sed de Ecclesiasticorum Doctorum sensu atque iudicio quæritur. Atque illa sic à me proposita sunt, non tantum vt intelligat aduersarius quid hac oratio-

ne complecti velim; sed etiam vt hoc sermonis aditu suo se præsidio deiectum esse cognoscat. Nam quia vidit homo nō incautus grauia sibi fore Sanctorum Patrum, si proferrentur, testimonia: confugit ad illud vanæ religionis perfugiū, vt diceret initiata fuisse ritibus Ethnicis theatra, dedicatos ludos inanibus deorū simulacris, quibus ideo tantū Christianis hominibus antiqui Præsules interdicerent, quod ij sine inficiatione sanctissimæ religionis spectari non possent. Quæ ratio si Christiani nominis antesignanos sola mouit vt spectacula condemnarent: infirmum profecto telum est quod ex instructissimo Ecclesiæ armamentario aduersus scenicos depromitur. Sin autē idololatriæ ratio turpitudinis adiuncta est, eaque & primis illis coryphæis iusta non modo, sed etiam necessaria visa cur theatra execrarentur, & ad nostra tempora nimis pertinaci successu propagata: quid est causę cur illorum testimonia non aduocemus, aut ea parum aduersarios lædere & cruentare censeantur? Qua enim fronte in hoc iudicio stabunt histriones cum ex ipsis aris & sacris excitari contra se videbunt infulatos nobilissimarum sedium Antistites, martyrio purpuratos Heroës, ingenij, eloquentiæ, & quod maximum est, sanctitatis Principes: quorum clarissima cum in terris viuerent auctoritas Ecclesiastica consecratione mirum quantum aucta & cōfirmata est? Ij sunt, Iudices, Catholicorum dogmatum interpretes, Christianæ virtutis regula, Ecclesiasticarum legum latores. Eorum est priuatis in Ecclesiis populum quid agat edocere, in Conciliis Generalibus quid Ecclesia vniuersa cre-

Oratorum: non mirabatur desidiam theatrorum Xerxes tota Asia in Græciam armatus, sed cursum, luctam, pancratium, & vniuersas quinquertij exercitationes arborum frondibus compensatas: Non erant illi tanto terrori Athenæ suis sedibus dimotæ; quanto trecenti Lacones Thermopylarum angustias animis suis oppilantes. Illi, inquam, Lacones flos Græciæ, qui Athenienses iure optimo ridebant, quòd quam pecuniam nauibus fabricandis deberent impendere, eam theatris assignarent: illi Lacedæmonij apud quos non vox in scena, sed membra in campo, non thymele in orchestra, sed generosa in prœliis saltatio; non corpora in lupanaribus, sed animi in Phiditiis exercebantur. Theatra igitur Græci frequentarunt. qui? Athenienses, apud quos Epicurus scholam tenuit; Paulus Apostolus vix auditus est. Vixerunt Dionysiaci artifices, vbi? in ea vrbe in qua Phocion capitis damnatus est, Phryhice meretrix absoluta. Flagitia sua publicè docuerunt ludiones, vbi? Athenis, vbi Socrates cicutam bibit, Cleon & Critias imperarunt. Regnauerunt histriones, quo loco? Athenis, vnde ob ingenium Alcibiades, ob dignitatem Themistocles, ob virtutem Aristides Ostracismo sunt eiecti. Coronis & prœmiis donati sũt scenici, à quibus? ab Atheniensibus, qui Demetrij Phalerei statuas euerterunt, equarum Phidolæ, Cleosthenis Cimonis iconicas dedicarunt. Atenim cur theatris & histrionibus apud populum sapientem tantus honos habitus est? quid? sapientem appellas populum quem Demosthenes, vnam facit è belluis à Minerua temerè adamatis? quid? bonum atque honestum

Lacedæmonij studium theatrorũ in Atheniensibus condemnarunt.

eligi potuit in ea vrbe quæ hinc armis circumſonabat, & bellico ſtrepitu, inde mercatoribus & nauticis è tota Græcia quiſquiliis redundabat? Quid? veræ virtutis guſtum habere potuit miſera & ieiuna plebs, cuius aures vndique Philoſophorum mera ſomnia, eaq; inter ſe contraria garrientium clamoribus obtundebantur? quæ mente atque animo Rhetorum calliditate obſcurato, ſine deliberatione, ſine iudicio, protenſis manibus pſephiſmata faciebat? Nam ſolos cogitare Socrates, Platones, Zenones: putare in ea vrbe in qua iudicia exercuerunt Areopagitæ pernicioſos ciues conſiſtere non potuiſſe, hominis eſt rerum Græcarum, imò certè humanarum ſtolidè imperiti.

Cur ergo illic amati hiſtriones? profectò non ob eorum pudorem & ſanctimoniam, vel Ariſtotele teſte locupletiſſimo: quem ſuis verbis loquentem audire vos, Iudices, vehementer cupio. Eſt enim & in hominis ingenio pondus, & in Philoſophi indagatione ratio, & in vtriuſque auctoritate veritas. Recita quæ de hiſtrionum improbitate ſcribit Ariſtoteles. Arrige aures Pamphile. *Cur hiſtriones ſint vt plurimum improbi.*

Cur Dionyſiaci artifices vt plurimum improbi ſunt? Quia rationis & ſapientiæ minimè participes ſunt: vt qui pene ſemper in artibus ad vitam neceſſariis occupentur. Præterea quia maximam vitæ partem in intemperantia traducunt, alteram in indigentia: Quorum extremorum vtrumque ad improbitatem gignendam eſt idoneum. Quam ſententiam Taurus Philoſophus, vt eſt à Gellio proditum diſcipulo ſuo adoleſcenti diuiti perſcriptam miſit quotidie lectitandam: ratus ea vna nimis acrem & parum honeſtum Comœdorum, & Tibicinum amorem, *Ariſtot. in Problem. ſect. 30. q. 10.* *Gellius l. 20. c. 3.*

quo is laborabat, posse comprimi. Eadem fermè dicuntur à Cassiodoro, ne Græcum auctorem incomitatum relinquamus: cum is Tribuno voluptatum gubernandorum histrionum committit prouinciam. Selige præcipua quædam ex formula tribuni voluptatum.

Cassiod. l. 7. ep. 10.

Quamuis artes lubricæ honestis moribus sint remotæ, & histrionum vita vaga videatur efferri posse licentia; tamen moderatrix prouidit antiquitas vt in totum non effluerent, cum & ipsæ iudicem sustinerent. Temperentur & hæc legum qualitate negotia, quasi honestas imperet inhonestis, & quibusdam regulis viuant qui viam rectæ conuersationis ignorant. Student enim illi non tantum iucunditati suæ, quantum alienæ lætitiæ; & conditione peruersa cum dominatum suis corporibus tradunt, seruire potius animas compulerunt. Quapropter Tribunum te voluptatum nostra facit electio, ne quod ad lætitiam constat inuentum, tuis temporibus ad culpas videatur fuisse transmissum. Cum fama diminutis salua tua opinione versare. Castitatem dilige cui subiacent prostitutæ: vt magna laude dicatur, virtutibus studuit, qui voluptatibus miscebatur. His sapientiæ oraculis si adiungimus corroboratam tot postea sæculis nequitiam, auctâ impunitate flagitia, superiorum temporum præ hac ætate, penè dicam, innocentiam: quis veterum dicta requirenda existimet, vt profligata histrionum vita nobis cognita sit atq; perfecta?

Cur Græci potius quã Romani scenicos honorarint.

Sed vt rem definiamus, cur ex omni scelerum importunitate concretos homines summis honoribus non indignos existimarunt Græci, Romanis alia omnia sentientibus? Fatendum est, Iudices, id maximè à praua de Diis opinione profectum.

Nam quia aduersus eos religiosi videri volebant, erantque semper illorum alicui consecrata spectacula, imò sæpè propudiosa eorum facta scenicis fabulis exhibebantur. *consentaneum non putabant*, vt loquitur Augustinus, *cum easdem artes, eosdemque scenicos ludos etiam Diis suis acceptos viderent, illos, per quos agerentur, infamium loco ac numero deputare.* Id verò Magnus vir in Romanorum institutis concoquere non poterat, vt omnem deformandorum Deorum potestatem poëtis facerent, qui tamen ab existimatione ciuium abstinere iuberentur: vtque spectaculis Deos honorare se dicerent, qui scenicos spectaculorum actores nec plebeiam tribum, quanto minus senatoriam curiam tenere permitterent. Idem Tertulliano, idem Arnobio visum est, imminui à Romanis dignitatem Deorum, *res turpissimas Diis consecrando quas Censor animus respuat, & quarum actores inhonestos esse ius Romanum, & inter capita computari iudicauit infamia.* Non probant hi quidem effictas in theatris Deorum libidines, cum Græcos ea parte, qua illorum actoribus aditum ad honores reliquerunt, Romanis eosdem ignominia notantibus anteponunt. Sed vtrosque apud æquiores Iudices in ius vocant: alteros quod fabulas probarent, earum actores à societate ciuium remouerent: imo verò poëtas fabularum scriptores colerent, *cum rectum non videatur vt poëticorum figmentorum & ignominiosorum Deorum infamentur actores, honorentur auctores*: alteros autem quod inuerecundius quidem, sed conuenientius & fabularum, & actorum propudiis Deos crederent honorari. Ad scrupulosum illum vanæ religionis cul-

August. l. 2 de Ciuit. cap. 10.

Arn. l. 7.

August. l. 2. de Ciuit. cap. 14.

tum acceſſit ipſa Græcorum poëtarum induſtria; præſertim ex quo Cimon expeditione Perſica feliciter perfunctus Tragœdorum certamen inſtituit Olympiade 77 Ipſis enimuerò omnibus eloquentiæ artiſque ſuæ neruis ſibi gloriam, ciuibus delectationem parare connitentibus; qualem concurſum ad eximios nobilium ingeniorum partus fieri ab elegantibus & otioſis hominibus oportebat? Quæ res enim alia Socratem Euripidis ſtudioſum fecit, & in eius tragœdiis ſummi Philoſophi animum defixit & intendit, quàm tragicæ poëſeos maieſtas, & ſinguli verſus pro ſingulis teſtimoniis reputati? Quis autem ad Empedoclis Agrigentini, Cratetis Thebani, Diogenis Sinopenſis, Iouis Chij nobilium Philoſophorum theatra, tanquam ad lyceum aut Porticum accurrere non debuit, ſi quas illi ſcripſerunt tragœdias, recitari publicè voluerunt? Itaque artem ex ſuperſtitione quaſi neceſſitatem ornamentis locupletauit poëtarum ſolertia, vt vtraque illecebra, cuius eſt incredibilis poteſtas in hominum animos, currentem per ſe multitudinis curioſitatem incitaret. Quod genus ſcriptionis ferè neglectum eſt à Romanis, qui gloriam factis quàm verbis comparare ſatius duxerunt: atque illa ipſa quæ glorioſè gererent hiſtorica fide conſcribi, quàm poëticis ambagibus obſcurari maluerunt.

Sentio me, Iudices, ad eum locum deueniſſe, in quo actioni meæ terminos ſcitis eſſe conſtitutos. Nec enim ad ſacros Eccleſiæ Patres tranſire fas eſt; nec ea cauſæ pars quæ ex illorum teſtimoniis conficitur, eruditiſſimo viro qui modo dicturus eſt, ſine præuaricationis periculo poteſt detrahi.

Itaque hic mihi finiendum eſt perfunctoqua potui fide teſtificationibus antiquorum;quibus,niſi omnia me fallunt, è patentiſſimo naturæ campo quem glorioſus hic miles occupare ſe putabat, in exiguas vnius nationis, atque ne integræ quidem anguſtias compulſus eſt. Quod ſi abſque illa ſpectaculorum luxuria benè conſtituta regna diu viguerunt: ſi bonis legibus imbutæ Reſpublicæ illa ſemel admiſſa, quaſi omnibus virtutis neruis eliſis in perniciem & exitium corruerunt: ſi Romæ apud probos contemptui, apud improbos non conſtanter in amore fuerunt theatrorum voluptates: ſi in Græcia ſolam Athenienſium plebeculam vt ſtupidas animantes tenuerunt; quis non videt quàm illud otiandi genus ſit inutile ciuitatibus, exitioſum moribus, legibus contrarium? Eoſ-ne, Iudices, excipietis quos proprij parentes eiecerunt? ſine infamia ſuis in vrbibus habitare non poſſunt, & in hac veſtra honorificè reſidebunt? Eligite modo quorum ſimiles in eorum cauſa eſſe velitis, an otioſorum Græculorum, aut Perſarum, Ægyptiorum, Hebræorum, Gallorum & ipſorum optima ex parte Romanorum: liberam-ne contrà leges vagandi licentiam conceſſuri, an impoſitas à legibus pœnas irrogaturi ſitis? Meditamini ſententiam dignam veſtris auribus, hoc loco, veſtra virtute. Hoc expectant omnes boni, hoc verentur improbi, hoc iamdiu optat Reſpub. vt ſe importuniſſimorum hominum ſceleribus & turpitudine liberetis.



GRATIANVS CANONVM ECCLESIASTICORVM ET SANCTORVM PATRVM DICTIS ATQVE decretis histriones penitus profligat.

ORATIO XII.



ANQVAM in ludicro ad aram Promethei decursu, mihi, licet impari, lampada tradis Philologe, & nõnihil cunctantem ad extremam actionis vestræ partem exequendam, non verbo potius, quàm exemplo excitas & impellis. Equidẽ satis animaduertebam illata Græcanicæ superstitionis mentione, refricari memoriam eius erroris, quem non incredibili coniectura persuadere voluit aduersarius. Sed ita me sibi totum deuinxerat oratio tũa conferta omnigenæ eruditionis varietate,

vt officij animique mei penitus obliuiſcerer, meque huc non ad agendam, ſed ad audiendam cauſam veniſſe gauderem. Simul ita mihi perſuadebam cum ſenſim & pedetentim progrediens in hunc locum delapſus eſſes, tibi ad eum tractandum voluntatis aliquid fore, cui ad ſalutandum aptè & ex arte induſtria non defuiſſet. Quod ſi & laſſitudini veſtræ, & Iudicum faſtidio ſic conſultum voluiſtis, vt in hæc membra cauſa diſtribueretur; alteri certè committenda fuit, qui & plurima lectione, & maxima polleret eloquentia. Quis enim præuaricationis non accuſet, ſi cum teſtes producere debeam, honeſtiſſimos ex ignoratione prætercam? cui autem ridiculum nō videatur ab infantiſſimo homine viros ingenioſiſſimos & eloquentiſſimos in iudicium adduci, & de re ad virtutem & religionem pertinente ſententiam teſtimoniumque rogari? Quibus incommodis niſi ea qua decreui ratione mederi me, Iudices, voſque actores permittitis, iam nunc profecto rem totam deſinere deliberatum & conſtitutum eſt. Nam quia ſingulos in medium proferre non poſſum, vna iſta denunciatione contentos vos eſſe cupio, ex antiquis Eccleſiæ Patribus qui ſpectaculorum ſcenicorū mentionē induxerit, ea cōprobaſſe neminē, omnes verbis grauiſſimis cōdemnaſſe. Deinde ne quas imperitia mea illorum eloquentiæ tenebras offundat, quod Philologus in adducendis legibus, id in eorum proferendis teſtimoniis obſeruare me oportet, vt ea ex ſcripto quamlibet prolixa, nulla addita, detractaue littera, recitentur. Cum enim de re propoſita interrogentur abſentes, neceſſe eſt eos ex tabulis

respondere: cum autem altercationes sustinere non possint, quo prolixius dicent sententiam, eo certius clariusque de ipsorum voluntate cōstabit. Illud demum quod in me desiderari sentio, quod mihi negauit ignorantia, disertissimorum hominum admirabili facundia tegetur. Et quoniam semidocto noua & magna videri solent omnia, si quid fortasse contritum apud vos, & commune affe o: vel inscientiæ meæ excusationem accipite, vel Senecam non tam Lucilio suo, quam mihi, sapientiæ voce istud ipsum quod ago imperantē attendite. *Istis dicentibus, quousque eadem? Responde. Ego debeo dicere, quousque eadem peccabitis? Remedia ante vultis quam vitia desinere: Ego vero eo magis dicam, & quia recusatis perseuerabo. Tunc incipit medicina proficere, vbi in corpore alienato dolorem tactus expressit. Dicā etiam inuitis profutura.*

Seneca ep.

Dicta Sāctorum Patrum magnum auctoritatis pondus apud nos habere debent.

Sed ne vobis iniuriam facere videar, qui de vestra humanitate tantoperè dubitem, & quasi desperem, ad nostram controuersiam aggredior Iudices, eamque vobis clarè spectandam propono. Equidem accusationis partes expletas esse video: nihil habeo quod addam aut ad Modestini rationes, aut ad profana testimonia Philologi oratione producta: reliqua pars litis in veterum Ecclesiæ Patrum sententia inquirenda vertitur: Quid de Scenicis cū actoribus, tū actionibus, quid de arte ipsa, quid de spectatoribus quorū gratia res ea comparata est, existiment, inter nos controuersamur. Non iam simpliciter de rei æquitate, sed de Ecclesiasticorum Doctorum sensu atque iudicio quæritur. Atque illa sic à me proposita sunt, non tantum vt intelligat aduersarius quid hac oratio-

ne complecti velim; sed etiam vt hoc sermonis aditu suo se præsidio deiectum esse cognoscat. Nam quia vidit homo nõ incautus grauia sibi fore Sanctorum Patrum, si proferrentur, testimonia: confugit ad illud vanæ religionis perfugiũ, vt diceret initiata fuisse ritibus Ethnicis theatra, dedicatos ludos inanibus deorũ simulacris, quibus ideo tantũ Christianis hominibus antiqui Præsules interdicerent, quod ij sine inficiatione sanctissimæ religionis spectari non possent. Quæ ratio si Christiani nominis antesignanos sola mouit vt spectacula condemnarent: infirmum profecto telum est quod ex instructissimo Ecclesiæ armamentario aduersus scenicos depromitur. Sin autẽ idololatriæ ratio turpitudinis adiuncta est, eaque & primis illis coryphæis iusta non modo, sed etiam necessaria visa cur theatra execrarentur, & ad nostra tempora nimis pertinaci successu propagata: quid est causę cur illorum testimonia non aduocemus, aut ea parum aduersarios lædere & cruentare censeantur? Qua enim fronte in hoc iudicio stabunt histriones cum ex ipsis aris & sacris excitari contra se videbunt infulatos nobilissimarum sedium Antistites, martyrio purpuratos Heroës, ingenij, eloquentiæ, & quod maximum est, sanctitatis Principes: quorum clarissima cum in terris viuerent auctoritas Ecclesiastica consecratione mirum quantum aucta & cõfirmata est? Ij sunt, Iudices, Catholicorum dogmatum interpretes, Christianæ virtutis regula, Ecclesiasticarum legum latores. Eorum est priuatis in Ecclesiis populum quid agat edocere, in Conciliis Generalibus quid Ecclesia vniuersa cre-

dat, decernere. Eorum scripta tanto consensu recepit, tam fideliter conseruat, tanta cum reuerentia legit populus Christianus, vt vnius illorum dicto vnico, & breui sententia in omnem se partem flecti patiatur: rectè arbitratus quicquid ab illis sapientiæ Christianæ fontibus emanauit, purum & salutare futurum. Ipsa vero Theologia quæ via ac ratione traditur, licet commentationis exquisitæ priuilegio auctorum dicta possit ad calculos reuocare; tamen contra vnius è Sanctis Patribus auctoritatem venire, religiosum habet; pluribus autem contradicere sacrilegio & insaniæ proximum. Quæ quidem eo consilio dicuntur à me, Iudices, vt cum illi contra scenicos artifices loquentur, non Liuios & Herodotos, non Senecas & Tacitos, non Homeros & Platones, quibus sæpè non credere iubet religio, sed Ecclesiæ magistros, orbis Christiani oracula, Deo instinctos homines, dicta ad sacrarũ literarum auctoritatem, quantum homini fas est, accedentia vos audire credatis. Te vero, Panurge, sperare nolo me in illa vna idololatria, aut fabularũ obscœnitate semper habitaturum: sed quando & te vt mendacem, oportet esse memorem, & me vt Iurisconsultum Pontificium pollere memoria, illa, quæ temerè per orationem sparsisti, mendacia, reuinci audies. Ita mirabuntur Iudices & te tam multa vno spiritu mentiri potuisse, & esse aliquos in opinione sapientiæ qui eiuscemodi præstigiis circumscribantur. Nihil è meo sensu depromam, non exaggerabo dicta sapientum: si quid tibi tuique studiosis ingratum protulero, non mihi sed Præsulibus sanctissimis, sed Con-

ciliis amplissimis, sed Ecclesiasticæ disciplinæ assignari volo, qualis tum in orbe viguit, cum cœli ciues Ecclesia nutriebat.

Spectacula scenica originem ducunt ab Idololatria.

Itaque vt in omen amplioris victoriæ id quod à te vltro conceditur, quoniam negari non potest, assumam; in turpi vanorum Deorum superstitione mecum profiteris spectaculorum tuorum amorem & insaniam esse fundatam. Id enim conceptis verbis à Cypriano & Tertulliano scriptum fuisse dixisti. Sed addis eam rationem in hæc tẽpora non conuenire, qu bus simulacrorum cultus interiit. Putas-ne tantam originis fœditatem mutatione temporum potuisse deleri? Videtur-ne tibi quod infamium numinum cultui dedicatum & institutum est, ritè & conuenienter ad Christianos mores transmitti? Quo tu iure ludos scenicos potius, quam Romana lectisternia, mysteria Eleusinia, sacra Isidis, hecatombas, auguria, in Christi fidem introduces? Si etiam Tertulliani ætate Dæmon in theatro quasi in suo habitabat, ibique inuentam Christianam mulierem iustissimè occupabat, quis eum ab illa possessione deiecit? quis ab antiqua domo Græcorum Romanorumque omnium admirabili consensu tradita cupidum & tenacem dominum exturbauit? quibus suffimentis expiata scena, quibus ritibus consecrata, ab Dæmonum cultu ad sanctissimæ religionis vsum, quod de fanis & delubris legimus, traducta est? Alia, inquis, sunt tempora. An etiã mutata rerũ natura est? an alea, an adulteria, an sacrilegia, rapinæ, incendia vetita esse desierunt ex quo Christiana religio nostras consuetudines innouauit? Quæ est autem illa ætatum in-

tercapedo? quæ tanta temporum conuersio? nostrum, opinor, sæculum cum Pyrrho & Camillo comparas, & Tertullianum Soloni & Euandris æqualem facis: puerorum more qui si pagi sui limites excesserint, continuo se in barbaras & ignotas terras delatos esse arbitrantur. Saluianum, nam & hunc appellasti, ad quæ tempora referendum censes? Profecto ad Christiana, post Theodosios & Constantinos, post Valentinianos & Honorios: cum omnes Imperij Romani plagæ Christi fide resonarent, cum Ecclesia Gallicana doctrina & sanctitate floreret, cum Idolorum nomina vix iam in libris & chartis legerentur. At is exaggerationem illam, vt vocas, Romanorum suorum, hoc est perfectiorum quam nostra tempestate existant, Christianorum auribus intrudebat; cuius quãdo tu partẽ expressisti, totam à me non inuitus accipies: vt Gallicanus iste tam boni nominis Antistes primus è sacra cohorte procedat in campũ. Recita Saluiani amplificationem de Christi fide in spectaculis eiurata.

Saluian. l.6. de Prouid.

Quæ vecordia est & amentia vt putemus risum & gaudium tanti non esse, nisi Dei in se habeat iniuriã? Iniuriam vtique & maximam. In spectaculis enim quædam apostasia fidei est; & à symbolis ipsius, & cœlestibus sacramentis lethalis præuaricatio. Quæ est enim baptismo salutari Christianorum prima confessio? quæ scilicet? nisi vt renunciare se Diabolo, ac pompis eius, atq; spectaculis & operibus protestẽtur? Quomodo igitur, ô Christiane, spectacula post baptismum sequeris, quæ opus esse Diaboli confiteris? Renunciasti semel Diabolo, & spectaculis eius; ac per hoc necesse est prudens & sciens dum ad spectacula remeas, ad Dia-

In spectaculis quædam apostasia fidei est.

bolum redire te cognoscas. Vtrique enim rei simul renunciasti, & vnum vtrumque esse dixisti. Si ad vnũ reuerteris, ad vtrumque remeasti. Diabolus est in spectaculis, pompis suis; ac per hoc cum redimus ad spectaculum, relinquimus fidem Christi. Si quid simile esset apud Barbaros vbi Circenses, theatra, vbi scelus diuersarum impuritatum, minore culpa sacræ offensionis erraretur: etsi esset impuritas visionis, præuaricatio tamen non erat sacramenti. Nos verò quid respondere pro nobis possumus? Tenemus symbolum & euertimus: confitemur munus salutis pariter & negamus. Ac per hoc vbi est Christianitas nostra, qui hoc tantummodo sacramentum salutis accepimus, vt maiore postea præuaricationis scelere peccemus? Possem alios eiusdem sententiæ Patres appellare: sed vnus ita sensisse videatur Saluianus. An septem & viginti supra ducentos Episcopi qui Sextæ Synodi quam Trullanam vocant, canones Imperante Iustiniano Rhinotmeto ediderunt, Christianis temporibus vixisse censendi sunt? At ij personas scenicas à Christianorum manibus extorquent, quia illa profanorum numinum reliquias sapiunt. Recita decretum Concilij Sexti in Trullo de saltationibus, & personis histrionicis.

Eas quæ nomine eorum qui falso apud Græcos Dij nominati sunt, vel nomine virorum ac mulierum fiunt saltationes ac mysteria, more antiquo & à vita Christianorum alieno, amandamus & expellimus; statuentes vt nullus deinceps vir muliebri veste induatur, vel mulier veste viro conueniente: sed neque comicas vel satyricas, vel tragicas personas induat: neque execrandi Bacchi nomen vuam Concil. 6. in Trullo. Can. 62.

in torcularibus exprimentes innocent, neque vinum in doliis effundentes risum moueant: ignorantia vel vanitate ea quæ à Dæmonis impostura procedunt, exercentes. Eos ergo qui deinceps, aliquid eorum quæ scripta sunt, aggredientur, vbi ad horum cognitionem peruenerint, si sint quidem clerici, deponi iubemus; si vero laici, segregari.

Laruæ comicæ à Dæmonis impostura procedunt.

Sed hæc modo prætermittamus quæ liberali aduersariorum confessione concluduntur; ad aliud vituperationis caput iamdiu festinat oratio. Gestit enim ea vobis exponere quæ de spectaculorum scenicorum obscœnitate & nequitia viri grauissimi omnibus eloquentiæ Christianæ neruis persuaserunt. Qua quidem in re pictores eximios imitari mihi videntur, qui Thersites & similis deformitatis monstra tanta & tam exquisita arte repræsentant, vt qui viui ac spirantes omnium oculos offendunt, in tabula summa cum voluptate spectentur. Sic homines illi sanctissimi theatra impuritatum omnium sentinam & cloacam tanta cum facundia nostris animis obiiciunt, vt quæ ipsa in se sine scelere, & virtutum omnium pernicie spectari non possunt, ea in istorum scriptis summa cum pietate & religione videantur. Audite, Iudices, eloquentiæ fulmen, Africæ lumen, Carthaginensem antistitem sanctitate celebrem, martyrio purpuratum. Recita Cypriani testimonium de theatrorum lasciuia.

Te spectaculorum scenicorum obscœnitatem plurimi Ecclesiæ Patres inuehuntur.

Vt ad scenæ iam sales inuerecundos transitum faciā, pudet referre quæ dicuntur, pudet etiam accusare quæ fiunt, agentium strophas, adulterorū fallacias, mulierum impudicitias, scurriles iocos, parasitos sordidos, ipsos quoque patres familias togatos, modo stupidos, modo

Cyprianus l. de Spectaculis.

modo obscœnos, in omnibus stolidos, certis nominibus inuerecundos. Et cum nulli hominum aut generi aut professioni ab improbis isto sermone parcatur, ab omnibus tamen ad spectandum conuenitur. Commune dedecus delectat vel recognoscere vitia, vel discere. Concurritur in illud pudoris publici lupanarium, ad obscœnitatis magisterium; ne quid in secreto minus agatur quàm quod in publico discitur, & inter ipsas leges docetur, quicquid legibus interdicitur. Quid inter hæc Christianus fidelis facit cui vitia non licet nec cogitare? Quid oblectatur simulacris libidinis, vt in ipsis deposita verecundia audacior fiat ad crimina? Discit facere, dum consuescit videre. Quid loquar comicas inutiles curas? quid illas magnas tragicæ vocis insanias? quid neruos cum clamore missos? hæc etiamsi non essent simulacris dicata, obeunda tamen spectacula non essent Christianis fidelibus: quoniam etsi non haberent crimen, habent tamen in se maximam & parum congruentem fidelibus vanitatem. Ista nisi Latinè intelligeres, Panurge, in nostra tempora nimis aptè quadrare monstrarem Atq; vtinam Græcos fontes vel summis labris degustasses, deducerem te non sine summa animi tui voluptate, si quid boni sapere velles, ad aureum eloquentiæ flumen, Chrysostomum, cuius nomen infra meritum est, supra famam eloquentia. Is nouam in Oriente Romam vitæ sanctitate, & admirabili doctrina excoluit vrbem ab omnibus simulacris, & Gentilium ritibus semper immunem: in ea Pontificem gessit Imperatoribus Romanis orbe toto Idolorum superstitionem præcipitantem impellentibus, & perditam prosternentibus. Itaq; quicquid in populo reprehendit, id profectò Christianis

Theatrum publici lupanarium.

temporibus in vrbe Christianis cerimoniis dedicata, à populo Christianis mysteriis initiato, eximius Christianæ Religionis doctor factum esse conqueritur. Quid autem sæpius, quid vehementius insectatur quàm theatra? in qua magis concione vel legenda exhorrescimus, quàm cum totum eloquentiæ fulmen in scenicos, in turpitudinem theatrorum, in spectatorum adulteria emittit? Nolite vereri, Iudices, ne omnia illius in hanc rem dicta cum fastidio persequar: sed aliqua saltem decerpere & orationis dulcitudo suadet, & cogit officium. Itaq; cum diuinus ille orator Antiochenæ plebi Euangelium Matthæi explicaret, euenit vt tũ temporis scenicum exhiberetur spectaculum, quo mulieres in Euripo natantes inducebantur. Audite admirabilẽ tantæ & talis impudicitiæ censorem. Recita Chrysostomi inuectionem in meretrices publicè in theatro natantes.

Chrysost. homil. 7. in Matth.

Aqua illa pelagus quoddam est immane luxuriæ, quo non corpora submerguntur, sed naufragium infertur animabus. Nam illa quidem in mediis aquis nuda ludit natatu: tu verò de sublimi spectans gradu in libidinis profunda demergeris. Huiusmodi enim diaboli retia, non tam in illam descendentes aquam, ibiq; se volutantes capiunt, quàm sursum sedentes. Multo quippe hi sanius suffocantur, quàm Pharao ille quondam cum curribus suis, equitibusque submersus est. Atque vtinam animas vndis illis supernatantes vestris oculis possem obiicere, non aliter profectò apparerent quàm Ægyptiorum corpora, quæ fluctibus voluebantur. Sed illud est multo sane periculosius, quod eiuscemodi perniciem nominant voluptatem, & immane illud perditionis pelagus, Euripũ delectationis

Perniciem theatrorũ nominant voluptatẽ.

appellant: cũ certe facilius aliquis ac tutius Ægeum mare transeat & Tyrrhenum, quam illius spectaculi horrenda discrimina Nam primo quidem per totam noctem expectatione nimis anxia, talium Diabolus corda solicitat: deinde id quod tam cupide fuerat expectatum ostendit, quo continuo eos ligat ducitque captiuos. Neq; enim si mixtus meretrici non es, immunem te putes esse peccati, cum totum illud voluntate commiseris. Nã si ab huiusmodi concupiscentia possideris, ingenti flamma profecto succenderis. Sin verò hæc aspicienda nihil pateris, culpa nihilominus teneris obnoxius, factus scilicet scandalum cæterorũ, & talium adhortatio voluptatum, tuamq; faciem ipse confundis, animamque cum facie. Regredere ad propriæ nobilitatis insigne, & immensum illud gehennæ pelagus flumenq; igneum fuge, idest, pestiferam illam piscenam theatri. Hæc est enim quæ spectatores suos in flammeum illud pelagus mergit quæq profundum illius ignis accendit. Si enim ille qui absque his irritamentis videt fœminam, interdum tamen ad concupiscendum trahitur, & tantummodo videndo mœchatur, qui non solum videt, sed etiam totam vndecumque nudam, & lasciuientem videt, qui non millies libidinis captiuus efficitur. Quid est Histrio? cur tamdiu iratum agis & indignantem: Video quid cogites: per calumniam te peti existimas, quasi meretricios illos Euripos in sphæristeriis tuis fluere accusem. Hoc non dico, Panurge, hoc conficere non proposui: Sed vnam ab Ecclesiasticis concionatoribus in theatris Idololatriam reprehendi clamabas: ego impudicitiæ quoque crimen ab illis intendi confirmo. Possum-ne eius rei locupletiorem aduocare testem Chrysostomo, aut vrbem

magis, vt sic loquar, Christianam nominare Antiochia, in qua Christianum nomen ortum, à qua in reliquas terrarum oras propagatum est, quæ Iulianum Cæsarem illum desertorem palam in theatro conuiciis verberauit? Magna vis est naturæ, Iudices: erubescit Histrio de patribus suis: damnat magisterium, quod non imitatur: repertum est aliquid in theatro, à quo ipsi actores abhorreant. Sed esto sanè, id impudicus aliquis artifex oculis hominum semel tantum obiecerit: nonne & alias turpitudinum formas insectatur Antiochenus orator? Certè, qui theatra Babylonicam fornacem & Ægyptium scortum vocare non veretur. Recita quæ de aliis scenæ obscœnitatibus à Chrysostomo differuntur.

Chrysost. hom. 38. in Matth.

Quis est ille theatralium hominum adeo magnus sonitus? quis tantus tumultus? qui Diabolici clamores? qui vestitus satanicus? alius cum adolescens sit, crinem nutrit & naturam aspectu, vestitu, incessu, cæterisque huiusmodi effœminando, ad teneriusculæ imaginem puellæ deducere contendit. Alius è contra cum sit senex, nouacula pilos & pudorem omnem abrasus, cinctus assistens, ad dicendum, ac faciendum omnia paratus est. Mulieres autem nudo, atque aperto capite populum absque rubore alloquuntur, tantaque præmeditatione impudentiam asciscunt, tantamque lasciuiam in audientium, atque videntium animos infundunt, vt vno omnes animo radicitus modestiam è mentibus suis euellere, dedecore muliebrem naturam afficere, perniciosa voluptate cupiditates suas implere conari videantur. Cuncta enim simpliciter quæ ibi fiunt turpissima sunt, verba, vestitus, tonsura, incessus, voces, cantus, modulationes, oculorum euersiones, ac

Histrionum vestitus satanicus.

motus, tibiæ, fistulæ, & ipsa fabularum argumenta: omnia, inquam, turpi lasciuia plena sunt. Dic ergo, quando à tanta fornicationis cupidine, quam tibi Diabolus infudit, teipsum recipies atque resipisces? Non enim ignoramus quot ibi fornicationes peragantur, quot adulteriis matrimonia maculentur, quot viri muliebria patiantur, quot iuuenes effœminentur. Cuncta iniquitatis summa, cuncta prodigiorum, cuncta impudentia plena sunt. De hoc, opinor, credamus Chrysostomo, neque innumera quæ lutulentam illam Camarinam apud sanctissimos scriptores indicant, moueamus. Illud est Sapiens & plenum verecundiæ Saluiani consilium. Recita Saluiani sententiam de scenæ flagitiis non commemorandis, vt sibi gratulentur Histriones eximiam in agendo impudentiam, quam ne referre quidem lex modestiæ patiatur.

Alia crimina singulas sibi fermè in nobis vindicant portiones, vt cogitationes sordidæ animas, vt impudici aspectus oculos, vt auditus improbi aures: ita vt cum ex his vnum aliquid errauerit, reliqua possint carere peccatis. In theatris verò nihil horum reatu vacat; quia & concupiscentiis animus, & auditu aures, & aspectu oculi polluuntur. Quæ quidem omnia tam flagitiosa sunt, vt etiam explicare ea quispiam atque eloqui saluo pudore non valeat. Quis enim integro verecundiæ statu dicere queat illas rerum turpium mutationes, illas vocum & verborum obscœnitates, illas motuum turpitudines, illas gestuum fœditates? Quæ quanti sint criminis vel hinc intelligi potest, quod religionem sui interdicunt. Nonnulla quippe etiam maxima scelera quæ incolumi honestate referuntur, & nominari & argui possunt, vt homicidium, latrocinium,

Saluian. l. 6. de Prou.

Nulla pars hominis reatu vacat in theatris.

adulterium sacrilegium, cæteraq; in hunc modum. Solæ theatrorum sunt impuritates quæ honestè non possunt accusari: ita noua in arguenda harum turpitudinum probrositate res euenit arguenti, vt cum absq; dubio honestus sit qui accusare ea velit, honestate tamen integra ea loqui & accusare non possit. Quibus hæc auribus accipitis, Iudices? quis clamor tali silentio, quæ accusatio illa cessatione potest esse vehementior? adulterium, inquit Saluianus, honestè nominari potest & argui, scenæ procacitas & nequitia non potest. Fuit-ne vnquam omni hominum memoria in priuatis domibus quicquam matrimoniorum sanctitate pretiosius? vllum-ne flagitium consiliis sapientium, Regum legibus, populorum omnium consensu seuerius punitum est, etiam ante periuria, & sacrilegia, quàm adulterium? quo ex fonte plures cædes, tumultus, seditiones emanant quàm ex toro geniali polluto? quid aliud Regna florentissima euertit quàm macula vxori alienæ illata? hęc petulantia Gręcos armauit in Troiam, Regnum Mycænarum euertit, Tarquinios Roma eiecit. Adulterij nomine audacia, impudentia, crudelitas, parricidium, continetur; & plus aliquid in theatro spectatur. Aude nunc, Histrio Tragœdiarum tuarum grauitatem nobis venditare: dic paucorum vitio libidinem in eas irrepsisse: da hominibus nō superstitiosis corrigendas, qui totas vndecunq; vno spongiæ ductu obliterent. Nam si potuit aliter fieri scena modestior, cur eam vnus aliquis è tot Poëtarū, Histrionum, spectatorum millibus sub Christianis Imperatoribus, post tot tantasq; Antistitum religiosissimorū obiurgationes non emendauit: cur Patrū

Falso dixit aduersarius paucorum culpa lasciuiam in theatra inuectam.

aliquis nõ defendit aut certè in rebus indifferẽtibus numerauit? Nã qui leuissime de theatrorũ voluptate loquutus est Cassiodorus, fateri cogitur non malũ per se inuentũ fuisse temporũ vitio deprauatũ. *Ætas subsequens, inquit, miscens lubrica, priscorũ inuenta traxit ad vitia, & quod honestæ causa delectationis repertum est, ad voluptates corporeas præcipitatis mẽtibus impulerunt.* Cęteri omnes & in origine vitiũ & in vsu flagitium deprehenderunt. Rides enim superstitionem meam qui pręrtextatis illis verbis, qui venereis osculis, qui riualium zelotypia offendar. Ita sum factus, Panurge, adeo mihi tener animus & imbecillis est, vt talia me terreant. Tibi robustior mens est; turpia omnia vt turdum deuoras, libidinum pulegium vt muriam concoquis. Fruere sanè, dum ego cum Cyprianis, Hieronymis, Chrysostom. Augustinis, Saluianis, Gregoriis, & Tert. superstitiosis hominibus, & nullius animi, scrupulosiores delicias cõsectabor. *Cassiod. l. 4. Variar. epist. 51.*

Imo, virtutis res est, inquis: nam theatra vt publicæ probitatis scholæ aperiuntur. Ignosces, histrio, si mihi sodalibusque meis nondum in mentem venit talem scholam tenere, aut vestram frequentare. Nesciebam ludum dari in sphæristeriis literario meliorẽ. Sed antequam id ago, permittesne superstitiosos meos, tanquam oracula Sibyllina, aut lineos libros consuli? Quid autem illic à vobis doceri monẽt? quid Augustinus cum theatra *caueas turpitudinum, & publicas professiones flagitiorum* appellat? Quid Tertullianus cum *theatrũ proprie sacrarium Veneris, Liberi quoque domum esse* ait, *quæ duo dæmonia conspirata & coniurata inter se sunt ebrietatis & libidinis.* Quid noster Chrysosto *Virtutem in theatris edoceri quàm temerè iactarit aduersarius. Aug. l. 1. de Ciuit. Dei c. 32. Tert. l. de spect. c. 10.*

Chrysost. hom. 62. ad pop. Ant. & hom. 41. in acta Apostol.

mus cum carcerem theatris conferens, imo longè præferens, in illo demonstrat modestiam & pietatem percipi; in theatro verò contraria esse omnia asseuerat, in quo reperitur *risus, ineptitudo, Diabolicus fastus, effusio, temporis impendium, & superflua dierum consumptio, malæ cupiditatis inductio, adulterij meditatio, fornicationis gymnasium, intemperantiæ schola, turpitudinis exhortator, risus materia, inhonestatis exempla.* Sed vt arbitror suspecta habes quæ ex tabulis non recitantur. Audio: vox pragmatici desideratur. Recita quæ de isto turpitudinis magisterio censuit Cyprianus.

Cyprian. ep. 2. ad Donatum.

In theatris conspicies quod tibi & dolori sit, & pudori. Cothurnus est tragicus prisca carmine facinora recensere: de parricidiis & incestis horror antiquus expressa ad imaginem veritatis actione replicatur; ne sæculis transeuntibus exolescat, quod aliquando commissum est. Admonetur ætas omnis auditu, fieri posse quod factum est. Nunquam æui senio delicta moriuntur: nunquam temporibus crimen obruitur: nunquam scelus obliuione sepelitur. Exempla fiunt quæ esse iam facinora desiterunt. Tunc delectat in mimis turpitudinum magisterio vel quod domi gesserit, recognoscere, vel quid gerere possit audire. Adulterium discitur dum videtur; & lenocinante ad vitia publica auctoritatis malo quæ pudica fortasse ad spectaculum matrona processerat, de spectaculo reuertitur impudica.

Turpitudinum in mimis magisterium.

Leones sũt ij magistratus qui scenicos in vrbem admittunt.

Consiste hic lector, ne iterum ad illas obscœnitatum species relabaris. Atq; totum hunc locum libenter silẽtio prętereuectus essem, Iudices, nisi ad Cyprianũ causa reuocasset. Vereor enim vt alicui vestrum litem intendere videar, quòd olim homines isti vobis deceptis in vrbem obrepserunt, &

ſuum illum, quo de loquimur, ludum inſtituerũt. Hoc publicæ auctoritatis lenocinium vocat Cyprianus: Lenones ait eſſe magiſtratus qui id permittant, aut imperent. Neque enim Dordalus aut Ballio meretrices locarent in theatro, niſi rectorum ciuitatis voluntate meretrices in theatrum deducerentur. O leges Iuliæ! ô magiſtrátuum ſanctitas! quibus matronarum pudor & virginum verecundia Reip. voce commiſſa eſt. O Hiſtrionũ infamia! quæ populi Principes cum afflauit, derepente mutat in lenones. Quid? ea matrona quæ Lucretia proceſſit ad theatrum ſi vel animo Helena rediit, magiſtratu lenocinante corrupta eſt? Quid? ætas adoleſcentior vtriuſque ſexus ſi quid indignum oculis atque auribus excepit, ab ipſis parentibus proſtituta eſt? Quid? vrbis Optimates cõiuges ipſi ſuas voluptate vendunt, & quod Iudex ridens à meretrice fieri videt in theatro, hoc de ſua vxore cogitari facit à cerdone? & vni ſibi poſt tale ſpectaculum coniugem arrogat, ac non potius in Reip. Platonicæ communitatem tranſmiſit? Vos videritis, Iudices, qua ſecuritate venereas haſce merces in vrbem recipiatis, lucri certè honeſtus odor ex quæſtu lenonio eſſe non poteſt. Perge porro lector. Recita Lactantij de eodem impuritatis magiſterio teſtimonium. *Lactant. l. 6. diuin. Inſtitut. c. 20.*

Quid de mimis loquar corruptelarum præferentibus diſciplinam, qui docent adulteria, dum fingunt, & ſimulatis erudiunt ad vera? Quid iuuenes aut virgines faciant, cum & fieri ſine pudore, & ſpectari libenter ab omnibus cernunt? Admonentur vtique quid facere poſſint, & inflammãtur libidine, quæ aſpectu maximè *Docent adulteria dum fingunt.*

concitatur: probantque illa dum rident, & adhaerentibus vitiis corruptiores ad cubicula reuertuntur. Nec pueri modo quos praematuris vitiis imbui non oportet; sed etiam senes quos peccare iam non decet, in talē vitiorum semitam dilabuntur. Nimis profecto capax ea est schola quae neminem excludit: quae sine discrimine pueros cum senibus admittit, vt nullam aetatem vitiorũ foeditate non polluat. Sed hic nimis haereo quasi soli luxuriae ludus ille pateat.

Rebuspublicis necessariam esse ludorũ voluptatē aduersario negatur.

Affirmasti, Panurge, Rebuspublicis necessariam esse ludorum voluptatem, eaque popularium seditionum fluctus placari. Putas-ne id tibi concessurum Chrysostomum? Quid horres ad istius nominis iterationem? aurum vel in aliena nuncupatione amare debes. Si tibi dolet eius oratio; quid times? hominē superstitiosũ appella, & elusisti. Recita, pragmatice, quid auditoribus respõdeat quaerentib' sint-ne theatra fũditus euertēda.

Chrysost. hom. 38. in Matth.

Quid igitur vis, inquies, an vt ludorum omnium claudamus locum, & tibi obtemperantes omnia euertamus? Quid euertamus dixisti? Nonne cuncta iã euersa sunt? Nam vnde credis nuptiarum insidiatores proficisci? Nonne ab huiuscemodi scenis? vnde illos qui domos ac thalamos aliorũ effodiunt? nonne ab orchestra illa? An non hinc vxoribus viri molestissimi, & viris mulieres contemnendae fiunt? Itaque is mihi videtur omnia euertere qui theatra petit qui tyrãnicae cupiditati vires nimio nutrit fauore. Quid igitur, inquis, an leges omnes euertemus, quibus haec cõstituta sunt? Imo vero his theatralibus ludis euersis nõ leges sed iniquitatem euertetis, ac omnē ciuitatis pestem extinguetis, Hinc enim seditiones excitantur, hinc tumultus oriũtur. Qui enim his ludis aluntur omnes vocem ventris

Omnia euertit qui theatra petit.

causa collocant, qui dicere & facere omnia promptissimi sunt: hi maximè solent rumoribus populos inflammare, & tumultum in ciuitates immittere. Malefici autem nonne à theatralibus ludis multi efficiuntur? Nam vt vniuersū populū ad hæc possint inflāmare, vt tripudiantes suas consequātur voluptates, vt modestas mulieres meretricibus cōmixtas corrūpant, ad tātum maleficij genus perueniunt, vt ne ab ossibus quidem mortuorum abstineant. Quid dicam quod ad diabolicas has sodalitates, innumeras multi consumunt pecunias? Quid de lascinia? quid de aliis malis? Animaduertis tollum esse, qui vniuersam vitam hominū euertis, cum ad hæc cæteros horteris: non me qui omnes huiuscemodi ludos omittēdos censeo Diruemus igitur omnium loca ludorum? inquies. vtinam iā diruta essent! Quanquā quod ad nos attinet, iā pridem desolata iacent. Eadem nostrûm omnium vota sunt, Chrysostome, ad eandem pestilentis illius ludi euersionem conspiramus. Vtinam infamis illa turpitudinis schola, vitiorum omnium officina, scopulus castitatis & modestiæ, charybdis innocentiæ, pernicies iuuentutis, senum dedecus, naturæ contumelia, ruina Reipub. Magistratuum turpe lenocinium ab vrbibus nostris exterminetur! vtinam tartareus fœdæ libidinis Phlegeton, & incestus Babylonicę fornacis ardor, ab iis, proh dolor! qui vulgo sapere creduntur, succensus extingueretur! ô antiqua tempora! ô ætates aureæ! in quam cœli partem concessistis? ô veneranda patrum sanctitas vbi subsides, vbi lates dum isti Veneris emissarij orbem Christianum omni fœditate cōmaculant, leges publicas euertunt, priuatas domos pessundant, deflorant adolescentiam, senec-

Vtinā iam diruta essent theatra.

ctuci illudunt, plebem exhauriunt, magistratus in suas partes attrahunt? Redite sæcula sine ludis hisce iucunda, sine theatris tuta, sine lasciuiæ incitamentis beata! aut certè migremus ad Barbaros, apud quos rudis & cruda castitas est, quia scenæ cupedias non degustant. Quis enim apud nos modo innocentiam sperare audeat, id est, theatrorum euersionem, quam illustres Ecclesiæ antesignani à suis impetrare non potuerunt? Recita decretum Concilij Constantinopolitani de spectaculis abolendis.

Concil. 6. in Trull. can. 51.

Omnino prohibet hæc sancta & vniuersalis synodus eos, qui dicuntur mimi, & eorum spectacula: deinde venationum quoque spectationes, easque quæ fiunt in scena saltationes perfici. Si quis autem præsentem canonem contempserit, & se alicui eorum, quæ sunt vetita, dederit: si sit quidem clericus, deponatur; si vero laicus, segregetur. Valent hæc quidem ad declarandam Antistitum illorum sententiam, sed quam inutiliter ac frustra sancita sint, ostendit altè insita in Christianorum moribus deprauatio, quæ neque id genus decretis euelli potuit, neque doctorum aliorum obiurgationibus emendari.

Mimorũ spectacula prohibita.

Nam cum oculis ipsi vsurparent quanta virtutum strages in campis illis venereis ederetur, satis non habebant periculum demonstrare, nisi etiam omni ope anniterentur populum suæ curæ commissum ab huiusmodi licentia reuocare. Audite, Iudices, magni Augustini plenam sapientiæ & grauitatis orationem, qua sanctas & puras Christianorum voluptates, cum insania spectaculorum comparat: quam quidem collationem fusius alio loco prosequi animus est: hic istam quasi

promulsidem accipite. Recita Augustini admonitionem de insidiis, quas in spectaculo tendit aduersarius.

Plures noueritis capere aduersarium per voluptatē quam per timorem Nam quare quotidie muscipulam spectaculorum, insaniam studiorum ac turpium voluptatū proponit, nisi vt his delectationibus capiat quos amiserat, ac latetur, denuo, se inuenisse, quos perdiderat? Quid nobis opus est ire per multa? Breuiter admonēdi estis quid spernere, & quid diligere debeatis. Fugite, dilectissimi, spectacula, fugite caueas turpissimas diaboli, ne vos vincula teneant maligni. In theatris labes morum discere turpia, audire inhonesta, videre perniciosa. Sed adiuuāte Domino ea ex cordibus vestris fortiter repellam⁹. Singula singulis cōparem⁹. Illic intuētur spectatores propositū nescio quē confictū Deum Iouem & adulterantem & tonantem: hic respicimus verum Deum Christum castitatem docentē, immunditiam destruentem, salubria prædicantē. Illic fingitur quod idem Iouis Iunonem habeat sororem & coniugem: hic prædicamus sanctam Mariam matrem simul & virginem. Illic per mimicam turpitudinem castitas violatur: hic per castam Susannam, & castum Ioseph libido comprimitur, mors contemnitur, Deus amatur, castitas exaltatur. Chorus illic & cantio Pantomimi illicit auditum, sed expugnat sanum affectum: & quid tale nostro cantico comparandum sit, in quo dicit qui amat & cantat. Narrauerunt mihi peccatores delectationes suas, sed non ita vt lex tua, Domine. O verba melle omni dulciora! ô suauem, licet ab Africa, dictionem! cui, vt iucundior appareat, aliam eiusdem materiæ, robustioris spiritus ex eadem Africa huc conueho, & adiungo:

August. l.2. de symbo'o ad Catech. c.1. & 2.

Fugienda spectacula vt caueæ turpissimæ diaboli.

Recita Tertulliani argumentum quo is conficit theatra Christianis fugienda. Non illud postulo quod ab Idololatria, sed quod ab turpitudine ducitur.

Tertull. l. de Spectac. c.17.

Similiter impudicitiam omnem amoliri iubemur. Hoc igitur modo etiam a theatro separamur, quod est priuatum consistorium impudicitiæ: vbi nihil probatur quam quod alibi non probatur. Ita summa gratia eius de spurcitia plurimum concinnata est; quam Atellanus gesticulator, quam Mimus etiã per mulieres repræsentat, sexũ pudoris exterminans, vt facilius domi quam scenæ erubescant: quam denique Pantomimus à pueritia patitur in corpore, vt artifex esse possit. Ipsa etiam prostibula publicæ libidinis hostiæ in scena proferuntur plus miseræ in præsentia fœminarum quibus solis latebant: perque omnis ætatis, omnis dignitatis ora transducuntur: locus, stipes, elogium, etiam quibus opus non est, prædicatur. Taceo de reliquis ea quæ in tenebris & in speluncis suis delitescere decebat, ne diem contaminarent. Erubescat Senatus, erubescant ordines omnes. Ipsæ illæ pudoris sui interemptrices de gestibus suis ad lucem & populum expauescentes semel anno erubescunt. Quod si nobis omnis impudicitia execranda est, cur liceat audire quæ loqui non licet? Cum etiam scurrilitatem, & omne vanum verbum iudicatum à Deo sciamus, cur æquè liceat videre quæ facere flagitium est? Cur quæ ore prolata cõmunicant hominem, ea per oculos & aures admissa nõ videantur hominem communicare: cum spiritui appareant aures & oculi, nec possit mundus præstari, cuius apparitores inquinantur? habes igitur & theatri interdictionem de interdictione impudicitiæ. Nescio quis me modo Africæ genius occupet: ita mihi

Interdictio theatri de interdictione impudicitiæ.

& tertius ex eadem plaga terrarum sese obiicit. Non est reiiciendus, Iudices, nostrũ agit pædagogum, mores nostros grauiter & sapienter informat. Et licet nonnumquam videri possit seuerior, quicquid tamen à nobis exigit, eius vitæ, quam profitemur, terminis continetur. Selige ex Clemente Alexandrino quæ in rem quam agimus conferre possunt, quæ de modestia in conuiuiis, de risus moderatione, de verborum obscœnitate non admittenda disputat.

Omne turpe spectaculum, omnemque turpem auditionem, & vt semel dicam, turpem omnem sensum intemperantiæ, quod quidem est vera sensus priuatio, maximè oportet nos exscindere, quæ in oculis & in auribus titillat & effœminat, voluptatem cauẽtes. Fractorum enim cantuum, & flebilium Caricæ musæ modorum varia veneficia intemperanti & prauo musicæ artificio mores corrumpunt, ad huius comessationis affectionem trahentes. Rerum autem ridicularum, vel ridendarum potius actionum imitatores exigẽdi sunt à nostra republica. Cum enim verba omnia à cogitatione & moribus emanent, fieri non potest, vt verba aliqua emittantur ridicula, quæ non procedant à moribus ridiculis. Si ergo qui risum mouent sunt exterminãdi à nostra repub. longè abest vt nobis permittatur risum mouere. Absurdum enim esset, quorum auditores esse prohibitum est, inueniri eorum imitatores.

A turpiloquio autem & nos omnino abstinere oportet, & eos qui illo vtuntur os obstruere & aspectu seueriore, & vultus auersione, & ea quæ vocatur subsannatione, & sæpè etiam asperiori oratione. Cum autem turpia æquè in audiendo versentur, atque in spectãdo, diuinus pædagogus eadem ratione pueris luctantibus,

Clemens Alexand. in pædag. l.2.c.4.

Intemperantia vera sensus priuatio.

c. 5.

Mimi à Rep Christiana exterminandi.

c. 6.

Ab obscœnis ridẽdis audiendisque pueri abstineant.

ne aures eorum offendantur, pudicos & modestos sermones, veluti quadam aurium munimenta adhibet, ne poßit ad frangendam animam peruadere pulsatio fornicationis. Oculos autem dirigit ad rerum honestarum spectaculum: melius esse dicens labi pedibus, quam oculis.

c. 7.

Ætatis instabilitas adolescentes arcet à conuiuiis & spectaculis.

In summa adolescentes & adolescentulæ ab eiusmodi conuiuiis omnino abstineant, ne labantur in iis quæ non conueniebant. Inusitatæ enim auditiones, & indecora spectacula, dum in eis adhuc fluctuat fides, mẽtem eorum euentilant: ætatis autem instabilitas eos adiuuat, vt ad cupiditates ferantur præcipites. Quin etiam nonnunquam aliis causæ sunt offensionum, dum florem ætatis, qui est maximè lubricus & periculosus, ostentant. Vobis, adolescentes, loquitur Clemens, vos Christianus ille Pædagogus instituit: vos cõuiuiis interesse non vult, in quibus intemperantię periculum est: quid de theatris præcipere potest, quæ libidinis vbique tenent impressa vestigia? ferre nequit niueum illum pueritiæ vestræ florem impuro Veneris vngue decerpi, sed intactum Deo seruari desiderat. Id vt facilius conficiat, abstinendum ait à conuiuiis, sed non omnibus: à verbis obscœnis, quod non difficile: à risu petulante & immoderato, quod plausibile: à turpibus spectaculis, quibus cætera continentur, quod penitus necessarium est. Atque id ipsum vt fusius, sic apertius, vestræ indolis adolescenti suadet Gregorius Nazianzenus princeps ingenij & sanctitatis, cuius non iniucunda vobis puto fore carmina, quia & his auctorum testimoniis varietatem conciliabunt, & Musam ætati vestræ conuenientem excitabunt. Recita Gregorij Nazianzeni

Greg. Nazianz. Iãbico 3. ad Seleucum.

zianzeni Iambos ad Seleucum de vitandis spectaculis.

Quin illud etiam maximè obserues velim,
Theatra quem dant, circus, & truces feræ
Cantum, malorumque horreas spectaculum:
Et vana vitæ, gaudij & lernam improbi,
Hominum indecora studia, lasciui gregis:
Qui castitate turpe nil dempta putant.
Probi administri! quidam enim hoc artis loco
Habent, vt animos turpia ob quæque efferant,
Scurræ, feriri queis mos pugnorum ictibus:
Quibus ante capitis sectus est crines pudor.
Schola fœditatis omnis & lasciuiæ;
Queis artis est pars perpeti, & facere omnia
(Idque ante visus omnium) quæ non licet.
Quid canticorum turpium morbos loquar,
Versusque neruos pectoris qui emolliunt?
Quid tibiasque, quid choros bacchantium
Quibus ampla miseri pensitant quoque præmia?
Hæc sunt ne laude, sunt ne visu ac gaudio
An digna potius lacrymis & luctibus?
Dominatur illic risus, ac stuprum subit
Natura, flamma crescit & libidinum.
At fœditatis improbi quoque construunt
Theatra, morbus abditè vt non iam amplius
Grassetur, arti præmium vt constet malæ.
Hæc execrare, pupulas nec tu infice
Quodcunque labem visui accersit, fuge,
Oculos vt ipse virgines serues tuos.

Theatrum lasciuiæ & fœditatis schola.

Hæc vni Seleuco cecinisse doctum illum poëtam existimatis, an vobis vniuersis, adolescentes?

quorum eadem est & viuendi ratio, & obligatio castitatis? Nam si Gregorius excitaretur è cineribus & sepulchro, imò si cæteri à me laudati viuerent in terris, grauius ne quicquam ad execrationem spectaculorum, sanctius ad commendationem integritatis, iustius ad ætatis educationem iuuentuti proponerent quàm theatra scholam esse lasciuiæ, consistorium impudicitiæ, adulteriorum officinam, imò adulteriis ipsis flagitiosiora? in iis per oculos atque aures patentissimas animi fenestras, cantus & saltationes, per versus impurissimos, & gestus omni fœditate solutiores totã libidinem in intima pectorum introduci? Vos hortarentur atq; obsecrarent per nascentis adhuc ætatis florem, per futuræ aliquando vitæ dignitatem, per spem parentum & ciuitatum vestrarum, per ipsum virtutis nomen, & decus puritatis, ne scenicarum libidinum maculis mentes vestras inficere, ne in sacrarium Veneris, in gymnasium fornicationis pedem inferre velitis. Nimis esse quod hoc à vobis fieri sperarint histriones: eos culpa non vacare qui vel inuitati sint. Nam à qua improbitatis & nequitiæ specie alieni putantur, qui spectandis histrionibus digni iudicantur? Plura certè in hanc rem afferrent qua sunt eloquentia, & odio in illam humanitatis pestem: sed & ista bonæ vestræ spei. egregiæque indoli satis superque fuerint, & dudum monuit Saluianus hæc silentio tegi honestius, quàm vtilius publicari.

Ab improbitatis schola trãsitur ad magistros ipsos histriones.

Quamobrem ab ipsa schola fœditatis omnis & lasciuiæ, ad doctores video mihi esse transeundum: venio ad vos, Panurge, iam mihi res est cum personis vestris, quas, si culpa carent, ab omni

vituperatione liberas fore verè dixisti. Sin autem omnibus flagitiis contaminati, omnibus sceleribus cooperti estis, quid superest nisi vt vos omni turpificatos infamia in ignotum nobis orbem Poneropolim iudices deportari iubeant? Aspicis me illis oculis quibus Rolandi furias nuper, vt aiunt, non inscitè expressisti. Terres me: hic subsisto; vltra non audeo. Flagitia tua in hoc iudicio non exponam, quia infinita sunt; nec id loci huius sanctitas patitur: quia quæ fiunt à vobis, vtile est nesciri fieri posse ab hominibus: nec eam recensionem causa postulat, quia capitalis non est, in eos qui caput iampridem, hoc est probitatem & famam amiserunt. Sed ea quæ in oratione mea non pono, ex aliis quæ omni necessitate afferre cogor, difficile non erit concludere. Quis enim non videt nisi ingens aliquod malum ab Ecclesia damnari non potuisse? quis nescit sacris profanisque legibus infamiam non irrogari nisi iis qui magno se scelere obstringant? quis non sentit exhæredem paternorum bonorum non posse iudicari filium, nisi qui lethalis noxæ reus teneatur? hæc antequam vobis explico, Iudices, non erit opinor alienum ab instituto venerandum illum fabularum doctorem in cathedra spectare, os, manus, habitum, totiusque corporis statum accuratè considerare. Recita descriptum à Tatiano Iuniore histrionem in scena.

Quales tandem sunt disciplinæ vestræ? quis non irrideat populares & solemnes conuentus vestros qui malorum dæmonum occasione celebrati, ad ignominiam redigunt homines? Vidi quendam sæpenumero, & visum admiratus postea contempsi, vt pote qui aliter in *Tatian. orat. contra Græcos.*

animo sentit, foris autem quod non est mentitur, per-quam delicatè gloriantem, & variis modis luxurian-tem, dum partim oculis micat, partim manibus gesti-culatur, lutoso vultu insaniens, nunc Veneri, nunc A-pollini similis, vnus omnium Deorum accusator, su-perstitionis epitome, præclararum actionum calum-niator, hypocrita cædium, adulterij promotor, insanæ auaritiæ commendator, cinædorum doctor, condem-nandorum auctor. Talem inquam vidi, qui interim à nemine non laudabatur. Ego verò mendacissimum ho-minem & impietatem eius, & studia abominatus sum. At vos ab istis duci, regique sustinetis, & alios qui non probant quæ facitis, indignè calumniamini. Hiare nolo, licet multis canentibus: nec inclinantem & mouentem se præter naturam imitari volo. Quid obsecro fit apud vos egregium aut admiratione di-gnum? Obscœna verba naso resonante effutiunt, & mo-tus indecentes mouentur, & adulteriorum in scena ma-gistros filiæ & filij vestri spectant. Honesta scilicet auditoria vestra sunt; omnes nequitiæ nocturnæ, & quod obscene dictum demulcere potest, auditores alta voce promulgantur. Eodem orationis schemate spectandum proponit histrionem Tatiani magi-ster Iustinus, qui *Orestem agat voce grandi & hiul-ca, horribilis & magnus apud stultos & ligneis pedi-bus, commentitioque ventre, & absurda veste, vultu-que monstri simillimo.* Et quanquam omni exce-ptione maiores sunt diuini illi scriptores, ne ta-men in re seria ludere, & ridendos hominibus ex ingenio meo dare videar histriones, eiusdem for-mæ imaginem ab inimico mutuam accipere non videtur indignum. Recita Luciani descriptionem histrionis in scena agentis.

Histrio agens in scena.

Iustinus Epist. ad Zenam & Serenum.

Ipſam Tragœdiam primum ab habitu contemplemur cuiuſmodi ſit, quam turpe & minime iucundum ſpectaculum homo longitudine deformi, atque incompoſita exornatus, altis calceamentis ingrediens, caput larua minaci obductum habens, tum peramplo ore hiante, quaſi ſpectatores eſſet deuoraturus. Mitto aſcititia pectora, & ventres factitios, adiunctam, & arte compoſitam corporis craſſitudinem, ne longitudine diſcors compoſitio in tenui corpuſculo magis reprehendenda veniat. Deinde indecora hiſtrionis vociferatio, iam ſeipſum inclamantis, iam verberantis; aliquando etiam iambicos verſiculos cantillantis, & quod turpiſſimum eſt, grauiſſimas calamitates modulantis, ac ſola voce ſemetipſum reprehendendum exhibentis. *Lucian. Dial. de Saltatione.* *Ridiculus hiſtrionis habitus.*

Tales igitur admirabilis doctrinæ anteceſſores quo mineruali ad docendum inuitat Eccleſia, in quo honoris gradu conſtituit? Recita decretum de iis qui aliquid donant hiſtrionibus. *Hiſtrionibus aliquid donare vitium eſt.*

Donare res ſuas hiſtrionibus vitium eſt immane, non virtus. Illa ſanies Romæ recepta, & fauoribus aucta, tandem collabefecit bonos mores, & ciuitates perdidit, coegitque Imperatores ſæpius eos expellere. Mirabile profectò ſalarium, quo viſus es gloriari Panurge, cum hiſtriones Romæ locupletatos fuiſſe monſtraſti. Nam vnum omnibus ſæculis Roſcium è publico aliquam pecuniæ vim accepiſſe memorabas cum ageret, tanquam vilem aliquem mercenarium. Æſopus autem quo ex quæſtu patinam illam ſuam conflarit, non explicaſti. Honoris autem locum & dignitatis quem ſacris legibus acceperunt? Ante omnia infamiam ciuilibus legibus conſtitutam, calculo etiam ſuo confirmat Eccleſia, & eos ne ad accuſationem quidem ad- *Auguſt. tr. 100. in Ioan. & refertur diſt. 86.*

Scenici vt infames ab accusatione prohibentur. 4. q. 1. definimus. §. Omnes etiam. Idem statuitur can. 143. Conc. Carthag.

mittit. Recita ea de re decretum Nicolai Papæ ad Michaëlem Imperatorem.

Omnes etiam infamiæ maculis aspersi, id est, histriones ac turpitudinibus subiectæ personæ, hæretici etiam, siue pagani, siue Iudæi, ab accusatione prohibentur. O admirabilem hominum copulationem! ô mirificam sectarum coniunctionem! Pagani & scenici, Iudæi & Comœdi, hæretici & histriones eodem sunt apud magnum Pontificem loco, eundem faciunt ordinem, in eadem cymba infamiæ fluctibus agitantur Iudicio supremi Ecclesię Antistitis ethnici & histriones nominibus certè aliquantum, re autem & impietate nihil differunt. Sed hoc parum fuerit nisi etiam ab honoribus arceantur. Vt enim in iure ciuili Constantinus, *notatis, & quos scelus vitaque turpitudo inquinat, dignitatis portas patere non sinit:* sic maiestatis suæ integritatisque haud paulo studiosior Ecclesia nulla penitus scenicorum communione se patitur profanari. Recita Canonem Apostolorum, de eo qui scenicam in matrimonium duxerit.

Qui scenicam duxerit à sacris ordinibus excluditur. Canon. Apost. 18. & habetur dist. 34. c. Si quis viduam.

Qui viduam duxit, aut eiectam, vel meretricem, vel ancillam, vel quampiam scenicam, non potest esse Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut omnino ex eorum numero qui ministerio sacro deseruiunt. Quis enim ferat tali lecto coniunctos vasa sacra & tremenda mysteria pollutis manibus attrectare? Quid autem tandiu circumrodo? Quin istas Ecclesiæ strumas, Christianitatis vomicas à piorum cœtu, à fidelium societate ostendo fuisse deiectas atque exterminatas? Recita decretum Concilij Arelatensis de agitatoribus, & theatricis.

Histriones excommunicantur.

De agitatoribus qui fideles sunt, placuit eos quandiu agitant à communione separari.

De theatricis, & ipsos placuit, quandiu agunt, à communione separari. Per Deum immortalem quid hic agitis hominum insolentissimi? quid hic quæritis bipedum sceleratissimi? vos vt spuriam sobolem execratur Ecclesia parens illa mitissima, vobis templorum aditu interdicit, vos diuinorum mysteriorum participes facere abnuit, ne suorum quidem consortio & familiaritate dignatur: & in vrbem hanc admitti, inter nos viuere, lætari, ludere postulatis? qui enim estis? vnde profecti? Moabitas atque Ammonitas legis antiquæ interdicto vt execratos & detestabiles populos in Ecclesiam Domini intrare nefas erat: spadonem & ex scorto natum eadem lex arcebat à templo: vos Christiani Senatus consulta à basilicis nostris eiiciunt, vt non minus sacrilegi quàm Ammonitæ, non minus molles quàm euirati, non honestiores quàm vulgo quæsiti videamini. Quid? adulteros, parricidas, dardanarios, parietum perfossores, si modo salutaribus aquis tincti sunt, sinu suo complecti non refugit Ecclesia: vos quam vitam viuitis, quam artem factitatis, quos à suo corpore, vt putridos artus, & corrupta membra auellit & obtruncat? hæretici rebellarunt in parentem, è familia eiecti sunt: Iudæi nascentem suffocare voluerunt, exterminati sunt: Pagani omni suppliciorum diritate & sæuitia crescentem vexauerunt, extincti sunt. Vos nulla vi, nullis insidiis, non armis, non prauis opinionibus eam impugnare videmini, & tamen à suorum communione & iuribus filiorũ deturbat. Quæ, malum! estis portenta hominum, post baptismum Ethnici, Christum adorantes Iudæi, in recta fide hæretici? Quæ vos

Conc. Arelat. 1. can. 4.

Can. 5.

nota distinguit à cæteris? Præputium? nunquid circumcisi sunt Pagani? Vnius Dei cultus? Quid aliud loquuntur Iudæi? aditialis aquæ lauatio? qua gloriantur hæretici. Tota Catholicorum credulitas? quam Schismatici retinent. Cum Ecclesia Romana coniunctio? vnde vos ipsa ignominiosè amputat & abscindit. Quis ergo vobis in vrbe nostra dabitur locus, in quo artis vestræ, qualiscunque tandem illa est, ludum instituatis? Sacer? at profanas voluptates exercetis. Profanus ne? At virtutis scholam appellatis. Serius ad agendum? at solum luditis. Idoneus voluptati? quis enim? Domus ad aleam, caupona ad crapulam, lupanar ad venerem? hæc alibi quærite: hic Christiano more viuitur. Quid autem, inquis, agendum vt Christiani videamur? Nihil. vos enim quamdiu agitis, Ecclesia Christiana non agnoscit, receptura profectò si artem desinitis. Recita decretum Concilij Carthaginensis de Scenicis pœnitentiam agentibus.

Admittendi si agunt pœnitentiam. Conc. Carthag. can. 49 habetur de Consec. dist. 2. can. scenicis.

Vt Scenicis & Mimis, & reliquis eiusmodi personis, vel apostatis, pœnitentiam agentibus, & se ad Deum conuertentibus, gratia, vel reconciliatio non negetur. Et quoniam Regiorum illi Comœdorum nomine gloriari solent, vt execrationes istas in plebeios aliquos histriones traiiciant, adde quæ ad hunc Canonem opportunè scripsit Ioannes Zonaras.

Ioannes Zonaras in Canon.

Nulla est inter Comœdos & Histriones distinctio.

Scena, imitatio dicitur, qui ergo nunc seruos, nunc Imperatores, nunc alia personarum genera imitantur, scenici nominantur. Ex hoc numero qui artem coram Imperatoribus factitarent, leges ciuiles in honore habuerunt. Qui verò in publico catu, plebeculæque con-

uentibus histrioniam exercerent, risumque astantium simulata imitatione captarent, ignominia notauere. Hic verò canon omnes sine discrimine, pœnitentiâ egere affirmat; quippe qui & ipsi dissolute vitam agant, & aliis petulanter ac effusè viuendi causam præbeant. Quæ ex oratione neque istos è sacra domo esse apparet, cùm neque Regem comitentur, neque regiis alantur stipendiis, sed meros planipedes quæstum ex plebeculæ deliciis facientes; neque si regij & honesti forent, ab sacrorum Canonum seueritate eximendos. Photius autem Constantinopolitanorum Præsulum fortasse doctissimus, posteaquam Canonem modo à me productum, Romani Iuris additione explicuit, nulla Regiorum Scenicorum facta mentione, problema subiungit, vestris, Iudices, auribus non indignum. Quod hoc loco non referrem, nisi fugisset Philologum, Scenæ vocabulum ex Vlpiano enarrantem. Ait ergo, Infames esse quicunque quæstus causa in certamen descendunt, & propter præmium in scenam prodeunt. Verum qui se ad artem ludicram locat, si non prodit, non notari infamia: qui autem se locat vt cum bestiis depugnet etsi reapse non pugnet, tamen notari. Huius verò discriminis germanam affert rationem Nomocanonis explicator Theodorus Balsamon Antiochenæ sedis Patriarcha. Recita Balsamonis commentarium quo illam Photij quæstionem dissoluit.

Photius in Nomocanone Tit. 13. cap. 22.

Quæret fortàsse quispiam quapropter qui operam suam in artem ludicram locauit, neque exhibuit, non notetur: qui verò vt cum bestiis depugnaret se locauit, tametsi non pugnarit famosus fiat? In arte ludicra ip-

Theod. Balsam. in Photij Nomocan.

Ipsa tragœdiarum exhibitio histriones facit infames.

sum factum, non autem propositum infamiam irrogat. Quod manifestum fit ex eo quòd is etiam qui non mercedis, sed gloriæ solius causa eam factitat, infamis est. In eo verò qui cum bestiis pugnat, non factum ipsum, sed propositum odiosum est. Nam Reges etiam, atque milites generositatis ostentandæ gratia cum bestiis depugnant. Ac propterea quidem qui turpis lucri causa vitam suam prodidit, tametsi non pugnarit famosus fit, qui verò rei ludicræ faciendæ causa pecuniam cepit si eam non fecerit, non notatur. Ista quidem, Iudices, dubitare vos cogerent, istine artifices ab arte sua, an ars ipsa ab artificibus infamiam, & dedecus accipiat: nisi vtrisq; simul optimè conuenire sciretis. Et quanquam ieiunis istis legum productionibus assueuistis, tamen antequam ad eas redeo, placet Chrysost. eloquentia vestros animos paulisper recreare. Is iucundissimè deridet Principes qui scenicorum spectaculorum donatione per infames illos homines honorari se putarent: leges autẽ ciuiles arguit quæ scelerum omnium licentiam scenicis largiuntur, cuilibet aliorum hominum generi præcidunt. Recita Chrysostomi auream hac de materia orationem.

Chrysost. hom. 12. in 1. Epist. ad Corinth.

Theatra congregant, & meretricum choros illic inducentes, & pueros scortantes, & qui iniuria ipsam afficiunt naturam totum populum in loco superiore faciunt considere. Sic ciuitatem recreantes, sic magnos Reges quos semper propter trophæa, & victorias admirantur, coronantes. Atqui quid est hoc honore frigidius? quid voluptate illa iniucundius? Ex his ergo quæris factorum tuorum laudatores? & cum saltatoribus, mollibus, & mimis vis, dic quæso, laudari? Et quomodo non fuerit extrema dementiæ? Lubenter

Theatrorũ voluptate nihil iniucundius.

enim eos rogarem. Est ne graue & indignum leges naturæ euertere, & illicitos & nefarios inducere concubitus? omnes dicent esse graue & indignum. Videntur quidem certè hoc quoque punire flagitium. Quid ergo illos inducis cinædos & exoletos? Neque solum inducis, sed etiam innumerabilibus, & ineffabilibus honoras muneribus? alibi eos qui talia audent puniens: hic autem tanquam de Rep. bene meritis & pecunias insumis, & publicis impensis eos alis. At sunt, inquit, *infames. Quid ergo eos erudis? cur per infames Reges honoras? cur ciuitates enecas? cur autem in eos tam multa impendis? Nam si sunt infames, infames oporteret expelli. Nam cur eos fecisti infames? an vt laudans, an vt qui eos condemnaueris? vt qui condemnaueris scilicet. Deinde vt qui condemnaris quidem eos facis infames: curris autem eos visurus tanquam qui sint honesti bonæque famæ, & existimationis, & admiraris, & laudas, & applaudis.* Hæc à Chrysostomo non attuli vt exoletos & meretrices in hunc consessum reuocem: sed vt iniucundam theatrorum voluptatem esse, vt condemnatos ab ipsis admiratoribus histriones, vt infames expelli debere commonstrem. Redeo ad ius: sed Valentiniani senioris cōstitutionem omitto, quia sacris hominibus non placet. Concedit ille quidem vt Scenici & Scenicæ in vltima vitæ linea sacro tincti lauacro, si fortasse periculum euasissent, *nulla posthac in theatralis spectaculi conuentione reuocarentur*, quia legibus Ecclesiasticis cautum fuisse probaui, ne Christiani theatralibus populi voluptatibus vacarent. Sed illud vitæ periculum adeo diligenter examinari, tam apertè cognosci vult antequam cœlestis aqua sacramenti

Per infames illos ciuitates enecantur.

Rescriptū Valentiniani Senioris l. 1. de Scenic. C. Theod.

Non nisi in certo mortis periculo histriones olim baptizari permissi.

infundatur, vt iam beneficio eripiat, quod necessitati denegare non potest. Alterum quidem rectè, ne Christianorum cœtus tam fœdis sodalibus inquinetur. Alterum autem seuerè nimis ne dicam impiè; quasi flagitiosos mores non nisi cum vita exuere debeant histriones. Vtrumque tamen ad institutum meum eximiè: quia ostendit & scenicum in Christianorum numerum allegi non debere; & qui verè Christianus sit, histrionem posse esse neminem.

Ab histrionibus ad eorum spectatores proceditur. Sed prætermisso in præsentia Imperatore, ad sacras infulas, & iura ab Ecclesiæ patribus constituta reuertor. Non potuit, vt opinor, è vestra, Iudices, memoria elabi nobilissima pars actionis Panurgi istius, qua literariæ iuuentuti perpoliendæ necessariam esse histrionum operam conficere tentauit. Ex ea disciplina & Græcum Demosthenem prodiisse & Romanum Ciceronem, non homines, sed ipsam medius fidius eloquentiam. Cui nodo cuneum perquam idoneum attulit Modestinus: sed quoniam Reip. plurimum interest scire non tantum literarum studiis nihil conferre, sed etiam adolescentum moribus mirum in modum obesse artem histrionicā, illustris Antistitis sententiam rogemus de histrione pueros ad agendum informante. Recita Cypriani responsionem Euchratio factam.

Cypr. Ep. 61, ad Euchratium. & refertur dist. 2. de Consecr. *Pro dilectione tua, & verecundia mutua consulendum me existimasti, frater carissime, quid mihi videatur de Histrione quodam, qui apud vos constitutus in eiusdem adhuc artis suæ dedecore perseuerat, & Magister & Doctor non erudiendorum, sed perdendorum puerorum, id quod male didicit cæteris quoque*

insinuat: An talis debeat communicare nobiscum? Puto nec Maiestati diuinæ, nec Euangelicæ disciplinæ congruere, vt pudor & honor Ecclesiæ tam turpi & infami contagione fœdetur. Nam cum in lege prohibeantur viri induere muliebrem vestem, & maledicti eiusmodi iudicentur: quanto maioris est criminis non tantum muliebria indumenta accipere, sed & gestus quoque turpes, & molles, & muliebres magisterio impudicæ artis exprimere? Vtilem, Panurge, doctrinam, & ardenter expetendam! cui perdiscendæ non vna sufficiat Massilia, non vnæ Athenæ: sed vrbes singulæ Gymnasia magnis impensis extruant, & vos grandi salario conducant oportet. O dedecus Reip.! ô pestes iuuentutis! ô pernicies castitatis! vestram artem vt percipiant qui per leges, per sapientum consilia ne spectare quidem debent? vide num codex Theodosianus in recta iuuentutis informatione decernat *ne spectacula frequentius adeant*. Disce quid Aristoteles Philosophorum sapientissimus, ne Platonem quidem excipio, legislatori præcipiat pueris vetandum. Collige quæ de hac puerorum institutione in Politicis scribit Aristoteles.

Histrio magister perdendorum puerorum.

Cod. Theo. de stud. vrb. Rect. lib. 1.

Pueri à theatris remouendi.

Ratio postulat vt qui hac ætate sunt, ab auditionibus & spectaculis illiberalibus longè arceantur. Cum igitur vniuersè legum scriptor verborum obscœnitatem ex ciuitate si quid aliud eiicere debeat: tum maximè ab puerorum oculis auribus-ue remouere ne quid tale vel loquantur vel audiant. Quoniam autem tale aliquid proloqui vetamus, perspicuum est etiam picturas, ac tabulas indecoras & deformes spectare per nos non licere. Dent igitur operam magistratus ne qua sit vel statua, vel tabula picta, quæ tales actiones imi-

Aristot. l. 7. Politic. cap. 17.

retur. Iunioribus verò neque iambos neque comœdias spectare vlla lege permitti debet. Interposui Philosophum ne Christianorum Patrum acerbitatem criminareris. Quanquam non defugies, vt arbitror, Gregorij Nysseni, hominis minimè austeri de theatris tuis iudicium, deque iis qui iuuentutem ad spectacula pertrahunt. Is enim bellum illud quod animo & mente cum vitiis gerimus concinnè describens, hostium exploratorem ait esse oculorum spectaculum, quod in nostras copias furtim se se insinuet: collocatos deinde in insidiis eos qui amicitiæ specie ad theatra deducant. Recita venustam eloquentis Theologi allegoriam.

Si ad spectaculum per voluptatem emollitus fuit sensus, & figuræ simulacrum cogitationem subiit per oculos: tunc expugnatur quidem mens eorum quæ sunt intus Imperatrix, vt quæ nihil habeat virile, aut iuuenile, sed sit effœminata & dissoluta: & magna magnus proditorum ex populo cogitationum cogitur circa exploratorē. Qui prætextu amicitiæ & beneuolentiæ eum cui persuadetur attrahunt ad peccati exitium, ij sunt qui in via insidiātur, laudatores voluptatis, quæ deducunt ad theatra, qui mali indicant facilitatem: & per ea quæ faciant prouocant ad imitationem, se fratres, & sorores nominantes ad perniciem eorum qui ineunt.

Gregor. Nyssenus hom. 8. in Eccl.

Sed quid ago? dum pueritiam hominibus istis, non potius quàm ouem lupo, credendam esse conficio, à magistris ad auditores delabor imprudens. Neque istud si temerè accidit, extra causam atque institutum meum iacet Iudices. Æquum est enim vt cùm de arte, & eius doctoribus pleraque dicta sint, auditores eius disciplinæ quales

esse debeant, inquiramus. Totam igitur in primis adolescentiam, in vtroque sexu ad vitia nimium procliuem laudatorum virorum auctoritas semel penitusque abducit ac diuellit. De matronis quid sentire possunt vindices sanctitatis, cùm leges ipsæ Imperatoriæ iustam repudij causam esse decernant, si vxor *theatralibus ludis marito prohibente gaudeant*. Adeo nullum est matrimonij vinculum, postquam aures atque oculi prostituti sunt. Habet & suæ imaginis curam Imperator, atque ei cui sacras vices, delegat sensus illos castos atque integros esse iubet. Quid igitur vetat? vt *Nullus omnino Iudicum aut theatralibus ludis, aut Circensium certaminibus, aut ferarum cursibus vacet*. Rectè profectò & sapienter, tum ne tempus iuri dicundo necessarium in leuissimas voluptates insumatur: tū ne Iudices quæ scelera in foro puniunt, ea in theatro spectare, & aspectu suo probare cogantur. Hanc autem vitæ castimoniam optima lege vobis imperatam, nullo facto certius persuadebitis in medullis vestris penitus infixam esse, Iudices, quàm si perditos istos flagitiorum patratores ne in vrbe quidem vestra residere patiamini: neque tam quid effrenata plebeculæ cupiditas, quàm quid personarum vestrarum dignitas, & offici ratio postulet, attendatis.

Matronas sine maritorum voluntate spectare non licet. Cod. de Repud. l. 8.

Iudices omnino abstinere iubentur. Cod. Theod. de spectac. l. 2.

Sed vt ad Canones reuertar, quid illi sæpius, quid studiosius viris cultui diuino dedicatis imperant; quàm spectaculorum abstinentiam? Recita decretum Concilij Agathensis de conuiuiis & spectaculis euitandis.

Ecclesiast. personis penitus interdicitur spectaculis.

Presbyteri, Diacones, Subdiacones, vel deinceps quibus ducendi vxores licentia non est, etiam aliena-

Conc. Agath. can. 39 & refertur dist. 34.

rum nuptiarum euitent conuiuia: nec his cœtibus admiſceantur vbi amatoria cantantur, & turpia, aut obſcœni motus corporum choris & ſaltibus efferuntur: ne auditus, & obtutus ſacris myſteriis deputati turpium ſpectaculorum atque verborum contagione polluantur. Quid enim Dei legato cum pompis Diaboli? quid votorum nuncupatori cum riſu & ludicris? quid tremendam immolanti victimam cum venereis verſiculis & geſtibus impudicis? Nimirum ſacrificanti præco inclamabit hoc age, cuius oculos, aures, animum obſcœnarum cogitationum agmina obſidebunt? Diurno precum penſo ſatisfaciet ea qua Deum decet reuerentia, qui mollia poëtæ carmina in memoriam altè immiſerit? Supremum numen pro humano genere interpellabit ille quaſi ſequeſter, qui voluptatis autoramento dæmoni ſe addixerit! At enim in eas tendiculas poteſt imprudens aliquis incurrere, & ad conuiuium inuitatus, de menſa in theatrum deduci. Nemo iam poteſt eam prætendere ignorantiam: eiuſmodi bellaria caniſtris non reconduntur. Quiſquis ad ſplendidas illas epulas aduocatur, tam pulmēti gnarus eſt, quàm cibi, Recita tamen quæ à Laodicenis patribus ea de re ſtatuuntur.

Conc. Laodicenum. can. 54. & habetur diſt. vlt. de Conſecr.

Quod non oportet ſacratos, vel Clericos in nuptiis vel conuiuiis aliqua ſpectacula contemplari; ſed priuſquam ingrediantur thymelici ſurgere, & ſecedere. Eſt enim ea condiendarum dapum ratio tam inſulſa, vt Socrates ipſe in Platonis conuiuio rogatus an eſſet in aulam ſaltatricula, aut hiſtrio introducendus, ſapienter reſponderit: Eſſe illud indoctorum & agreſtium hominum, qui non habent in menſa quod loquantur. Videtur autem Sextum

Concilium

Concilium magis expressum aliquid nobis offerre. Recita eadem de re decretum Concilij Trullani.

Ne cui liceat eorum qui in sacerdotali ordine enumerantur, vel Monachorum, ad Circensium certamina ascendere, vel scenicos ludos sustinere. Sed & si quis clericus ad nuptias vocetur, quando ad deceptionem comparata ludicra ingressa fuerint, surgat, & discedat: patrum nostrorum sic iubente doctrina. Si quis autem eius rei conuictus fuerit, vel cesset, vel deponatur. Et eam quidem pœnam ab posterioribus hisce Præsulibus Laodiceno Canoni adiunctam auget, & explicat iuris ciuilis constitutio à Photio relata, quæ Episcopum vel clericum aleæ, aut spectaculorum studiosum à sacro ministerio seiungi imperat, annonariis pensionibus priuari; & si in insana illa cupiditate perstiterit, ciuitatis suæ curiæ cum bonis suis mancipari; aut si facultatibus careat, fieri apparitorem. Apparitorem Deus sancte! ex Episcopo curiæ mancipatum ex clerico? Quæ est ista Ouidio ignota Metamorphosis? qua in officina nouæ illæ hominum species cuduntur? Etiam-ne spectatoribus suis laruas fabricant histriones, vt qui Episcopus ingressus fuerat exeat apparitor? vt pastoralis baculus in virgam, annulus in tutelam, birrus in sagulum commutetur. Videre mihi videor homines pallio tunicaque talaribus nuper venerandos, attonsa in coronæ modum coma, famulis & pedissequis nobiliter comitatos; iam togula stringente femina succinctos, cum sordido pileolo, & inclinante in humerum sinistrum bacillo ex ebeno, vel procedentium in publico festo clericorum anteambu-

Concil. 6. can. 24.

Ludicra ad deceptionem comparata.

Photius in Nomocan. Tit. 9. cap. 17.

Scenici vt infames ab accusatione prohibentur. 4. q. 1. definimus. §. Omnes etiam. Idem statuitur can. 143. Conc. Carthag.

mittit. Recita ea de re decretum Nicolai Papæ ad Michaëlem Imperatorem.

Omnes etiam infamiæ maculis aspersi, idest, histriones ac turpitudinibus subiectæ personæ, hæretici etiam, siue pagani, siue Iudæi, ab accusatione prohibentur. O admirabilem hominum copulationem! ô mirificam sectarum coniunctionem! Pagani & scenici, Iudæi & Comœdi, hæretici & histriones eodem sunt apud magnum Pontificem loco, eundem faciunt ordinem, in eadem cymba infamiæ fluctibus agitantur Iudicio supremi Ecclesię Antistitis ethnici & histriones nominibus certè aliquantum, re autem & impietate nihil differunt. Sed hoc parum fuerit nisi etiam ab honoribus arceantur Vt enim in iure ciuili Constantinus, *notatis, & quos scelus vitaque turpitudo inquinat, dignitatis portas patere non sinit:* sic maiestatis suæ integritatisque haud paulo studiosior Ecclesia nulla penitus scenicorum communione se patitur profanari. Recita Canonem Apostolorum, de eo qui scenicam in matrimonium duxerit.

Qui scenicam duxerit à sacris ordinibus excluditur. Canon. Apost. 18. & habetur dist. 34. c. Si quis viduam.

Qui viduam duxit, aut eiectam, vel meretricem, vel ancillam, vel quampiam scenicam, non potest esse Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut omnino ex eorum numero qui ministerio sacro deseruiunt. Quis enim ferat tali lecto coniunctos vasa sacra & tremenda mysteria pollutis manibus attrectare? Quid autem tandiu circumrodo? Quin istas Ecclesiæ strumas, Christianitatis vomicas. à piorum cœtu, à fidelium societate ostendo fuisse deiectas atque exterminatas? Recita decretum Concilij Arelatensis de agitatoribus, & theatricis.

Histriones excommunicantur.

De agitatoribus qui fideles sunt, placuit eos quandiu agitant à communione separari.

De theatricis, & ipsos placuit, quandiu agunt, à communione separari. PerDeum immortalem quid hic agitis hominum insolentissimi? quid hic quæritis bipedum sceleratissimi? vos vt spuriam sobolem execratur Ecclesia parens illa mitissima, vobis templorum aditu interdicit, vos diuinorum mysteriorum participes facere abnuit, ne suorum quidem consortio & familiaritate dignatur: & in vrbem hanc admitti, inter nos viuere, lætari, ludere postulatis? qui enim estis? vnde profecti? Moabitas atque Ammonitas legis antiquæ interdicto vt execratos & detestabiles populos in Ecclesiam Domini intrare nefas erat: spadonem & ex scorto natum eadem lex arcebat à templo: vos Christiani Senatus consulta à basilicis nostris eiiciunt, vt non minus sacrilegi quàm Ammonitæ, non minus molles quàm euirati, non honestiores quàm vulgo quæsiti videamini. Quid? adulteros, parricidas, dardanarios, parietum perfossores, si modo salutaribus aquis tincti sunt, sinu suo complecti non refugit Ecclesia: vos quam vitam viuitis, quam artem factitatis, quos à suo corpore, vt putridos artus, & corrupta membra auellit & obtruncat? hæretici rebellarunt in parentem, è familia eiecti sunt: Iudæi nascentem suffocare voluerunt, exterminati sunt: Pagani omni suppliciorum diritate & sæuitia crescentem vexauerunt, extincti sunt. Vos nulla vi, nullis insidiis, non armis, non prauis opinionibus eam impugnare videmini, & tamen à suorum communione & iuribus filiorũ deturbat. Quæ, malum! estis portenta hominum, post baptismum Ethnici, Christum adorantes Iudæi, in recta fide hæretici? Quæ vos

Conc. Arelat. 1. can. 4.
Can. 5.

nota distinguit à cæteris? Præputium? nunquid circumcisi sunt Pagani? Vnius Dei cultus? Quid aliud loquuntur Iudæi? aditialis aquæ lauatio? qua gloriantur hæretici. Tota Catholicorum credulitas? quam Schismatici retinent. Cum Ecclesia Romana coniunctio? vnde vos ipsa ignominiosè amputat & abscindit. Quis ergo vobis in vrbe nostra dabitur locus, in quo artis vestræ, qualiscunque tandem illa est, ludum instituatis? Sacer? at profanas voluptates exercetis. Profanus ne? At virtutis scholam appellatis. Serius ad agendum? at solum luditis. Idoneus voluptati? quis enim? Domus ad aleam, caupona ad crapulam, lupanar ad venerem? hæc alibi quærite: hic Christiano more viuitur. Quid autem, inquis, agendum vt Christiani videamur? Nihil. vos enim quamdiu agitis, Ecclesia Christiana non agnoscit, receptura profectò si artem desinitis. Recita decretum Concilij Carthaginensis de Scenicis pœnitentiam agentibus.

Admittendi si agunt pœnitentiam.

Conc. Carthag. can. 49 habetur de Consec. dist. 2. can. scenicis.

Vt Scenicis & Mimis, & reliquis eiusmodi personis, vel apostatis, pœnitentiam agentibus, & se ad Deum conuertentibus; gratia, vel reconciliatio non negetur. Et quoniam Regiorum illi Comœdorum nomine gloriari solent, vt execrationes istas in plebeios aliquos histriones traiiciant, adde quæ ad hunc Canonem opportunè scripsit Ioannes Zonaras.

Ioannes Zonaras in Canon.

Nulla est inter Comœdos & Histriones distinctio.

Scena, imitatio dicitur, qui ergo nunc seruos, nunc Imperatores, nunc alia personarum genera imitantur, scenici nominantur. Ex hoc numero qui artem coram Imperatoribus factitarent, leges ciuiles in honore habuerunt. Qui verò in publico catu, plebeculæque con-

uentibus histrioniam exercerent, risumque astantium simulata imitatione captarent, ignominia notauere. Hic verò canon omnes sine discrimine, pœnitentiâ egere affirmat; quippe qui & ipsi dissolute vitam agant, & aliis petulanter ac effusè viuendi causam præbeant. Quæ ex oratione neque istos è sacra domo esse apparet, cùm neque Regem comitentur, neque regiis alantur stipendiis, sed meros planipedes quæstum ex plebeculæ deliciis facientes; neque si regij & honesti forent, ab sacrorum Canonum seueritate eximendos. Photius autem Constantinopolitanorum Præsulum fortasse doctissimus, posteaquam Canonem modo à me productum, Romani Iuris additione explicuit, nulla Regiorum Scenicorum facta mentione, problema subiungit, vestris, Iudices, auribus non indignum. Quod hoc loco non referrem, nisi fugisset Philologum, Scenæ vocabulum ex Vlpiano enarrantem. Ait ergo, Infames esse quicunque quæstus causa in certamen descendunt, & propter præmium in scenam prodeunt. Verum qui se ad artem ludicram locat, si non prodit, non notari infamia: qui autem se locat vt cum bestiis depugnet, et si reapse non pugnet, tamen notari. Huius verò discriminis germanam affert rationem Nomocanonis explicator Theodorus Balsamon Antiochenæ sedis Patriarcha. Recita Balsamonis commentarium quo illam Photij quæstionem dissoluit.

Photius in Nomocanone Tit. 13. cap. 22.

Quæret fortàsse quispiam quapropter qui operam suam in artem ludicram locauit, neque exhibuit, non notetur: qui verò vt cum bestiis depugnaret se locauit, tametsi non pugnarit famosus fiat? In arte ludicra ip-

Theod. Balsam. in Photij Nomocan.

Ipsa tragœdiarum exhibitio histriones facit infames.

sum factum, non autem propositum infamiam irrogat. Quod manifestum fit ex eo quòd is etiam qui non mercedis, sed gloriæ solius causa eam factitat, infamis est. In eo verò qui cum bestiis pugnat, non factum ipsum, sed propositum odiosum est. Nam Reges etiam, atque milites generositatis ostentandæ gratia cum bestiis depugnant. Ac propterea quidem qui turpis lucri causa vitam suam prodidit, tametsi non pugnarit famosus fit, qui verò rei ludicræ faciendæ causa pecuniam cepit si eam non fecerit, non notatur. Ista quidem, Iudices, dubitare vos cogerent, istinc artifices ab arte sua, an ars ipsa ab artificibus infamiam, & dedecus accipiat: nisi vtrisq; simul optimè conuenire sciretis. Et quanquam ieiunis istis legum productionibus assueuistis, tamen antequam ad eas redeo, placet Chrysost. eloquentia vestros animos paulisper recreare. Is iucundissimè deridet Principes qui scenicorum spectaculorum donatione per infames illos homines honorari se putarent: leges autē ciuiles arguit quæ scelerum omnium licentiam scenicis largiuntur, cuilibet aliorum hominum generi pręcidunt. Recita Chrysostomi auream hac de materia orationem.

Chrysost. hom. 12. in 1. Epist. ad Corinth.

Theatrorū voluptate nihil iniucundius.

Theatra congregant, & meretricum choros illic inducentes, & pueros scortantes, & qui iniuria ipsam afficiunt naturam totum populum in loco superiore faciunt considere. Sic ciuitatem recreantes, sic magnos Reges quos semper propter trophæa, & victorias admirantur, coronantes. Atqui quid est hoc honore frigidius? quid voluptate illa iniucundius? Ex his ergo quæris factorum tuorum laudatores? & cum saltatoribus, mollibus, & mimis vis, dic quæso, laudari? Et quomodo non fuerit extremæ dementiæ? lubenter

enim eos rogarem. Est ne graue & indignum leges naturæ euertere, & illicitos & nefarios inducere concubitus? omnes dicent esse graue & indignum. Videntur quidem certè hoc quoque punire flagitium. Quid ergo illos inducis cinædos & exoletos? Neque solum inducis, sed etiam innumerabilibus, & ineffabilibus honoras muneribus? alibi eos qui talia audent puniens: hic autem tanquam de Rep. bene meritis & pecunias insumis, & publicis impensis eos alis. At sunt, inquit, *infames. Quid ergo eos erudis? cur per infames Reges honoras? cur ciuitates enecas? cur autem in eos tam multa impendis? Nam si sunt infames, infames oporteret expelli. Nam cur eos fecisti infames? an vt laudans, an vt qui eos condemnaueris? vt qui condemnaueris scilicet. Deinde vt qui condemnaris quidem eos facis infames: curris autem eos visurus tanquam qui sint honesti bonaque famæ, & existimationis, & admiraris, & laudas, & applaudis.* Hæc à Chrysostomo non attuli vt exoletos & meretrices in hunc consessum reuocem: sed vt iniucundam theatrorum voluptatem esse, vt condemnatos ab ipsis admiratoribus histriones, vt infames expelli debere commonstrem. Redeo ad ius: sed Valentiniani senioris cõstitutionem omitto, quia sacris hominibus non placet. Concedit ille quidem vt Scenici & Scenicæ in vltima vitæ linea sacro tincti lauacro, si fortasse periculum euasissent, *nulla posthac in theatralis spectaculi conuentione reuocarentur*, quia legibus Ecclesiasticis cautum fuisse probaui, ne Christiani theatralibus populi voluptatibus vacarent. Sed illud vitæ periculum adeò diligenter examinari, tam apertè cognosci vult antequam cœlestis aqua sacramenti

Per infames illos ciuitates enecantur.

Rescriptũ Valentiniani Senioris l. 1. de Scenic. C. Theod.

Non nisi in certo mortis periculo histriones olim baptizari permissi.

infundatur, vt iam beneficio eripiat, quod necessitati denegare non potest. Alterum quidem rectè, ne Christianorum cœtus tam fœdis sodalibus inquinetur. Alterum autem seuerè nimis ne dicam impiè; quasi flagitiosos mores non nisi cum vita exuere debeant histriones. Vtrumque tamen ad institutum meum eximiè: quia ostendit & scenicum in Christianorum numerum allegi non debere; & qui verè Christianus sit, histrionem posse esse neminem.

Ab histrionibus ad eorum spectatores proceditur. Sed prætermisso in præsentia Imperatore, ad sacras infulas, & iura ab Ecclesiæ patribus constituta reuertor. Non potuit, vt opinor, è vestra, Iudices, memoria elabi nobilissima pars actionis Panurgi istius, qua literariæ iuuentuti perpoliendæ necessariam esse histrionum operam conficere tentauit. Ex ea disciplina & Græcum Demosthenem prodiisse & Romanum Ciceronem, non homines, sed ipsam medius fidius eloquentiam. Cui nodo cuneum perquam idoneum attulit Modestinus: sed quoniam Reip. plurimum interest scire non tantum literarum studiis nihil conferre, sed etiam adolescentum moribus mirum in modum obesse artem histrionicā, illustris Antistitis sententiam rogemus de histrione pueros ad agendum informante. Recita Cypriani responsionem Euchratio factam.

Cypr. Ep. 61, ad Euchratium. & refertur dist. 2. de Consecr. *Pro dilectione tua, & verecundia mutua consulendum me existimasti, frater carissime, quid mihi videatur de Histrione quodam, qui apud vos constitutus in eiusdem adhuc artis suæ dedecore perseuerat, & Magister & Doctor non erudiendorum, sed perdendorum puerorum, id quod male didicit cæteris quoque*

insinuat: An talis debeat communicare nobiscum? Puto nec Maiestati diuinæ, nec Euangelicæ disciplinæ congruere, vt pudor & honor Ecclesiæ tam turpi & infami contagione fœdetur. Nam cum in lege prohibeantur viri induere muliebrem vestem, & maledicti eiusmodi iudicentur: quanto maioris est criminis non tantum muliebria indumenta accipere, sed & gestus quoque turpes, & molles, & muliebres magisterio impudicæ artis exprimere? Vtilem, Panurge, doctrinam, & ardenter expetendam! cui perdiscendæ non vna sufficiat Massilia, non vnæ Athenæ: sed vrbes singulæ Gymnasia magnis impensis extruant, & vos grandi salario conducant oportet. O dedecus Re p.! ô pestes iuuentutis! ô pernicies castitatis! vestram artem vt percipiant qui per leges, per sapientum consilia ne spectare quidem debent? vide num codex Theodosianus in recta iuuentutis informatione decernat *ne spectacula frequentius adeant*. Disce quid Aristoteles Philosophorum sapientissimus, ne Platonem quidem excipio, legislatori præcipiat pueris vetandum. Collige quæ de hac puerorum institutione in Politicis scribit Aristoteles.

Histrio magister perdendorum puerorum.

Cod. Theo. de stud. vrb. Rect. lib. 1.

Pueri à theatris remouendi.

Ratio postulat vt qui hac ætate sunt, ab auditionibus & spectaculis illiberalibus longè arceantur. Cum igitur vniuersè legum scriptor verborum obscœnitatem ex ciuitate si quid aliud eiicere debeat: tum maximè ab puerorum oculis auribus-ue remouere ne quid tale vel loquantur vel audiant. Quoniam autem tale aliquid proloqui vetamus, perspicuum est etiam picturas, ac tabulas indecoras & deformes spectare per nos non licere. Dent igitur operam magistratus ne qua sit vel statua, vel tabula picta, quæ tales actiones imi-

Aristot. l. 7. *Politic. cap.* 17.

tetur. Iunioribus verò neque iambos neque comœdias spectare vlla lege permitti debet. Interposui Philosophum ne Christianorum Patrum acerbitatem criminaretis. Quanquam non defugies, vt arbitror, Gregorij Nysseni, hominis minimè austeri de theatris tuis iudicium, deque iis qui iuuentutem ad spectacula pertrahunt. Is enim bellum illud quod animo & mente cum vitiis gerimus concinnè describens, hostium exploratorem ait esse oculorum spectaculum, quod in nostras copias furtim se se insinuet: collocatos deinde in insidiis eos qui amicitiæ specie ad theatra deducant. Recita venustam eloquentis Theologi allegoriam.

Si ad spectaculum per voluptatem emollitus fuit sensus, & figuræ simulacrum cogitationem subiit per oculos: tunc expugnatur quidem mens eorum quæ sunt intus Imperatrix, vt quæ nihil habeat virile, aut iuuenile, sed sit effœminata & dissoluta: & magna magnus proditorum ex populo cogitationum cogitur circa exploratorē. Qui prætextu amicitiæ & beneuolentiæ cum cui persuadetur attrahunt ad peccati exitium, ij sunt qui in via insidiātur, laudatores voluptatis, quæ deducunt ad theatra, qui mali indicant facilitatem: & per ea quæ faciant prouocant ad imitationem, se fratres, & sorores nominantes ad perniciem eorum qui intereunt.

Gregor. Nyssenus hom. 8. in Eccl.

Sed quid ago? dum pueritiam hominibus istis, non potius quàm ouem lupo, credendam esse conficio, à magistris ad auditores delabor imprudens. Neque istud si temerè accidit, extra causam atque institutum meum iacet Iudices. Æquum est enim vt cùm de arte, & eius doctoribus pleraque dicta sint, auditores eius disciplinæ quales

esse debeant, inquiramus Totam igitur in primis adolescentiam, in vtroque sexu ad vitia nimium procliuem laudatorum virorum auctoritas semel penitusque abducit ac diuellit. De matronis quid sentire possunt vindices sanctitatis, cùm leges ipsæ Imperatoriæ iustam repudij causam esse decernant, si vxor *theatralibus ludis marito prohibente gaudeant*. Adeo nullum est matrimonij vinculum, postquam aures atque oculi prostituti sunt. Habet & suæ imaginis curam Imperator, atque ei cui sacras vices, delegat sensus illos castos atque integros esse iubet. Quid igitur vetat? vt *Nullus omnino Iudicum aut theatralibus ludis, aut Circensium certaminibus, aut ferarum cursibus vacet*. Rectè profectò & sapienter, tum ne tempus iuri dicundo necessarium in leuissimas voluptates insumatur: tū ne Iudices quæ scelera in foro puniunt, ea in theatro spectare, & aspectu suo probare cogantur. Hanc autem vitæ castimoniam optima lege vobis imperatam, nullo facto certius persuadebitis in medullis vestris penitus infixam esse, Iudices, quàm si perditos istos flagitiorum patratores ne in vrbe quidem vestra residere patiamini: neque tam quid effrenata plebeculæ cupiditas, quàm quid personarum vestrarum dignitas, & offici ratio postulet, attendatis. Sed vt ad Canones reuertar, quid illi sæpius, quid studiosius viris cultui diuino dedicatis imperant; quàm spectaculorum abstinentiam? Recita decretum Concilij Agathensis de conuiuiis & spectaculis euitandis.

Presbyteri, Diacones, Subdiacones, vel deinceps quibus ducendi vxores licentia non est, etiam aliena-

Matronas sine maritorum voluntate spectare non licet. Cod de Repud. l 8.

Iudices omnino abstinere iubentur. Cod. Theod. de spectac. l. 2.

Ecclesiast. personis penitus interdicitur spectaculis. Conc. Agath. can. 39 & refertur dist. 34.

Concilium magis expressum aliquid nobis offerre. Recita eadem de re decretum Concilij Trullani.

Ne cui liceat eorum qui in sacerdotali ordine enumerantur, vel Monachorum, ad Circensium certamina ascendere, vel scenicos ludos sustinere. Sed & si quis clericus ad nuptias vocetur, quando ad deceptionem comparata ludicra ingressa fuerint, surgat, & discedat: patrum nostrorum sic iubente doctrina. Si quis autem eius rei conuictus fuerit, vel cesset, vel deponatur. Et eam quidem pœnam ab posterioribus hisce Præsulibus Laodiceno Canoni adiunctam auget, & explicat iuris ciuilis constitutio à Photio relata, quæ Episcopum vel clericum aleæ, aut spectaculorum studiosum à sacro ministerio seiungi imperat, annonariis pensionibus priuari; & si in insana illa cupiditate perstiterit, ciuitatis suæ curiæ cum bonis suis mancipari; aut si facultatibus careat, fieri apparitorem. Apparitorem Deus sancte! ex Episcopo curiæ mancipatum ex clerico? Quæ est ista Ouidio ignota Metamorphosis? qua in officina nouæ illæ hominum species cuduntur? Etiam-ne spectatoribus suis laruas fabricant histriones, vt qui Episcopus ingressus fuerat exeat apparitor? vt pastoralis baculus in virgam, annulus in tutelam, birrus in sagulum commutetur. Videre mihi videor homines pallio tunicaque talaribus nuper venerandos, attonsa in coronæ modum coma, famulis & pedissequis nobiliter comitatos; iam togula stringente femina succinctos, cum sordido pileolo, & inclinante in humerum sinistrum bacillo ex ebeno, vel procedentium in publico festo clericorum anteambu-

Concil. 6. can. 24.

Ludicra ad deceptionem comparata.

Photius in Nomocan. Tit. 9. cap. 17.

lones, vel curialium iudicum accensos & silentiarios, ciuitate tota illam metempsychosin: & metensomatismum admirante. Vides tu illum specie digna imperio, erecto corpore, acribus oculis, facie liberali? ante menses aliquot Præsulem gessit, nunc canes abigit è templo & mendicantes. Is autem qui alio die, nudius quintus decimus erat, irrausit in foro dum bona defuncti sub hasta venderet, primarum partium clericus fuit. Ille qui vicinum heri tuum vadabatur, opimis antea præbendis fruebatur. Vnde tanta mutatio? à theatris. Quis homines illos exaugurauit? amor Histrionum. Malum enimuero factum! indigni videntur ea contumelia. Quid facias? ita Canones puniunt spectaculorum studiosos. Cur enim ab eo non abstinent quod & contemnere facile est, & spectare inhonestum?

Quod si Christianæ plebis patres & magistros ab illa virtutum pernicie abhorrere iubent antiqua concilia; quid de ipso populo par est ab iis decerni, cuius à vita & moribus nullam sanctitatis partem abesse voluerunt? Recita decretum Concilij Carthaginensis.

Conc. Carthag. can. 15.

Vt sacerdotum filij sæcularia spectacula, nec peragant, nec spectent, hoc autem omnibus Christianis semper est interdictum, vt ab iis abstineant, & vbi sunt blasphemiæ & maledicta non accedant. Hæc statuta sunt cum in ipso coniugio dignam aris & infulis castimoniam excolebant Christiani: nunc autem, proh pudor! vix eam cœnobiorum opertis, altarium religione, votorum professione tueri possumus. Affer quæ in hunc locum Zonaras Canonum enarrator adiungit.

Idem Christianis omnibus semper est interdictum.

Qui mimorum equorumque spectaculis, aliisque huiusmodi ludicris occupantur, neque intemperantiæ crimen effugient, neque integritatis & castimoniæ testimonio commendabuntur. Nec verò mirum si hæc vitæ degendæ ratio à filiis Sacerdotum exigatur. Nam & Christianis omnibus ne ad ea loca vbi blasphemiæ sunt, accedere liceat, interdictum fuit. Blasphemiæ verò nomine ea quæ licenter ac inuerecundè fiunt, significauit. Ob illa quippe fideles quasi temperantiæ integritatisque contemptores ab infidelibus blasphemantur. Certè ab Octauio Minutiano Christianis obiici vt contumeliam legimus quod theatris non interessent. Quamobrem iure mihi optimo videtur Chrysostomus eos à templis arcere velle tanquam impios & profanos qui frequentare spectacula non dubitarent; negatque venerandorum mysteriorum participationem cum illa petulantia posse consistere. Selige quædam è nobili oratoris Antiocheni myrothecio.

Zonaras in Can.

Theatrorum spectatores à templo arcendi.

Equidem arbitror multos ex his qui heri nos destituerant, & ad iniquitatis spectacula decesserant, hodie præsentes esse. Optarim autem istos qui sint palam nosse, vt eos à sacris vestibulis arceam: non vt perpetuo foris maneant, sed vt correcti denuo redeant. Et quid hic, inquiunt, adeo magni sceleris commissum est, vt ab istis sacris cancellis arcendi sint? Imo quod delictum his grauius quæris? cum seipsos planè adulterio contaminarint, impudenter ac rabientium more canum ad sacram hanc mensam irruunt. Non metuis, non expauescis dum oculis quibus illic lectum qui est in orchestra spectas, vbi detestandæ adulterij fabulæ peraguntur, iisdem hanc sacram mensam intueris vbi tremenda peraguntur mysteria? dum iisdem auribus

Chrysost. hom. 3. de Dauide & Saüle.

audis & scortum obscœnè loquens, & Prophetam. Apostolumque ad arcana scripturæ introducentem? dum eodem corde & lethalia sumis venena, & hanc hostiam sanctam, ac tremendam? An non hæc sunt vitæ subuersio, coniugiorum corruptelæ, bella, pugnæque & rixæ in domibus? Quicquid illic geritur non est oblectatio, sed pernicies sed pœna, sed supplicium. Quid prodest illa temporaria voluptas, dum hinc perpetuus nascitur dolor, dumque nocte pariter ac die à concupiscentia stimulatus omnibus molestus es & inuisus? Excute igitur teipsum, reputans qualis sis ab Ecclesia rediens, rursus qualis à spectaculis, atque hos dies cum illis conferas. Quamobrem equidem hortor rogoque vt prius confessione ac pœnitentia, aliisque remediis omnibus à peccato ex theatricis spectaculis contracto sese perpurgent; atque ita diuinos audiant sermones. Austerus es Chrysostome, qui non malorum hominum conscientiam in re leui consaucias: qui theatralem delectationem ad remittendos animos institutam facis sine causa perniciosam. Quid est superstitiosum esse, si hoc non est? aut si scelus in theatris vllum est, agentes certè commaculat; ad spectatores non peruenit. Hæret tamen in proposito Chrysostomus, Iudices; viros etiam sapientes & corroboratæ virtutis reos facit, si theatra frequentant. Cur ita? quia infirmioribus exemplo nocent. Recita Chrysostomi ad istud conficiendum efficax argumentum.

Quicquid in theatris geritur pernicies est.

Spectatores exemplo saltem nocent cæteris.

Sed ego, inquies, ostendam nihil multis ludos einsmodi obfuisse. Imò verò id maximè nocet, quod frustra & incassum tempus consumis, & scandalum aliis offers. Nam etsi tu quodam excelsi animi robore nihil inde tibi mali contraxisti: attamen quoniam alios

Chrysost. hom. 39. in Matth.

imbecilliores exemplo tui spectaculorum studiosos fecisti, quomodo non ipse commisisti, qui causam committendi aliis præbuisti? Qui enim ibi corrumpuntur tam viri quam mulieres, omnes corruptionis crimina & causam in caput tuum transferunt. Nam quemadmodum si non essent qui luderent: sic quoniam vterque sunt causa peccatorum quæ committuntur, ignem patiuntur. Quare quamuis animi tui modestia effecisti, vt nihil tibi inde obfuerit, quod ego fieri posse non arbitror: quoniam tamen alij causa ludorum multa peccarunt, graues propter hoc pœnas lues. Quamuis etiam multo modestior esses, si nullo modo eo pergeres. Num vos terret sacer ille orator, qui fieri non posse arbitratur vt quis à theatro non vulneratus excedat? Quamquam si rectè iudicare volumus, idem est dicere coniectum in fornacem exuri, volutantem in niue candefieri, qui ad picem adhæreſcat, inquinari. Sed hoc quasi per transennam ostendit; aliud hac oratione concludit, illum decoctæ sapientiæ hominem, qui fabulas vt rem indifferentem spectet, ita iunioribus exemplo nocere, vt quas à theatris maculas contraxerint, eas illi in se recipiant. Quid quod alio loco peccata histrionum omnia spectatoribus assignat, quia hi eorum causa existunt? Recita quæ hanc in rem disputat magnus orator. *Spectatores causa sunt theatralium criminum.*

Quando animi illi atque ridiculi blasphemum ac turpe quid dixerint, tunc potissimum quique stolidiores soluuntur in risum: inde applaudentes magis, inde etiam illos lapidibus magis exagitare debuerant: qui fornacem sibi ignis horribilis ex huiusmodi voluptate succendunt. Qui enim laudant ista dicentes, ipsi eis hæc exercere persuadent: & idcirco ipsi potius propter *Chrys. ho. 6. in Mat.*

hæc merentur supplicium. Si enim nullus esset talium spectator, ac fautor, nec essent quidem qui aut dicere illa, aut agere curarent. Quando verò vos cernunt & artes proprias, & ipsa exercendi quotidiani operis loca, & illum quem ex his paratis quæstum; & prorsus omnia simul vanissimi illius spectaculi amore deserere: auidiori ad hæc & illi intentione rapiuntur, studiumque his maius impendunt. Et hæc dico non vt illos à crimine videar vindicare: sed vt discatis initium & caput iniquitatis huius vos esse potissimum, qui totam prorsus diem in tam ridicula, tamque perniciosa voluptate consumitis, & honestum coniugij nomen atque reuerendum in illud negotium publicatis. Non enim tam ille delinquit qui ea simulat, quam tu qui hoc fieri iubes. Nec solum iubes, sed etiam exultatione, risu, plausu adiunas quæ geruntur, omnibusque prorsus modis diabolicam hanc confones officinam. Quàm verè & ad sæculi nostri mores aptè conuenienterque ista dicantur, Iudices, non diffitebuntur, si quis interroget, ludiones. Quis enim nostrûm eos non audiuit de spectatorum petulantia conquerentes, per quos honesti esse si maximè velint, non possint? Quoties iussi mimorum lasciuiam tollere, tragœdias emaculare, in aliquod modestiæ argumentum seipsos componere: responderunt, auditores sibi cum ista fecerint, defuturos? E diuerso maxima theatri cultorum pars plusquam scurrilem mimorum obscœnitatem cum bonis omnibus condemnat: atque se spretis illis ad solam fabularum grauitatem, honestum videlicet animi laxamentum, adire. O boni! cui verba? illi Veneris poculum libant, propinantque; vos vsque ad fæces exhauritis; illi vendunt

Non tam delinquit qui mala simulat, quam qui iubet & laudat.

flagitia; vos emitis: illi profligant pudicitiam; vos exuitis. *Vna res*, vt dixit Plautus, *Omnes compacto rem agitis, quasi in Velabro olearij*. Nam conceptæ in histrionis animo libidines clara voce, & erudito gestu, tanquam curru in subiectos auditorum cuneos delatæ, auidis auribus, & obuiis mentibus excipiuntur. Atque vt animantes aliquæ vento grauidatæ perniciosissimos fœtus parere dicuntur: sic animi illi commoto per vocem aëre prægnantes, quam celerrimè partus scelerum immaturos ex se profundunt atque eiiciunt. Nolite enim putare, quod hactenus visus est Grecus Ecclesiastes indicare, auditores aliena tantum aut sociorum, aut histrionum turpitudine maculari: sua quemque Venus, sua vexat insania: sed auditores eadem quæ & ludiones. Recita Saluiani ea de re sententiam.

Spectatores in se contrahunt flagitia quæ vident.

Alia omnia mala agentes polluunt, non videntes, vel audientes. Siquidem etsi blasphemum quendam audias, sacrilegio non pollueris, quia mente dissentis. Et si interuenias latrocinio, non inquinaris actu, quia abhorres animo. Sola spectaculorum impuritates sunt quæ vnum admodum faciunt & agentium, & aspicientium crimen. Nam dum spectantes hæc comprobant, ac libenter vident, omnes ea visu audituque agunt, vt verè in eos Apostolicum illud peculiariter cadat: quia digni sunt morte non solum qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus. Itaque in illis imaginibus fornicationum, omnis omnino plebs animo fornicatur: & qui forte ad spectaculum puri venerant, de theatro adulteri reuertuntur. Non enim tunc tantummodo quando redeunt, sed etiam quando veniunt, fornicantur. Nam hoc ipso quod aliquis rem

Salu. l. 6. de Prouid.

Ire ad ludos histrionum, fornicari est.

obscœnam cupit, dum ad immunda properat, immundus est. Quod hominis eloquentissimi dictum non vt vanam Rhetorum exaggerationem, sed vt exactam ad Theologorum amussim, sententiam, cupio & vobis Iudices, & huic populo persuaderi. Licet enim Comœdia, si rei naturam spectes, in neutram partem valeat: quod Panurgo huic non inuitus concedo: quia tamen histrionum improbitate, & perditorum temporum consuetudine in deteriorem deducta est, vt vix iam sine Veneris illecebris vlla peragatur, quis ad tale spectaculum sine noxæ periculo accedit? quis est animo aduersus lasciuiam tam obfirmato vt eius impetus & præuidere audeat, & prouocare? quis castitatem sartam & tectam ab omni detrimento seruare speret, cum in peccati periculum sciens & volens incurrit? ô importunos histriones! ô homines publico gaudio infestos! qui non malam rerum naturam fœdissimè corrumpunt; qui nostram innocentiam expugnant voluptatem cauponantes, Absque iis esset, tutam hodie integritatem, theatra casta, puram & liquidam delectationem haberemus. Nunc autem infamium ioculatorum proteruia in eam ignominiam lusus nostri deuenerunt, vt pene, sine scelere apud eos ridere nemo possit, vt honestis omnibus clausa censeantur theatra quæ solis honestis patere debuerant. Iam ab iis excluditur teneritas puerorum: verecundiæ matronarum, & Iudicum grauitati raro conceduntur: Clericorum sanctitatem, & Christianorum religionem profanare putantur: non magis Basilisci in nos, quàm noster in histrionem oculorum coniectus lethalis est. Et

eam generis humani labem tolerari à vobis ſperant Iudices; in veſtra ciuitate theatrum aperiri poſtulant, quòd ſi eſſet erectum, niſi veſtra me fallit integritas, in perpetuum euerteretis.

Et nos tamen, inquiunt, ſpectatores tenemus etiam contempta Eccleſia oppido multos & honeſtos. Tripudias, Panurge, in noſtro dedecore: triumphas in bonorum gemitu, in Dei contemptu, in ſalutis incuria. Calamitati temporum inſultas, & qui profligata pietate iram numinis aduerſum nos concitaſti, de rerum noſtrarum ſtatu perdito, diſſipatoque lætaris. Ita ludebant ætate Saluiani Romano imperio ſubditæ, & Chriſtiano nomine cohoneſtatæ regiones, cum eas barbarorum furor ferro & flamma, Deo vindicante delebat. Recita vehementem Saluiani lamentationem. *Lugendũ eſt cum in Dei contemptum cõcurritur ad theatra.*

Nos Eccleſiis Dei ludicra anteponimus: nos altaria ſpernimus, theatra honoramus. Omnia denique amamus, omnia colimus: ſolus nobis in comparatione omnium Deus vilis eſt. Hoc probat: quid ſi eodem die feſtiuitas Eccleſiaſtica, & ludi publici agantur, quæro ab omnium conſcientia quis locus maiores Chriſtianorum virorum copias habeat, cauea-ne, ludi publici, an atrium Dei? Et templum magis omnes ſectentur, an theatrum? dicta Euangeliorum magis diligant, an thymelicorum? verba vitæ, an verba mortis; verba Chriſti, an verba mimi? Non eſt dubium quin illud magis amemus quod anteponimus. Omni enim feriarum ludicrorum die, quamlibet Eccleſiæ feſta fuerint, non ſolum ad Eccleſiam non veniunt qui Chriſtianos ſe eſſe: ſed ſi qui inſcij forte venerint dum in ipſa Eccleſia ſunt, ſi ludos agi audiunt Eccleſiam derelin- Saluian l. 6. de Prou.

quunt. Spernitur Dei templum, vt concurratur ad theatrum. Ecclesia vacuatur, Circus impletur. Christum in altari dimittimus, vt adulterantes visu impurissimo oculos ludicrorum turpium fornicationis pascamus. Et ideo rectissimè ad nos Dominus Deus dicit: Propter spurcitiam exterminati estis exterminio. Hæc sunt concionantis fulmina, an Prophetæ oracula? sua tempora describere sic potuit sine præsensione nostrorum? fame & frigore conficiuntur rustici: res vrbanæ publicanorum iniustitia pessundantur: nulla non familia inauditis oneribus opprimitur: lites palam & publicè pretio iudicantur: homicidia claro meridie in vrbium plateis perpetrantur; templa ipsa atque aræ vix à sacrilegio se defendunt: quod bellis ciuilibus superfuit, externa consumunt: dumque lacrymis & corporum vexatione Deum placare deberemus, spurci planipedes iocis & libidinibus nos distinere gloriantur; vt plus ipsi ad calamitates augendas, quàm miseriarum sensus ad minuendas posse videantur. Hæc fierent, Iudices, si probè intelligeremus quantum in spectaculis insit mali? eam in nos vilissimis ardelionibus traderemus potestatem si vena vlla paternæ pietatis in nostris pectoribus viueret? admiraremur frequentem theatrorum consessum, si pium Augustini animum gereremus? Is enimuerò luctu & lacrymis eos prosequitur, qui id agunt quod tu, Panurge, iactabas. Audi hominis non ingeniosioris quàm religiosioris plenum commiseratione sermonem. Recita tu Pragmatice quantum Augustinus miserandos eos putet, qui postposito Dei cultu, desident in spectaculis.

Credendum est charitatem vestram non ab aliud hodierno die copiosius conueniße, nisi vt oretis pro eis quos absentes facit alienus & peruersus affectus. Neque enim loquimur de Paganis, neque de Iudæis, sed de Christianis. Neque de his adhuc Catechumenis, sed de multis etiam baptizatis, à quorum lauacro nihil distatis, & eorum tamen cordi dissimiles estis. Quàm multos enim hodie fratres nostros cogitamus & plangimus ire in vanitates & insanias mendaces, negligere quo vocati sunt, qui si forte in ipso Circo aliqua ex causa expauescant, continuo se signant, & stant illic portantes in fronte, vnde abscederent si hoc in corde portarent. Deprecanda est misericordia Dei vt donet intellectum ad ista damnanda, & affectum ad fugienda, & misericordiam ad ignoscenda. Opportune ergo de pœnitentia Psalmus hodie cantatus est. Loquemur & cum absentibus. Erit ad eos vox nostra, memoria vestra. Nec vt saucios & languidos negligatis: sed vt facilius sanetis, sani permanere debetis. Corrigite arguendo, consolamini alloquendo, exemplum præbete bene viuendo. Aderitis qui adfuit & vobis. Non enim vobis iam ista pericula prætergressis fons misericordiæ Dei præcisus est, qua venistis venient, qua transistis transibunt. Molestum est quidem, & nimium periculosum imo perniciosum, & pro certo exitiabile quod scientes peccant. Ita mitissimus Antistes eorum miseratur vicem, quorum frequentia gaudent histriones; ita de eorum salute sperari posse admonet, quos errore pernicioso peccare confitetur: ita demum auditores suos laudat, quia ludorum spectatores esse dedignantur, hæc denique fierent, si Canonum sanctitas seruaretur, qui diebus festis prohibent vlla spectacula celebrari?

August. in Psal. 50.

Conc. Carthag. Can. 67.

Festis diebus spectacula prohibentur legibus tum sacris tum profanis.

Photius in Nomocan. tit. 7. c. 4.

Recita decretum Concilij Carthaginensis *ne in Dominico & in reliquis Sanctorum festis spectacula vllo modo peragantur.*

Illud quoque præterea petendum est vt theatralium ludicrorum spectacula in Dominico, & reliquis festis diebus à fide Christianorum arceantur, Maximè quia in sancti Paschæ octaua turbæ magis in Hippodromia quam in Ecclesiam conueniunt, debent præfiniti ipsorum dies transferri quando euenerint: nec debet vllus Christianus cogi ad hæc spectanda. Cui Patrum religioni prolixè respondisse Principes docent eæ constitutiones apud Photium, quibus cauetur die Dominico, *neque iudicio agi, neque scenicum spectaculum, aut arenariam venationem, aut Circense certamen celebrari. Quin & si natalis Imperatoris in Dominicum diem incidat spectacula differri Qui spectaculis Dominico interfuerit, & qui apparitor legem transgressus sit, eum militia priuari, eiusque patrimonium proscribi.* O laudabilem Pontificum & Imperatorum concordiam! ô spectabilem sacræ politicæque potestatis in conseruanda religionis integritate conspirationem! Rogant Præsules vt tollendis spectaculis fidei Christianę consulatur: vetant Augusti sacros dies, imo natales etiam suos theatris occupari. Petunt illi ne Christiani spectare ludos aliqua necessitate cogantur: hi proposita pœna prohibent: vtrorumque mens eadem est, religionem Christianam ludorum publicorum permissione violari? qui diebus illis contempta, vt fatentur, Ecclesia theatris assideant, Christianos non videri. Nimirum primi religionis Antistites recolendis salutis humanæ mysteriis solennitates indixerunt, vt saluti peni-

tus contraria celebrarentur? illis feriis Christum nascentem aut suscitatum repræsentarunt, vt inimica & inuisa Christo sectaremur? voluerunt Christi sacramento initiatos à litibus, à mercimoniis, ab opere seruili per id tempus vacare, vt peccatis & libidinibus vacaretur? Filius Virginis, aut ipsa Virgo theatrali luxuria honoratur? immania Martyrum supplicia scenicis iocis & ludicris recognoscuntur? eam Christus aperuit viam cum vocaret ad cœlum; eam sequuti sunt qui nunc æuo fruuntur sempiterno?

Habent Christiani vnde maiores quàm à theatris hauriant voluptates.

Atenim postquam religioni per eos dies vacatum est, quis honestam animi relaxationem prohibeat? *Dedicatus es Christiane* (liceat enim exclamare cum Tertulliano) *si & in sæculo voluptatem concupiscis; imo nimium stultus, si hoc existimas voluptatem. Dicas velim: non possumus viuere sine voluptate, qui mori cum voluptate debebimus?* Sed esto: his hominum moribus sit aliqua concedenda; honestam vocas à scenicis in theatro? Da conuenientiorem. Pila, follis, ambulatio, colloquium sine scelere esse possunt. Quod ne citra veterum auctoritatem concedere videar, audi Chrysostomum eiusçemodi ludicra suauiter probantem: & vel hinc disce si quid in ludis scenicis condemnauit id ab eo non animi duritia & superstitione factum, sed à ludorum conditione virtutem omnem profligante profectum. Recita Chrysostomi de honesta remissione consilium.

Chrysost. hom. 38. in Matth.

Sumite saltem exemplum vobis à Barbaris qui omnium huiusmodi spectaculorum turpitudine carent? quam rationem pro vobis afferetis, si, qui adscripti estis in cœlis Angelorum atque Archangelorum socij

ac cohæredes, multo peiores hac in re Barbaris ipsis inueniamini? Præsertim cum queas multa aliunde tibi solatia comparare. Nam cum recreare animum volueris poteris hortos petere, fluentes riuos conspicere, ingentes lacus considerare, amœna cernere loca, cicadas audire canentes, in templis Martyrum conuersari; vnde præcipua tibi corporis suauitas tribuetur, atque ad animam tuam eximia perueniet vtilitas, vnde singularem capies voluptatem, quoniam nullus dolor, nulla mœstitia consequitur. Habes vxorem, non cares liberis, abundas amicis, quæ omnia dilectionem honestam, & emolumenta nonnunquam solent præbere. *Barbari theatrales delectationes irridet.* *Quid enim liberis suauius? quid vxore casta, moderatoque merito dulcius? Barbari quidem ipsi cum de theatralibus his ludis, & importuna delectatione fabularum audissent: dixisse feruntur verba omnibus institutis Philosophiæ dignissima. Prudenter enim Romanos dixerunt, quasi liberis atque vxoribus careant, tales sibi excogitasse voluptates, quibus verbis ostendebant nihil vxore modesta, nihil liberis posse esse suauius.* Hic ego non subsisterem nisi esset & fastidio periculum: sed ad eum locum meum vos deducerem vbi admirabilis orator voluptatem *Hom. 69. in Matth.* eam quæ ab hominum Deo dicatorum aspectu & consortio percipitur, cum ea confert quam iuuenes voluptuarij in theatris inuenire conantur. Mirum dictu tantam inter illas differentiam ab experientissimo viro constitui, quanta est *inter modulantes Angelos, & porcos in stercore grunnientes: si quidem illorum ore Christus, istorum diabolus loquitur.* Præterea sic disputat in theatro flammam libidinis excitari, quæ spectatorem excruciat: prauos animi motus corroborari, qui dies

noctesque pungunt ac lancinant venustæ meretricis aspectu in proscenio, non æquè elegantem vxorem contemni, inde rixas dissidia, cædes nonnumquam oriri. E diuerso modestam Religiosorum hominum consuetudinem mederi perturbationibus, sopire discordias; animo pacem & tranquillitatem adferre, sine qua nemo ab eis digreditur: qua iucunditate nulla potest esse maior. Inde conficit *theatralem chorum malorum omnium, illum verò piorum esse bonorum fontem atque originem. In altero ex ouibus lupos fieri, in altero è lupis in agnos conuerti.* Quis nostrûm inter agnos censeri non malit, quàm inter lupos; licet illi horum iniuriis sint obnoxij? Sed huius fortasse congressus non placet austeritas: petuntur spectacula. Ea nobis ostendet Carthaginensis orator. Ignoscite iudices, si vos tamdiu alienis distineo: Religio est Cyprianum prꝑterire non salutatum. Eo flumine quid potest esse alsius æstuanti, quid tali ripa amœnius fatigato? Vbique aureus, vbique lacteus manat: hîc mel purum, lac merum est. Age Pragmatice, infer in mensam extrema tragemata: doce ex Cypriano quomodo sapientium animi reficiantur, & nos ipsos longa quidem, sed elegantissima oratione refice.

Fugienda sunt ista Christianis fidelibus, vt iam frequenter diximus, tam vana, tam perniciosa, tam sacrilega spectacula, & oculi nostri sunt & aures custodiendæ. Cito in hoc assuescimus quod audimus scelere. Habet Christianus spectacula meliora si velit: habet veras & profuturas voluptates, si se recollegerit. Et vt omittam illa quæ nondum contemplari potest, habet istam mundi pulchritudinem quam videat *Cyprian. l. de spect.*

atque miretur: solis ortum aspiciat, rursus occasum mutuis vicibus dies noctesque reuocantem: globum Lunæ, temporum cursus incrementis suis, decrementisque signantem; astrorum micantium choros, & à summo de summa mobilitate fulgentes: anni totius per vices membra diuisa, & dies ipsos cum noctibus per horarum spatia digestos: & terræ molem libratam cum montibus, & proflua flumina cum suis fontibus, extensa maria cum suis fluctibus atque littoribus. Interim constantem pariter summa conspiratione nexibusque concordia: extensum aerem medium tenuitate sua cuncta vegetantem, nunc imbres contractis nubibus profundentem, nunc serenitatem refecta raritate reuocantem, & in omnibus istis incolas proprios in aere auem, in aquis piscem, & in terra hominem. Hæc, inquam, & alia opera diuina, sint Christianis fidelibus spectacula. Quod theatrum humanis manibus extructum istis operibus poterit comparari? Magnis licet lapidum molibus extruatur, crustæ sunt montium; & auro licet tecta lacunaria reluceant, astrorum fulgore vincentur. Nunquam humana opera mirabitur quisquis se cognouerit filium Dei. Deiicit se de culmine generositatis suæ, qui admirari aliquid post Deum potest. Scripturis, inquam, sacris incumbat Christianus fidelis, ibi inueniet condigna fidei spectacula. Videbit instituentem Deum mundum suum, & cum cæteris animalibus, hominem illam admirabilem fabricam, melioremque facientem. Spectabit mundum in delictis suis; iusta naufragia, piorum præmia, impiorumque supplicia: maria populo siccata, & de petra rursus maria populo porrecta: spectabit de cœlo descendentes messes, non de areis: inspiciet flumina transitus suos refrænatis aquarum agminibus

exhibentia.

Videbit in quibuſdam fidem cum igne luctantem, religione ſuperatas feras, & in manſuetudinem conuerſas; intuebitur& animas ab ipſa morte reuocatas: conſiderabit etiam de ſepulchris admirabiliter ipſorum conſummatorum iam vitas corporum reductas: & in his omnibus iam maius videbit ſpectaculum, diabolum illum qui totum detriumphauerat mundum, ſub pedibus Chriſti iacentem. Quàm hoc decorum ſpectaculum fratres? quam iucundum, quàm neceſſarium? intueri ſemper ſpem ſuam, & oculos aperire ad ſalutem ſuam. Apparatiſſimum profectò ſpectaculum, & ſi corporeis oculis videri poſſet, ipſam vniuerſi naturam in ſui admirationem excitaturum. Sed quid hominibus iſtis facias, qui cum pietatis guſtum non habeant, puras & ſinceras animi delectationes ignorent, iucunditatem omnem corporum quaſi titillatione metiuntur? Rident inſani homines, (ſi tamen homines qui ad voluptatem cum brutis animantibus communem ſe ſe proſternunt atque abiiciunt) cum à nobis laudari accipiunt in rebus aſpectabilibus, quid eſt quaſi mentis curriculum nobilem ingenij exercitationem: in veritatis inuentione ſuauiſſimum animorum paſtum: meras delicias in eruditis, atque honeſtis collocutionibus: ludum & remiſſionem in contentione ſtudiorum. Miſeros putant atque infelices quibus Bibliothecæ ſint pro theatris, libri pro colluſoribus, orbis vniuerſus & omnes præteritorum ſæculorum hiſtoriæ pro ſpectaculis, pro lucro ſcientia Exiſtimat omnis illa plebs quam videtis beatius ſibi eſſe cum helluatur in popinis, luxuriat in agris, perpotat in ſodalitatibus, cachinnatur in theatris, inter Bacchum &

tia ad contemptum intolerabilem esse peruentum. Hoc clamant vestris in subselliis, Iudices, hoc vobis non repugnant bus asseuerant, vt cum in omni libidinum fœditate se volutarint, scelerum suorum colluuiem temporibus nostris imputent, & peccandi ex impunitate facilitatem inter sæculi mores annumerent. Id quàm verè existiment non disputo: existimare autem clarè demonstrat histrionum singularis confidentia quos puditum non est in vestro stare conspectu, petere vt sibi theatra, hoc est, libidinis officinam aperire liceat, sperare à vobis illud quod leges Imperatoriæ, quod instituta Ecclesiæ titulis pene omnibus condemnant, quod sanctissimi Patres accusant, quod boni omnes execrantur. Hæc verò eorum fiducia quam existimationi vestræ maculam inurat, si non videtis, Iudices, in ea deuenimus tempora quæ ipsi describunt. Sin autem res tanta prudentiam vestram non fugit, quid expectatis vt istorum nequitiæ improbitati fautorum, otiosorum importunitati vna sententia resistatis? Quin excitatis illos auitæ religionis igniculos quos isti sopitos arbitrantur? Quin reuocatis antiqua tempora si exciderunt, aut conseruatis si hactenus steterunt? Exerite, exerite, per Deum immortalem, veteris disciplinæ robur: sentiant omnes in sæculi nostri visceribus altè infixum esse castæ religionis amorem: nemo putet vobis iudicia tenentibus sanctitatem Ecclesiæ fuisse corruptam. Hominum sceleribus sæculi mores non metimur, sed impunitate. Nam malè agendi voluntas priuatum malum est iudicum conniuentia Reipublicæ totius corruptio. Hæc vt

re non parum immutatos; apud veteres in illis Prasinis Venetisque factionibus, meram fuisse insaniam: tempestate autem sua sublatis partium studiis, fautorum vociferationibus, impudentia factiosorum, concessu Imperatoris, ipso etiam spectante ac probante, maiore cum modestia & grauitate currus in hippodromo solitos agitari. Quamobrem Deo sacratis hominibus fraudi non fore si aliquando & rarius in eo spectaculi genere versentur: cum interdicto Canonico non hi simplices & moderati, se illi antiquorum turbulenti & insolentes ludi prohiberi censeantur. *Et hæc quidem de equorum curriculis nonnulli dixere. De mimis autem & ludis scenicis nullam penitus diuisionem fecerunt, sed saltationes scenicas, & mimorum in thymelo spectacula indistinctè prohiberi omnes asserunt.* Quem sacrarum legum rigorem inflectere homines cætero quin non austeri debuissent: si illa quæ tam sæpè prædicatur in histrionum moribus & comœdiis mutatio accidisset. Quænam ergo noua sanctitatis aura nostros persuasit artifices, vt quod in tota Gentilium antiquitate, quod in ipso adolescentis Ecclesiæ flore ac robore, quod ætate Balsamonis compressa ludorum aliorum licentia, in theatris perpetuo bonorum omnium consensu improbatum nunquam euelli potuit, eius flagitij fibras omnes corruptissimo sæculo, perditi homines stirpitus eradicarint? quis credat cum rudis adhuc antiquitas in omnem se partem flecti sineret, Ecclesiæ constitutiones vt Dei effata, minæ anathematum vt cœli fulmina demissis animis excipiebantur, histrionicæ modum impudentiæ poni non potuisse:

nunc cum à paterno vigore pietas Christiana desciuit, cum veteres ipsos Gręcos Romanosq; vitiis & libidinibus prouocamus, cum sacros Canones aut ignorantia negligimus, aut impietate non ferenda volentes scientesque perrumpimus: illam vnam nequitiæ speciem tot sæculis corroboratam, in curiosissimis hominum sensibus visu atque auditu tam altè infixam, à vagis & flagitiosis adolescentibus omni animorum corporumque contentione quotidie diligenter actitatam, fuisse vlla ex parte correctam honestioremque redditam?

Non est mihi credite, Iudices, in eo posita temporum conuersio, rerumque mutatio quam isti magnoperè prædicant: vitiis vetustate auctis confirmatisque, veterum Patrum auctoritatem, Canonum sanctitatem, Ecclesiæ disciplinam, decreta Conciliorum, religionis honorem admonent antiquari. Præteriisse dicunt ea tempora quibus sacri Episcoporum conuentus leges conderent moribus profuturas: quibus qui Christiani & esse & haberi vellent Conciliorum statutis obtemperarent: quibus priuatarum sedium Antistites subditos suos ab omni peccandi occasione vita & oratione reuocarent. Permittunt à nobis appellari sæcula illa aurea, florem humani generis, medullam Christianitatis, miracula virtutum, Ecclesiam de vitiis omnibus triumphantem. Demus id modo reuocata peccandi licentia cui Præsules sanctissimi moderabantur, contemni nunc eorum voces, elisos omnes Ecclesiasticæ disciplinæ neruos, sacrorum Canonum vim & robur penitus concidisse. Deus immortalis! vbi gentium sumus? inter quos homines viuimus? quę

Contemptus Canonum sæculi pernicies & dedecus est.

Venerem, propitio Mercurio; quàm vobis, Iudices, cum animos vestros aut in otio cum libris, aut in colloquio cum æqualibus rerum sublimium contemplatione reficitis. Date veniam si postulo quo aduersus illos animo esse possitis? nam ira excandescere contra deceptos, & mera naturæ suæ ignoratione peccantes, humanum non est. Eorum autem misereri, & adeo perniciosum errorem condonare, qui non aliam experiri velint voluptatem, quàm qua lutulentæ & infames bestiæ perfruantur, indignum profectò est, & à ratione penitus derelictum. Quamobrem aut falsam opinionem dedoceri eos oportet; aut dedecoris & insaniæ instrumentum à perditorum manibus eripi. Istud est auctoritatis sapientiæque vestræ, Iudices: illud autem, quia homines esse nolunt, oratione mea conficere posse despero.

Canonum & Patrum auctoritatem pueriliter eludant theatri amatores.

Nam vt se dat occasio de illorum grege paulum honestioribus, aliqua ex iis quæ modo audiuistis Conciliorum & Patrum, hoc est sanctitatis ipsius & grauitatis recitamus testimonia, quibus theatrorum obscœnitas & turpitudo monstratur: aperitur peccati magnitudo & salutis periculum spectatoribus propositum: ingentia rei publicæ æquè ac priuatæ damna in spectaculis contracta describuntur. Cumque cœlestibus illis oraculis omni cum animorum demissione obtemperare deberent, quid respondent homines acuti, & ingeniosi? quod nequitiæ suæ integumentum prætendunt? illis temporibus effusas fuisse in omni petulantia tragœdias: tum necessaria extitisse aculeata patrum dicta vt à lu-

brica & præcipiti via Christiani abducerentur. Nunc in histrionum comœdiis aut nihil aut perparum inesse lasciuiæ. Canonum seueritatem iamdiu mitigatam; eos olim terruisse qui cubito mungerent. Verbo vno, mutata tempora : mores minus iam esse superstitiosos. Itaque cum hoc dicunt, tuum illud, Panurge, de reprehensa ab antiquis Patribus sola ludorum idololatria, mecum demoliuntur : deinde cum aliquam vobis partem honestatis assignant, famam suam omnem, existimationemque disturbant. Cui enim bono histriones boni, cui honesto tragœdiæ honestæ, cui non perdito theatra expetenda videantur? Nam quod affirmant de refrænata inhibitaque comicorum verborum, gestuum, argumentorum petulantia, vereor vt id vobis, Iudices, persuadere possint, quibus hominum proteruia satis superque cognita est : à me certè nunquam impetrabunt vt credam admirabilem illam theatralium morum sanctitatem nostris temporibus reseruatam fuisse, quam paucis ante sæculis scriptores adhuc optimi requirebant, Theodorum opinor Balsamonem sæculo post reparatum orbem circiter duodecimo scitis floruisse : Propius igitur à nobis abest, quàm ab antiquis patribus, non tantum Chrysostomo, aut Tertulliano, verumetiam postremo eorum qui sunt à me producti Cassiodoro. Hic autem professione melior quàm fide, eruditione quàm pietate notior, Conciliorum decreta quibus clerici omnes & Monachi à ludis tum Circensibus, tum Scenicis spectandis iubentur abstinere, sic explicat, vt ex aliorum potius sensu, quàm ex suo Circenses afferat suo tempo-

Non sunt histriones nostri antiquis modestiores.

Theo. Balsamon. in Can. 24. & 51. Sextæ Synodi.



